ACTA

SANCTAE SEDIS

IN « E l M OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

Acta iuridica **et** solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici neri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa **et** alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam **et** observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus «tudiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXIII.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1890-91.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Prmted in the United States of America

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Eminentissimum Cardinalem Lavigerie, Archiep. Carthaginensem et Algeriensem, occasione qua agmen Missionariorum in penitiores Africae partes profectum est.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Mirifice delectati sumus litteris quas adiunctas misisti orationi, gravi sane et flexanimae, qua die natali Principum Apostolorum alloquutus es Missionariorum Algeriensium agmen, quod in penitiores Africae partes erat profecturum. Eo suavius autem ea scriptione affecti sumus quo clarius liquebat in melius progredi, licet inter magnas asperitates rerum, opus eorum qui humaniore cultu Africae gentes expolire contendunt; quod opus, ceu probe nosti singulari favore complectimur et parati sumus adiuvare pro viribus. Quare plurimas habemus gratias providentiae summi Dei, quae cum magnánimos excitat lectosque viros, qui sese huic nobili operi addicunt, tum evangelico eorum ministerio virtutem dat et incrementa cum laeta fructuum ubertate. Illustria plane et auditu iucunda sunt haec Missionariorum studia, qui primaevos Evangelii praecones aemulantes petere gestiunt interioris Africae latebras inexploratas, queis nulla lux adhuc affulsit, ut eas collustrent lumine revelationis gloriae Iesu Christi; ast illud iucundius quod Principes barbararam gentium prompte fidem christianam amplexi supplices poscant auctiorem operariorum numerum, quo celerius in suis regionibus propagetur regnum Dei. Dum vero in hisce divinae providentiae benefacta agnoscimus, non minus illam miramur in eo studio quo Rectores populorum qui in Europa sunt, validis quibus pollent viribus, humanitatis causam tueri contendunt in Africa. Insigne huius studii argumentum praebuit solemnis conventus nuper Bruxellis habitus, in quo iidem Rectores per legatos suos causae illius, cui favemus, tantopere suscepere patrocinium. Ibi enim summo coëuntium consensu ea sunt constituta quae maxime conferre videbantur ad avertendam perniciem, quae Africae infertur ex cupiditate complurium, qui humano nomine indigni, saevitia et astu barbari-

co exercent Nigritarum commercium, qui et ipsi imaginem praeseferunt Creatoris Dei, et communis naturae participes aequo iure cum ceteris hominibus censendi sunt. Praeclara haec studia Virorum Principum, qui gentibus Europae praesunt meritis laudibus gratique animi sensibus prosequimur; proinde eorum consiliis cum faustos ac plenos adprecamur exitus, tum obsecundare impense adnitemur, nec quidquam missum net a Nobis ut Africa universa iis utatur legibus moribusque qui humani generis, a Christo redempti, dignitati respondeant.

Ceterum curas praecipuas eo conferamus oportet ut maxima sit frequentia Virorum Apostolicorum, qui in eas regiones effundant evangelii lucem, qua in re summo Nobis usui est singularis zelus tuus et sedulitas impigra. Namque etsi plures rationes ac praesidia suppetant, quorum cuique sua vis inest et opportunitas ad Afrorum victum excolendum, nihil tamen praestabilius magisque congruens huius incepti naturae et evangelii spiritui quam copiosa immissio praeconum veritatis, qui legionis instar impavidae aggrediantur opus, prout superioris experientia temporis edocet rerumque bene gestarum recens memoria. Scilicet Christi miles sacras obiturus missiones nulla quaestus aut gloriae cupiditate illectus pergit, sed sola excitus voce appellantis Dei, apteque eius gratia comparatus ut nullas timeat fortunae minas. Hic ea caritate incensus qua urgebatur Filius Dei, ut se pro salute humani generis immolaret, domum ac patriam deserit ut alio nullo occupatus affectu praenobili et divino sese addicat ministerio, cui vires suas vitamque devoveat. Quare mirandum non est si heroica virtus virorum huiusmodi, qui appetitiones carnis assuevere spiritui subigere, ea valeat iterare prodigia per quas Spiritus Domini, docentibus Apostolis, renovavit faciem terrae, et in populos sedentes in tenebris effudit lumen fidei, numquam defecturam. Itaque vehementer optamus ac supplices a Deo petimus ut, saeviente licet improborum odio adversus clerum et religiosas sodalitates, quamplurimi existant Apostolici viri, qui acti spiritu Christi in Africain terram late serant verbum Dei, illamque profuso rigatam sanguine, si opus sit, nedum sudore fecundent. Sane quibus in locis reverendum redemptionis signum elatum fuerit, ibi cito iuxta lignum crucis florebit civilis cultus omnesque politioris humanitatis artes. Neque vero ambigimus quin Tu, Dilecte Fili Noster, hortatui Nostro obsequens tuique sacerdotalis

animi motibus, alacri studio et industria instare pergas huic operi, cui Nos Decessorum Nostrorum exempla sequuti, quamvis pressi rebus adversis multisque obnoxii periculis, praecipuas adhibemus curas Apostolici ministerii. Demum Te latere nolumus voluptatem, quam cepimus audito consilio inito ab ea societate quae Africanam servitutem oppugnat, ut certamen instituatur virorum ingenio et doctrina praestantium, in quo praemio donetur auctor operis quod aptius prae ceteris censeatur effectarum, ut Nigritarum mancipatio et servitus humani generis odio et suffragiis damnata penitus deleatur. Hinc ultro Tibi roganti annuimus, ut in eo praemio tribuendo ita Nostri nominis mentio fiat, ut ea res Nobis probatissima appareat. At vero quamvis omnis huiusmodi cura et industria multa sit laude digna, quippe eo spectat ut inflammentur hominum studia et consocientur voluntates ad inceptum peragendum aeque arduum ac salutare, summa tamen spes rei prospere gerendae locanda est in ope caelestis gratiae, quae eo praesentior operantibus aderit quo enixius et constantius, effusis precibus, exposcetur. Auspicem interea divinae huius opis et paternae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili noster, simulque Clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Iulii anno MDCCCXC. Pontificatus Nostri decimo tertio.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito diebus 23 et 26 Iunii 1890

Sanctissimus Pater in Consistorio diei 23 Iunii habuit Allocutionem, et in Consistorio diei 26 Iunii protestationem contra legem civilem de *piis operibus,* quae sunt huius tenoris :

ALLOCUTIO

Venerabiles Fratres

Priores curas Nostras hodierna die sibi merito vindicat inclita catholici nominis natio, quae Montem Libanum tenet, prophanis clarum litteris, divinisque saepe celebratum carminibus; ipsa

loci amoenitate, et caeli situque clementia insignem. Regionis decus augent illustri nomine civitates, montis radicibus adiacentes, pietatis ac religionis monumenta et domicilia passim magno numero extructa, incolarum frequentia alteque in iis insitus loci amor, in quo scilicet eorum maiores catholicae religioni securum tutumque perfugium calamitosis temporibus invenerunt. Libanum late Maronitae insident mollioribus fusi iugis; illic Patriarchalis regiminis sedem habent; gens factis clara quae olim s. Ludovico Galliae Regi in Saracenos inferenti signa, sumptis armis strenuam operam contulit; at constantia nobilior qua catholicam fidem inter plura discrimina laboresque integram atque illibatam servavit.

In hac gente contigit Aprili mense proximi elapso, ut Patriarchalis Antiochena Sedes ob interitum venerabilis Fratris Pauli Petri Massad, pastoris sui praesidio viduaretur. — Iustis Patriarchae extincto exsolutis, Maronitarum Episcopi die XXVIII eiusdem mensis, successoris eius deligendi causa, communem conventum habuere. In eo concordissimis animis plenoque consensu, venerabilem Fratrem Ioannem Hagg Archiepiscopum Heliopolitanum Maronitarum, virum prudentiae laude spectatum, qui in curandis Ecclesiae rebus sedulam operam extincto Patriarchae navaverat, Antiochenum Maronitarum Patriarcham renunciarunt. Deinde, ut par erat, suffragatores Episcopi et Patriarcha ab ipsis electus, suas ad hanc Apostolicam Sedem dedere litteras rei gestae nuncias, a Nobis flagitantes, ut electionem ipsam Apostolica auctoritate Nostra probare et confirmare vallemus. Cum rem omnem, ex more, Consilio Nostro fidei propagandae negotiis ritus orientalis praeposito cognoscendam detulissemus, idem Consilium tota rei gestae ratione perpensa, supplicandum Nobis censuit, ut sanatis, quatenus opus sit, quibusque vitiis, quae in ipsam electionem incidere potuerint, Maronitarum Antistitum precibus annueremus. — Paterna caritas qua Maronitarum gentem prosequimur facit, ut libenter iis auctoritate Nostra praesto simus : et cum summopere Nobis cordi sit Maroniticae Ecclesiae prosperitas, mandata, hac occasione, dedimus memorato Consilio Nostro negotiis ritus orientalis praeposito, ut ea decernat ac statuat quae eo pertinent, ut ecclesiastica disciplina ad praescripta Synodi Libanensis anno **MDCcxxxvi** habitae, accuratius pleniusque serveto^Nujnc'autem. firma fiducia freti fore, ut Patriarcha delectus, quo maiore di-

gnitate praefulget, eo impensius de religione et Ecclesia apud Maroniticam gentem sua vigilantia, opera, sollicitudine mereri studeat, Eius electionem seu postulationem ad Patriarchatum Antiochenum Maronitarum probandam ratamque habendam existimavimus, eumdemque Venerabilem Fratrem in luculentius dilectionis Nostrae testimonium, sacro pallio de corpore Beati Petri sumpto, ut postulat, decorandum censuimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Maronitis factam de persona Venerabilis Fratris Joannis Petri Hagg, sanatis, quatenus opus sit, quibusque vitiis quae electioni ipsi potuerint officere, probamus ratamque habemus, Eumque solventes a vinculo, quo Ecclesiae Heliopolitanae Maronitarum obstringitur, ad Patriarchalem Antiochenam Ecclesiam Maronitarum, cum omnibus privilegiis, quibus decessores eius ab hac Apostolica Sede ornari consuevere, evehimus et promovemus, et Patriarcham ac Pastorem Maronitarum fidelium, uti in decreto ac schedula consistorialibus significabitur, constituimus ac declaramus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In Nomine Patris *f&* et Filii >£ et Spiritus 8S¡ Sancti. Amen.

His igitur quae ad Orientalem Ecclesiam pertinent, rite peractis, propositum est amplissimi vestri Ordinis honorem deferre praestantibus quatuor viris, qui sive in episcopali ministerio gerendo, sive in negotiis huius Apostolicae Sedis agendis, integritatem, fidem, prudentiam, studiosamque in Ecclesiam voluntatem, Nobis constanter probarunt.

Hi autem sunt: *Vincentius Vannutelli* Archiepiscopus tit. Sardianus, apud Lusitaniae et Algarbiorum Regem Fidelissimum, ordinarii Nuntii Nostri munere perfunctus, quem S. R. E. Cardinalem creavimus et in pectore reservavimus in Consistorio habito die xxx Decembris anno MDCGCLXXXIX: item *Sebastianus Galeati,* Archiepiscopus Ravennatensis : *Gaspar Mermillod,* Episcopus Lausanensis et Genevensis: *Albinus Dunajewski,* Episcopus Cracoviensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate onnipotentis Dei, sanctorumque Aposto-

lorum Petri et Pauli, et Nostra, publicamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem

VINCENTIUM VANNUTELLI

Insuper creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

SEBASTIANUM GALEATI
GASPAREM MERMILLOD
ALBINUM **DUNAJEWSkl**

cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In Nomine Patris *i&* et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

PROTESTATIO

Venerabiles Fratres

Cum vos, extremo anno superiore, hoc ipso in loco alloqueremur, ingravescentibus rerum asperitatibus permoti, plura quidem indicavimus tamquam recentia vulnera, quae Ecclesiae Sedique Apostolicae adversarii imposuissent. Nominatim lex a Nobis memorata est de *Operibus Piis,* paulo ante rogata: quam quidem a iure iustitiaque multimodis discrepantem Nos profecto, uti meministis, reprehendere pro ufficio apostolico atque improbare nequaquam praetermisimus. Sed cum nihilominus id omnino studeatur legis ipsius maturare cursum, idcirco facere non possumus quin vocem rursus tollamus, et eâ, qua par est, animi libertate conqueramur, quod inimica vis vel extremas bonorum ecclesiasticorum reliquias persequatur. In hoc quidem tam diuturno adversus Ecclesiam bello quotidiana sunt iniuriose perniciosequе facta: non tamen animo cadimus, propterea quod in caelesti praesidio maximam firmissimamque spem collocavimus. Vindicabit Deus ipse iura sua, Nobisque, pro eius gloria hominumque salute laborantibus, tribuet idem et dimicandi virtutem et vincendi facultatem.

Quibus expletis, sequentes proposuit Ecclesias:

PATRIARCHALEM ECCLESIAM ANTIOCHEN. Nationis Siro-Maronitarum vacan, per obitum bo. me. Pauli Massad, ultimi illius Patriarchae extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Hagg Archiepiscopi Heliopolitan. Maronitarum, qui ab Episcopis catholicis eiusdem nationis in conventu S. Mariae de Becorki, in Monte Libano, unanimi consensu et acclamatane electus ac postulatus, Ioannis Petri assumpto nomine.

CATHEDRALES ECCLESIAS PENNEN, ET ATRIEN, sibi invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Aloisii Martucci, ultimi illarum Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Morticeli!, Presbyteri Sulmonensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Sulmonae progenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, examinator pro-Synödalis et Promotor Fiscalis in Curia, Praefectus Congregationis pro casibus moralibus ac liturgicis, hucusque Canonicus Poenitentiarius patria in Cathedrali renunciatus est.

METROPOLITANAM ECCLESIAM VIENNEN, in Austria /vacan, per obitum clar. me. Coelestini S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Ganglbauer, postremi illius archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Gruscha Episcopi titularis Carrhensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM HYDRUNTIN. vacan, per obitum bo. me. Salvatoris Brunonis Bressi, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Caietani Caporali, Directoris Generalis Congregationis Missionis a Pretioso Sanguine D. N. I. C, Presbyteri Lancianensis archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui hodie *Castelfrentano* vulgo'nuncupatur, olim Castro novo, archidioeceseos Lancianensis progenitus, et in sexagesimo sexto aetatis suae anno constitutus, suae Congregationis Definitoris, Vice-Directoris et hucusque Directoris Generalis muneribus perfunctus est.

ECCLESIAM EPISCOPALEM TITULAREM NIPOLITAN. sub Archiepiscopo Damiatensi, vacan, per successionem ad Sedem Angrensem R. P. D. Francisci de Souza de Lacerda, favore R. P. Iosephi Consenti e Congregatione SSmi Redemptoris, Presbyteri archidioeceseos Hydruntinae; qui etiam deputatus fuit in Coa-

diutorem cum futura successione R. P. D. Ioannis Acquavi va Antistitis Nuscani. R. P. Iosephus Consenti ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in oppido Salentinorum Galatano *(Gakttine)* Hydruntinae archidioeceseos progenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, Theanensi in urbe suae Congregationis domo ipsi adsignata, pluribus in locis Dei verbi Praeconem egit, ac etiam Romae ter Marianum mensem ad S. Alphonsi in Exquiliis summopere absolvit.

METROPOLITANAS ECCLESIAS AGHERUNTIN. ET MATHERANEN. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Iesualdi Nicolai Loschirico, ultimi illarum Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Fr. Francisci Mariae Imparati, ex Ordine Minorum Observantium S. Francisci, Antistitis Venusini.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NOLAN. vacan, per obitum bo. me. Iosephi Formisano, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P.D. Agnelli Renzullo Antistitis Aeserniensis et Venafrani.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM PHILOMELIEN. sub Archiepiscopo Synnadensi, vacan, per obitum bo. me. Stephani Neszveda, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Andrzejevicz, Presbyteri archidioeceseos Gnesnensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in villa *Kotowiecko* paroeciae *Droszew* progenitus et quinquagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, archiepiscopalis Consistorii generalis consiliarius, examinator prosynodalis, iudex synodalis, Censor librorum, et Cathedralis concionator constitutus est. Ab intimis Cubiculis supranumerariis SANCTITATIS SUAE et ad praesens usque Gnesnensis metropolitanae Canonicus renuntiatus est. ^

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM TIBERIADEN. sub Archiepiscopo Petrensi, vacan, per translationem ad Cathedralem Sedem Sioux-Fallensem R. P. D. Martini Marty, favore R. P. D. Iosephi Ceppetelli Episcopi Ripani.

CATHEDRALEM ECCLESIAM RIPAN. vacant, per translationem R. P. D. Iosephi Ceppetelli ad titularem Ecclesiam Tiberiadensem, favore R. D. Hyacinthi Nicolai, Presbyteri Ripanae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Montisprandonum,........dioeceseos Ripanae progenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus,

Canonicus Narniensis aliquando renuntiatus, illo in seminario theologiae dogmaticae, ac institutionum biblicarum Professoris, atque Rectoris munere perfunctus, inter suae dioecesis Examinatores synodales adscitus, et penes Ecclesiam S. Benedicti M. ad S. Benedictum prope Truentum Ripanae dioecesis Abbatem-Parochum ad praesens usque egit.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM CYDONIEN. sub Archiepiscopo Cretensi vacan, per translationem ad Sedem Lahorensem R, P. Fr. Szymphoriani Monard, Ordinis Minorum Capulatorum S. Francisci, favore R. D. Angeli Boccamazzi Presbyteri Beneventanae archidioecesis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppidulo Tufaciae Beneventanae archidioeceseos, ac Molisanae provinciae progenitus et septuagesimum septimum aetatis suae annum supergressus, in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, a sa. me. Pio Papa IX secreti Cubicularii honore condecoratus, et hucusque Emi ac Rmi Domini Camilli S. R. E. Presbyteri Cardinalis Siciliano de Rende, Archiepiscopi Beneventani, qua Apostolici Lucerinae Sedis Administratoris, Vicarius in spiritualibus generalis renuntiatus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM DERBEN, sub Archiepiscopo Antiochen. Pisidiae vacan, per translationem ad Cathedralem Sedem Oscensem R. P. D. Vincentii Alda et Sancho, favore R. P. D. Petri Podaliri, Presbyteri Recinetensis; qui etiam deputatus fuit in Ausiliarem R. P. D. Thomae Gallucci Episcopi Recinetensis et Lauretani. R. D. Petrus Podaliri ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Recineti progenitus et in septuagesimo aetatis suae anno constitutus, in utroque iure dudum doctorali laurea ditatus, Iudicis, Examinatoris synodalis, ac seminarii Deputati perfunctus muneribus, ac inter SANCTITATIS SUAE Cubicularios supranumerarios adscitus, patriae Cathedralis Praepositus hucusque renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LIPAREN. vacan, per translationem R. P. D. Mariani Palermo ad Cathedralem Sedem Platiensem, favore R. D. Ioannis Petri Natoli Presbyteri Liparensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Liparae progenitus et sexagesimum primum aetatis suae annum supergressus, ecclesiae Cathedralis, ac totius dioeceseos Magistrum Cappellanum agens, secunda Decanatus dignitate hucusque inibi honestatus, atque eiusdem dioecesis administrator apostolicus ad praesens usque renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM FERETRAN. vacan, per obitum bo. me. Aloisii Mariotti, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Caroli Bonaiuti Presbyteri archidioeceseos Bononiensis. R. D. Carolus Bonaiuti ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Bononiensi in archidioecesi montana progenitus et sexagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, ruralis paroeciae *Mascarino* vulgo nuncupatae Rectoris munere perfunctus, Archipresbyter - Parochus Castri S. Petri eiusdem archidioecesis hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DERTHONEN. vacan, per obitum bo. me. Vincentii Capelli, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Hygini Bandi, Presbyteri dioeceseos Viglevanensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco Zemidae (Zeme) Viglevanensis dioeceseos progenitus et in quadragesimo tertio aetatis suae anno constitutus, inter examinatores Synodales adscitus, tum pro-Vicarii generalis, tum Vicarii generalis munere ad praesens usque perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GUASTALLEN. vacan, per obitum bo. me. Prosperi Curti, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Andreae Ferrari, Presbyteri dioeceseos Parmensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroeciae Pratiplani, vulgo *Pratopiano* dioecesis Parmensis progenitus et in quadragesimo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea ditatus, almo theologorum Collegio Parmensi cooptatus, Oratoris, theologi Deflnitoris, Pro-Vicarii generalis, et Examinatoris Pro-Synodalis munere perfunctus, Basilicae-Cathedralis Parmensis ad praesens usque Canonicus renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM EBROICEN. vacan, per obitum bo. me. Francisci Grolleau, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Hautin, Presbyteri Parisiensis, ad nominationem perillustris viri Francisci Mariae Sadi Carnot, Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Franciscus Hautin ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Parisiis progenitus et quinquagesimum nonum aetatis suae annum supergressus, canonicus ornamentarius Capituli parisiensis et aurelianensis effectus, hucusque Vicarius generalis aurelianensis renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DIVIONEN. vacan, per translationem R. P. D. Victoris Luciani Sulpitii Lécot ad Metropolitanam Se-

dem Burdigalensem, favore R. P. D. Friderici Henrici Oury Antistitis Forojuliensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM BURDIGALEN, vacan, per obitum clar. me. Amati Victoris Francisci S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Guilbert, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Victoris Luciani Sulpitii Lécot, Antistitis Divionensis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM FOROIULIEN. vacan, per translationem ad Sedem Divionensem R. P. D. Friderici Henrici Oury, favore R. D. Eudoxii Eduardi Irenaeo Mignot, Presbyteri Suessionensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *BraneouM* dioeceseos Suessionensis progenitus et in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus, ornamentarius Canonicus Suessionensis adlectus, eiusdem civitatis ac dioeceseos Vicarius generalis renuntiatus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM. GERREN. sub Patriarcha Alexandrino, vacan, per successionem R. P. D. Henrici Caroli Camilli Lambrecht ad Sedem Gandavensem, favore R. P. D. Ioannis Ferdinandi Iacobi Esberard, Presbyteri dioeceseos S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Iosephi Pereira da Silva Barros, Antistitis Olindensis in Brasilia. R. P. D. Ioannes Ferdinandus Iacobus Esberard ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia S. Iosephi Episcopatus Barcinonensis progenitus et quadragesimum quartum aetatis suae annum supergressus in Ecclesiae Sanctae Theresiae S. Sebastiani dioecesis curam animarum pluribus annis administrans, inter SANCTITATIS SUAE Antistites Urbanos adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BELEMEN. de Para in Brasilia vacan, per translationem R. P. D. Antonii de Macedo Costa ad metropolitanam Sedem S. Salvatoris in Brasilia, favore R. D. Hieronymi Thomè da Silva Presbyteri dioeceseos Tortalexiensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco *Sobral* vulgo nuncupato dioecesis Fortalexiensis progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus, Romae inter Collegii Pii Latini Americani Alumnos adnumeratus, Sacerdotio et in philosophia, atque sacra theologia doctorali laurea dudum donatus, Pro-Vicarius et Episcopi illius a Secretis constitutus est. A sua dioecesi rite avulsus, et Olindensi Clero adscriptus, inibi ecclesiastico in foro Promotoris, ipso in se-

minario philosophiae Lectoris, ac penes gymnasium Ölindae pro lingua italica Professoris munere perfunctus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM EUCARPIEN. sub Archiepiscopo Synnadensi, vacan, per translationem R. P. D. Eduardi Gasnier ad Sedem Malacensem, favore R. P. D. Emmanuelis dos Sanctos Pereira, Presbyteri S. Salvatoris; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Antonii de Macedo Costa Archiepiscopi S. Salvatoris in Brasilia. R. P. D. Emmanuel dos Santos Pereira ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus ad S. Salvatorem in Brasilia progenitus et sexagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, Vicarii generalis, atque synodalis Examinatoris munere perfunctus, Archidiaconus prius in patria metropolitana renunciatus et hucusque Cantoris dignitate ibidem cohonestatus, inter Protonotarios Apostolicos adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM S. PETRI FLUMINIS GRANDENSIS AUSTRALIS, sive *do Sul* in Brasilia, vacan, per obitum bo. me. Sebastiani Días Larangeira, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Claudii Iosephi Goncalves Ponce de Leào Episcopi Goyasensis.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM CAMACEN. sub Patriarcha Constantinopolitano, vacan, per obitum bo me. Petri Ewjik, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Silverii Gomes Pimenta, Presbyteri dioeceseos Mariannensis in Brasilia; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Antonii Mariae Correa de Sa et Benavides Antistitis Mariannensis in Brasilia. R. P. D. Silverius Tomes Pimenta ex legitimis catholicis, honestisque parentibus in paroecia Dominae Nostrae Conceptionis, vulgo *Congonhasde Campo,* dioeceseos Mariannensis progenitus et quadragesimum nonum aetatis suae annum supergressus, Vicarii Capitularis prius, dein Vicarii in spiritualibus generalis, munere hucusque perfunctus, inter SANCTITATIS SUAE Urbanos Antistites, ac Protonotarios Apostolicos ad instar participantium adscitus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM. MYRINEN. sub Archiepiscopo Ephesino vacan, per obitum bo. me. Iosephi Andreae Boyer, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Isidori Barriga, Presbyteri dioeceseos Portus Veteris (Manabi), Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago *Iipyapa* nuncupato, dioecesis Portus Veteris progenitus

et in trigesimo octavo aetatis suae anno constitutus, Quitensi in urbe exactorem agens rationum, quae a Parochis ac locis piis quotannis producuntur, et Vicarium generalem supplens, iustitiae negotiis in foro contentioso addictus et illius metropolitanae Canonicus adlectus fuit. Archiepiscopus Quitensis, qua Apostolicus Administrator dioecesis Guayaquilensis, inibi illum decem abhinc annis in Vicarium generalem assumpsit, ac nuperrime in apostolicum Administratorem ab Apostolica Sancta Sede deputatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GOYASEN. in Brasilia vacan, per translationem R. P. D. Claudii Iosephi Goncalves Ponce de Leào ad Sedem S. Petri Fluminis Grandensis Australis sive *du Sul,* favore R. D. Ioachimi Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti Presbyteri dioeceseos Olindensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in dioecesi Olindensi Brasiliae progenitus et quadragesimum secundum aetatis suae annum supergressus, inter Alumnos Collegii Pii Latini Americam Romae cooptatus, ibique Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum licentiae gradu donatus, in patriam reversus Magistri munere in seminario dioecesano ac in scholis publicis perfunctus munere, suae Cathedralis Canonicus renunciatus, et ab intimo SANCTITATIS SUAE Cubiculo adlectus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM AZOTEN, sub Archiepiscopo Caesareensi vacant, per obitum bo. me. Francisci Bernert, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Augustini Gockel Presbyteri dioecesis Paderbonensis; qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. I). Francisci Drobe Antistitis Paderbonensis. R. D. Augustinus Gockel ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Buranae, *Büren,* dioeceseos Paderbonensis genitus et sexagesimum aetatis suae annum supergressus Sacellani curati in Warburg, Parochi Detmoldiae et Warsteinensis, nec non Decani ruralis muneribus successive per annos triginta septem perfunctus, Canonicus hucusque Cathedralis Paderbonensis et ecclesiasticus Consiliarius renunciatus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM DANSAREN, sub Archiepiscopo Edesseno vacan, per obitum bo. me. Iosephi Bugliari, ultimi illius Episcopi Ritus Graeci in Calabria, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Bellisarii Santistevan Presbyteri S. Crucis de la Sierra. Qui etiam deputatus fuit in coadiutorem

cum futura successione R. P. D. Ioannis Iosephi Baldivia, Episcopi Sanctae Crucis de la Sierra. R. D. Bellissarius Santistevan ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe S. Crucis de la Sierra progenitus et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum Licentiae gradibus donatus, hodierni S. Crucis de le Sierra Antistitis Secretarius de Camera et de Gubernio constitutus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CSANADIEN. vacan, per obitum bo. me. Alexandri Bonnaz, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Alexandri Dessewffy de Csernek et Tarkeo, Presbyteri archidioeceseos Strigoniensis, ad nominationem Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris. R. D. Alexander Dessewffy de Csernek et Tarkeo ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Posonii archidioeceseos Strigoniensis progenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, pro synodo operatorum Révisons, penes localem Scholam realem Episcopalis Commissarii in religionis et morum rebus perfunctus muneribus, Abbas S. Crucis, alias de Vértes-Keresztur, et hucusque Cassoviensis Canonicus et Archidiaconus renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ALBA REGALEN, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Pauer, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Philippi Steiner, Presbyteri dioeceseos Iaurinensis, ad nominationem Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris. R. P. D. Philippus Steiner ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, cui vulgo nomen *Fehéregyhas* dioeceseos Iaurinensis progenitus et quinquagesimum primum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus inter SANCTITATIS SUAE Praelatos Domesticos cooptatus et ad praesens usque Magno-Varadinensis Ecclesiae^ Canonicus Theologus renunciatus est.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM HEPHAESTEN. sub Archiepiscopo Pelusiensi vacan, per successionem R. P. D. Vincentii Flood ad metropolitanam Sedem Portus Hispaniae, favore R. D. Iuliani Kujlowski, Presbyteri dioeceseos Premisliensis Ritus Graeci; qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Ioannis Stupnicki Antistitis Premisliensis Ritus Graeci. R. D. Iulianus Kujlowski ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in *Koniuszki Krolewskie* dioecesis Premisliensis Graeci Ritus pro-

genitus et quartum supra sexagesimum aetatis suae annum supergressus in sacra theologia dudum Magistri gradu ditatus, Decanus, Canonicus gremialis atque Premisliensis Ritus Graeci Capituli Praepositus hucusque renunciatus est. Stanislaopoliensis Archipresbyter adlectus, inter SANCTITATIS SUAE Cubicularios ad honores adscitus est.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM SELYMBRIEN. vacan, per obitum bo. me. Vartani Estegar, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Eduardi Anger Episcopi titularis Alaliensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM S. SALVATORIS IN BRASILIA vacan, per dimissionem ac successivam translationem ad titula' rem Ecclesiam Archiepiscopalem Chalcidensem R. P. D. Aloisii Antonii dos Santos, favore R. P. D. Antonii de Macedo Costa Episcopi Belemensis de Para.

METROPOLITANAM ECCLESIAM SALISBURGEN. vacan, per obitum bo. me. Francisci de Paula Alberti Eder, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Haller Episcopi titularis Andrensis a RR. DD. Capitulo et canonicis Salisburgensibus in Archiepiscopum electi, seu postulati.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DE SERENA in ditione Chilensi Americae Meridionalis vacan, per dimissionem a R. P. D. Iosepho Emmanuele Orrego libere ac sponte in manibus SANCTITATIS SUAE peractam et ab EADEM admissam, favore R. D. Florentii Eduardi Fontecilla, Presbyteri S. Iacobi de Chile. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in urbe S. Iacobi de Chile progenitus ac trigesimum sextum aetatis suae annum supergressus, Capellanum maiorem Castrensem agens et in *Antofagasta* Vicarii Apostolici munere perfunctus, metropolitanae S. Iacobi de Chile Canonicus ad praesens usque renunciatus est.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM CHALCIDEN. vacan, per obitum bo. me. Severi Garcia, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Aloisii Antonii dos Santos Archiepiscopi dimissionarii S. Salvatoris in Brasilia.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SSMAE CONCEPTIONIS de Chile in America Meridionali, vacan, per obitum bo. me. Ferdinando Blaitt, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Placidi Labarca, Presbyteri S. Iacobi de Chile. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe S. Iaco-

bi de Chile progenitus et quinquagesimum primum aetatis suae annum supergressus, tribus in paroeciis animarum curam aliquando administrons, Vicarii Apostolici munere ad praesens usque perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SEGOBIEN. vacan, per obitum bo. me. Antonii Garcia et Fernandez, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Pozuelo et Herrero Antistitis Canariensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ABULEN. vacan, per translationem ad Sedem Victoriensem R. P. D. Raymundi Fernandez Pierola et Lopez de Luzuriaca, favore R. P. D. Ioannis Muñoz et Herrera Presbyteri de Antequera, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. R. P. D. Ioannes Muñoz et Herrera ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Antequerae progenitus et in quinquagesimo quinto aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia doctorali laurea, in iure canonico licentiae gradu dudum donatus Parochum aliquando agens, seminarii centralis Granatensis Rector adlectus est. Inter domus PONTIFICIS MAXIMI Antistites adscitus, et Canonicus Magistralis Granatensis Metropolitanae ad praesens usque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MINORICEN. vacan, per obitum bo. me. Emmanuelis Mercader et Arroyo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Comes et Vidal, Presbyteri dioeceseos Vicensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. R. D. Ioannes Comes et Vidal ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Manresae, dioecesis Vicensis, progenitus, et quadragesimum sextum aetatis suae annum supergressus, licentiae gradu in facultate theologica, et in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, Cordubensi ac Tarraconensi in urbibus Vicarii in spiritualibus Generalis, Visitatoris, Examinatoris tum Synodalis, tum prosynodalis, perfunctus muneribus, Tarraconensi in Metropolitana Archipresbyteri dignitate hucusque condecorarais est.

Ceteras hisce addidit Ecclesias per Litteras in forma Brevis novissime provisas :

EPISCOPUM TITULAREM DIOCLETIANOPOLIS renunciavit Venerabilem Fratrem Fidelem Abati, qui Cathedrali Chiensi valedixit.

AD SEDEM CHIENSEM transtulit Venerabilem Fratrem Dionysium Nicolosi Zacynthiensem et Cephaloniensem Antistitem.

CUM TITULO EPISCOPALI AZOTENSIS Ecclesiae Auxiliarem Paderbonensis Antistitis constituit dilectum Alium Augustinum Gockel, illa in Cathedrali Canonicum.

ASSUPJTANUM TITULUM EPISCOPALEM contulit dilecto filio Huberto Otto, e Belgii Congregatione ab Immaculato Corde Mariae Virginis, quem suum adlegit Vicarium in Kan-Su.

Dilectum Filium Martinum Poell, e Minoribus Hollandiae Recollectis, in suum Vicarium apud Ken-si meridionalem, ab ipso nuper erectum, Cybistrensi Ecclesiae titulari praefecit.

TITULAREM EPISCOPUM HIRINENSEM adlegit dilectum filium Carolum Iacobum Mac Donald, ipsumque assumpsit in perpetuum Coadiutorem Carolinopolitani Antistitis.

In Coadiutorem perpetuum Episcopi Mysuriensis in Indiis Orientalibus adlegit dilectum Filium Eugenium Kleiner, e Seminario Parisiensi pro Missionibus exteris, eique Episcopalem titulum adsignavit Ecclesiae Lyrbensis.

ANTIPATRIDENSI titulo Episcopali decoravit dilectum filium Constantinum Costa, e Congregatione Passionis D. N. I. C, eumque in Auxiliarem deputa vit hodierni Bukarestiensis Archiepiscopi.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SQUILLACEN.

ONERUM

Lie 25 Ianuarii 1890.

Per summaria precim.

COMPENDIUM FACTI. Testamentariis tabulis diei 16 Maii 1877 baronissa Aloysia Scoppa haeredem universalem instituit nepotem suum marchionem Aloysium Di Francia, simulque plura profana et sacra legata praescripsit, et ea inter, unum quod acri diuturnaeque controversiae occasionem suppeditavit, et peculiari petitioni de qua modo agitur, causam praebuit, cuius tenor hic est: iubeo meum haeredem Aloisium di Francia providere in perpetuum vestes et victum pauperibus duorum Municipiorum s. Catharinae super Ionium et Guardavalle.

Ad hoc legatum adimplendum haeres ab initio eodem modo se gessit ac pia testatrix, dum in vivis erat, consueverat. Verum *Congregationes Charitatis* duorum municipiorum, putantes huiusmodi legatum suae iurisdictionis esse, haeredem in ius rapuerunt, ut sortem oneribus satisfaciendis respondentem, sibi tribueret. Cum varia fortuna per omnes civilis iudicii gradus lis acta est: sed ad ultimum Marchio victor recessit; nam Neapolitana appellationis curia, cui a supremo *Cassationis* tribunali iterum causa iudicanda commissa fuerat, die 17 Ianuarii 1887 petitionem municipiorum reiecit. At quod patenter et iuridice municipia assequi huc usque non potuerant, tunc per alias vias tentarúnt; nam a supremo Consilio status in via administrativa petierunt, ut controversum legatum ens morale constitueretur; quod obtinuerunt per decretum diei 24 Martii 1887.

Haec dispositio, utpote haeredis iuris laesiva, Marchioni arridere certe non poterat; et ideo nova controversiis via

aperta videbatur: et reapse municipia denuo iam minitabantur litem se esse instauratum, nisi Marchio ad quamdam compositionem non consentirei. Porro, prosequitur marchio, qui orator hac in causa est, iam libellae 15000 in actis iudiciis impensae fuerunt, absque spe redintegrationis, quia Congregationes charitatis nihil possident et *gratuito patrocinio* fruuntur; hinc, rebus sic stantibus: 1. petiit facultatem ineundi compositionem cum sodalitiis charitatis tradendo caput, cuius reditus impendendi sint in operibus charitatis pro pauperibus duorum municipiorum. 2. Petiit, per eiusmodi traditionem, liberari a quocumque onere, ratione indeterminata imposito a pia testatrice. 3. Petiit, ad suae conscientiae quietem, super omissis quibusvis sanationem.

Disceptatio Synoptica

Animadversum est quoad primum precum punctum, nempe quoad licentiam conveniendi cum municipiis eisque congruam summam in legati adimplementum concedendi, nil videri obesse. Siquidem in primis ad id faciendum plena videtur esse in haerede potestas ; nam cum testatrix iusserit, suum haeredem pauperibus duorum locorum victum et vestes suppeditaturum, quin de modo et ratione distributionis quidquam praefìnierit; liber videtur haeres id praestandi per se aut per alium, ex speciali constituta sorte, aut indistincte ex universis suae haereditatis viribus.

Quin dicatur duobus municipiis eorumque Congregationi charitatis id muneris non posse committi : nam cum testatrix circa onerum adimplendorum modum, nihil ordinaverit nihilque vetuerit, in haeredis arbitrio esse videtur, quemlibet sibi magis bene visum delegare , et quaecumque mandare.

De cetero huiusmodi conventio moraliter necessaria est, attentis duorum municipiorum praesumptionibus et aemulationibus. Imo et utilis: nam si Marchio cum municipiis non transigat et conveniat, lites instaurabuntur, et dispendia crescent; quae quidem in damnum pii operis et in subsidiorum diminutionem certe redundabunt. At imo utilitas etiam

alio ex capite potest desumi. Nam in genere loquendo, maior cautio est ac prudentius ad perfectum perpetuumque onerum adimplementum, sortem ab haereditariis familiae viribus distinguere, et a familiaribus vicissitudinibus abstrahere, eiusque administrationem morali personae assignare; quam confidere in honestate et fortuna semper incerta piae, licet et in praesentiarum divitis ac religiosissimae familiae.

Quoad alteram precum partem, nempe quoad liberationem familiae a quacumque ulteriori praestatione statim ac duobus municipiis sortem in onerum adimplementum consignaverit, observari potest in primis piam testatricem nihil certi quoad quantitatem legati determinavisse: deesse insuper in themate elementa ex quibus hoc in puncto iustum iudicium efformetur; nam oporteret ad hunc effectum cognoscere quaenam essent totius haereditatis vires, quaenam legata et onera, quot in duobus locis pauperes, et quinam tales aestimandi, ac demum quales hac in re defunctae baronissae mores fuissent. Verum haec omnia nos latent, unde absolute loquendo nil certi posset concludi. At cum duae Congregationes charitatis segniores in petendo et praesumendo non sint, et aliunde orator piae religiosaeque conscientiae videatur, satis tuto credi potest pauperum causam defraudatum non iri. Idcirco, retinendo quod in conventione cum municipiis totum id a Marcinone praestetur quod pauperibus debitum est, concludere iure merito oportet hoc ipso a quocumque ulteriori onere liberari marchionem.

Idem plus minusve dicendum quoad tertium postulatum; quod magis ad plenam conscientiae tranquillitatem in vaga obligatione, quam ad dispensationem pro oneribus non adimpletis, factum videtur.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum

RESOLUTIO. S. Cong. Concilii, re cognita sub die25 Ianuarii 1890 respondit: *Praevia absolutione quoad praeteritum, quatenus opus sit, quae tamen non suffragetur Confraternitatibus charitatis, pro gratia, facto verbo cum SSmo.*

NEAPOLITANA

MATRIMONII

Die 22 Februarii 1890.

COMPENDIUM FACTI. Causa quae hodie Eminentiarum Vestrarum iudicio definienda proponitur, mulierem respicit infelicem, quae dum .esset parvula a sua noverca fuit ad matrimonium coacta, a quo ipsa et aerumnarum suarum, et paupertatis suae originem recognoscit. En facti compendiosa enarratio. Adelia de Dominicis Melitae in civitate ortum habuit a Moderato et Amalia Brocs. Vix quinquennium aetatis suae transegerat, quando, mortua sua matre, dolorum cepit tramites comineare. Pater enim suus Neapolim ab Alexandria Egypti cum sua prole venit, et suo fratri puerum et parvulam commendavit: Adeliam vero in puellarum educandarum convictu sub titulo SS. Virginis Miraculorum directricibus tradidit. Post aliud quinquennium Moderatus a Neapoli natum et filias ad Alexandriam Egypti revocavit, ubi iam in uxorem duxerat Elisam Cappello; quae in theatro alexandrino comoediarum actuosa corda virorum ad scopulos nova Siren polliciebat. Elisa erat vivax et superba et cerebrosa mulier, et virum suum sub iugo voluntatis suae tenebat illaqueatum. Moderatus brevi morbo correptus diem vitae suae explevit extremum, et Adelia sub pressura Elisae remansit, quae et sua tutrix erat et noverca. Transactis mensibus luctuosis, Elisa, ut sua privigna liberaretur, collatis amicorum consiliis, Adeliae quatuordecim annorum virum quadraginta annos habentem praesentavit, mandans ei ut hunc virum acciperet in maritum. Quod cum renuisset adolescentula, Elisa, - cui maxime poterat applicari quod scriptum est, nempe: *Non est ira super iram mulieris*-' privignam vexationibus oppressit, et nocte, una cum testibus consiliariis suis, quin denunciationes canonicae praecesserint, ad ecclesiam delegationis apostolicae eam ad matrimonium

duxit contrahendum cum viro adulto Petro Ingovitz. Inter lacrimarum effusionem, et convulsiones coram Parocho* testibus, et familiaribus huiusmodi matrimonium fuit celebratum. Adelia immediate post matrimonium, convulsione adhuc durante, brachiis servorum ad domum restituta per quindecim dies morbo quodam fuit afflicta, quo per duos annos frequenter laborare visa est; qua de causa per varias Italiae civitates ea, comitante famula a sponso assignata, pervagavit. Demum Neapolim venit, et ab avúnculo suo fuit benigne recepta. Petrus Ingovitz ut cognovit suam sponsam Neapoli degere, statim se contulit ad hanc civitatem et sponsam ante conspectum consulis austriaci imperii duxit, et mutua voluntate petierunt ab eo ut perpetuam thori et cohabitationis separationem inter sese pronuntiare^ retenta a Petro Ingovitz administratione bonorum sponsae Adeliae. Ingovitz, fortis sententia iam obtenta a consule, per annum pauca centena libellarum tradidit sponsae, postea vero nihil, quia bona omnia dissipavit.

In paupertate Adelia vitam ducebat miseram. Quadam die ipsa invenit sacerdotem senem, charitate replenum, divina disponente providentia, eique Adelia suae vitae vicissitudines narravit, quarum causa fuit coactio suae novercae ad huiusmodi matrimonium. Sacerdos eam docuit de nullitate huiusmodi celebrationis, et ut adiret ad Sanctam Sedem suasit, seque mediatorem proposuit. Summus Pontifex supplicationem accepit, et exaudivit ut in isthac Congregatione causa oeconomice ageretur. Sacra Congregatio Curiae Neapolitanae commisit ut processus dumtaxat informativus conficeretur, retenta ac reservata sibi inspectionis corporis ordinatione. Processus ad tramites constitutionis Benedicti XIV fuit accuratissime confectus.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Animadvertit consultor, matrimonium de quo in casu agitur, nullum esse ex defectu consensus;

nam matrimonium sine consensu, et consensus sine libertate, sunt duo absurda moralia. Nihil magis in iure exploratum inveniri, quam quod in nuptiis liber consensus requiratur; deficiente consensu, necessario nihili valet contractus matrimonialis. *Ex cap. Tuae fraternitati 25 de Spons. et matrim.*

Essentialis enim, ut ita dicam, substantia matrimonii est mutuus consensus, qui et contractus dicitur, qui contractus ad sacramentum a Christo Domino fuit elevatum. Ait enim Alexander III, *In cap. 14 De spons.* « Matrimonium solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus. » Pontius hanc Ecclesiae doctrinam explicans ait: « Maius et perfectius voluntarium requiritur ad matrimonii contractum quam ad alios civiles contractus. Et quidem cum alii contractus sint minoris momenti et natura sua dissolubiles humana auctoritate, vel contrahentium consensu, mirum non est si contrahuntur voluntate mixta. » *De matr. I. V; c. 14, n. 16.* Consensus ad matrimonium supponit 1. inclinationem quamdam ad nuptias. Haec inclinatio ex parte mulierum manifestatur externa tendentia conversandi cum viris. Huiusmodi tendentia usque ad decimum suum aetatis annum in Adelia nunquam fuit perpensa. Severissimis disciplinis educata nullum de ea signum aliquod dedit. II. Non solum consensus generalem inclinationem quasi remotam sui causam supponit, sed etiam specialem erga aliquem individuum a cuius forma, aetate, conditione femina fuerit allecta. Supponamus igitur Adeliam nubere desiderasse. Quemnam virum ei noverca sua praesentavit? Virum adultum quadraginta annorum! Adolescentula ad adolescentem se vertit, vel ad iuvenem. Adolescentula amat iuvenem, fastidit adultum. Amor .enim qui initium est coniugii, eiusque ratio, • anima et complementum, inter aequales exurgit, crescit et vivit. Adelia renuebat accipere in maritum Petrum, qui viginti sex annis aetate eam superabat. « Quando Ingovitz, ait sub iuramento Adelia, petebat domum ut nos visitaret, aversio permagna cepit enasci in me contra eum, etsi nullam prae-

teriret diem quin flores et bellaria mitteret. Memini quod alias, quum veniret, me abdidi sub lecto. Idem deponunt unanimiter testes; imo et ipse sponsus deponit, nec ante, nec post matrimonium Adeliam dedisse ei signum aliquod benevolentiae, sed magis potiusque repugnaniiae. Sed quomodo matrimonium fuit contractum ? A die praesentationis usque ad diem celebrationis matrimonii mensis unus transivit, hinc non poterat oriri amor ex longa conversatione quam Adelia semper devitavit. Matrimonium fuit initum metu gravi, iniuste incusso; et mihi videtur ex violenta animi coactione. Quamvis ad tollendam consensus libertatem non requiratur aperta vis vel magna formido, sed sufficiant machinationes, ut deduci potest ex decisione huius Sacrae Congregationis in *Parisien. Matrimonii 25 Iunii 1864,* vel preces violentaeque suasiones; cui accedit Conscius *De separat, thori L. 1,* c. *55, n. 21;* consultor tamen probare intendit, Adeliam magna formidine, et violenta animi coactione fuisse ad matrimonium cum Petro ineundum impulsam. Malum non semper debet respici in se, scilicet obiective, sed potius relate ad patientem. Quia cum sit privatio boni, quod ab uno concupiscite ut magnum bonum, ab alio ut parvum ; idcirco quod alicui est grave malum, alteri est leve. Quod omnibus reputatur grave malum est privatio libertatis exercitii. Ludibrium a plebe concipitur malum leve, ab aristocraticis malum grave ; sed carceris poena tam a nobilibus, quam a plebeis ut gravis timetur. Privatio libertatis pro puero, pro puella consistit in clausura, quamvis omnia desiderabilia in ea inveniantur. Puella quatuordecim annorum in prima evolutione sistematis sentimenfalis ducitur impressione phantasiae, quae in ea aetate vivacior est quam in ulteriore annorum progressu. Puellae timidiores sunt quam pueri ex debili conditione sexus. Age nunc, Moderatus pater Adeliae haec in testamento disposuit, praecepit: quoniam fieri posset quod aliqua ex filiis meis, obliviscens votum meum supremum, reddat gravem difficilemque propriam habitationem cum noverca, - de qua in immediate antecedenti articulo dicebat, eamque

creabat matrem et tutricem privignarum -, hoc in casu et de assensu contutoris, puella claudetur in conservatorio, in quo provisa erit de omni re, et in quo morabitur usque ad maiorem aetatem. Cum renuisset igitur ducere in suum maritum Petrum, voluntati novercae resistens, septem annos ad claustra cum privatione libertatis exercendae erat damnanda. Et noverca iuxta unanimes testium depositiones superba iracunda et cerebrosa capax erat nimis dandi executionem mandatis testamentariis. Verum accessit descriptio claustri in urbe Alexandriae facta a consiliario novercae, quae descriptio nimis accendit phantasiam Adeliae, metumque eius adauxit. Quomodo puellae phantasia escandescere debebat! Puella propter aetatem credula, timida, abhorrens a clausura, conscia durae dispositionis novercae suae et in eius potestate derelicta, poterat non timere? Conscius post plures canonistas *de sep. thor. coniti g. cap. XVI n. 54* ait: « Ex parte mulieris per testes dicitur probatus metus, si deponant de ipsius lacrymis et querelis, tam praecedentibus, quam ipsius actum celebrationis concomitantibus, et de tristitia et pallore subsequentibus. » Idem docet Rota 205 citans Menochium qui *de praes. lib.* 3 *praes. 4 n. 44* ait: « Praedicta signa, cum suspiriorum, ac lacrymarum ac tristitiae alia causa assignari non potest, metum significant. » Tam ipsa sponsa, quam testes huiusmodi signa adfuisse deponunt ante matrimonium, in ipso actu, et post matrimonium; imo adfuisse signa, quae probabilissime indicant minime consensus verba prolata fuisse. Cum metus - ait Bossius *cap. XII § 22 n. 344* - « sit difficilis probationis quia clam et infer domesticas parietes infertur, ideoque non solum admittuntur consanguinei et domestici in testes, sed eis magis creditur. » Idem definivit Rota, *decis. 147 n. 4 et 10.* Idem Aretinus *(consul. 13).* Idem plurimi canonistae. Quadam die de sero, ait sponsa, ad coenam apud nos vocatus fuit Petrus a mea Noverca, et ego atroci dolore airiciebar, dixique eidem Novercae « Numquam me matrimonio iungam cum Petro Ingovitz », sed ipsa persécuta me est, mihi damna minitans. Qua de re

ferae convulsiones me fortiter torquerunt, quarum terminus fuit magnus fletus. Alia autem vice coacta fui a Noverca petere parvam capellani, in qua reperi Ingovitz cum aliis. Memini tantum quod incessanter flevi, et quod genuflectens apud altare, ubi sacerdos loquebatur de oneribus matrimonii, evanui amittendo sensum auditus et visus, ignorans quid aliud evenerit. Quum ad sensus rediverim, veste nuptiali me indutam vidi, coram noverca et sorore mea. In hoc casu quidquam potest affirmare Adeliam verum liberumque consensum dedisse, si compos sui non erat? Coram sacerdote circumdata testibus et noverca coactoribus suis, qui cum essent consiliarii novercae hoc matrimonium praepararunt, et ad assensum puellam cogebant, quomodo poterat dissolvi, fugere, vel obstare? Vel non dedit assensum, et parochus equivoco quodam vocem malignae novercae, pro voce Adeliae suscepit, vel convulsionem parochus, hilaritate dicam !, spernens somniatum antecedentem consensum sumpsit pro praesenti ! Et tamen Alexander III haec iubet, in *C. cum locum 14 de spons. :* « Animus est indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit et sequatur exitus qui de invitis nuptiis solet evenire. » Pontifex ius naturae declarabat promulgans. Verum audiamus Petrum qui procul a Neapoli maxima distantia coram Curia Lebacensi, cum iuramento deposuit, cuius depositionis verba ab eadem curia in latinum sermonem translata fuerunt, quod sequitur : « Circa mensem Septembris an. 1869 prima vice hanc personam vidi, nempe Adeliam, sponsae domum saepius frequentavi, quae fauste affecit animum meum, simul autem cum tristitia animadverti quod non sit bene educata, et aversionem erga me manifestaverit. Ope et intercessione domini Levi et causarum patroni Dominici Gatteschi actio promota et producta est usque ad sponsalia », nempe quando noverca Adeliae ait : Adelia, hic erit tuus sponsus, sed illa contemnendo nihil respondit. Matrigna ipsi non favebat et eam male tractabat... facile animadverti poterat desiderium matrignae, ut liberaretur quocumque modo a privigna. Die

copulationis, scilicet matrimonii, videbatur valde commota in statu abnormi. Post peractam copulationem facta est mente non compos et dum copulatione peracta sacerdos sermonem habuit passa est deliquium animi... Permansit in deliquio animi per plures horas, et a medico visitabatur sequentibus diebus... Matrimonium cum coniuge mea nunquam consummavi. Omni conversationi meae erga me semper eadem infausta esse perseveravit. »

De puellae absoluta aversione a matrimonio cum Ingovitz testantur Angelus de Petris, Maria de Dominicis mulier domini Schiapparella, Carolus de Petris et Luisa Sorrentino.

Si igitur ad matrimonium contrahendum requiritur consensus liber, et, eo deficiente, matrimonium non contrahitur, *ex cap. Tuae fraternitatis 25 de spons. et matr.:* si iuxta definitionem S. C. C. *in Parisien. Matr. 25 Iunii 1864* neque ad tollendam consensus libertatem requiritur aperta vis et magna formido: si iuxta doctrinam Conscii *de sep. thori L. 1 cap. 55 n. 21* « ad irritandum matrimonium quod significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quae fundatur in amore libero ac voluntario non in coactione, satis minor metus requiritur, quam in ceteris contractibus propter maximam voluntatis libertatem » quid dicendum de matrimonio in themate, cum fuerit initum aperta vi et magna coactione?

Verum supponatur dubium de gravitate metus puellae, ita ut dubitetur an sit grave malum in puella quatuordecim annorum privatio exercitii libertatis, quod certissime ipsi imminet, et certe sua noverca ad effectum deducet. Quid concludendum? Pro gravitate metus standum esse. Ad rem Bossius: « Etsi in dubio pro matrimonio, seu in illius favorem sit iudicandum, nihilominus id minime procedat, ubi adsit metus: ita quod in dubio an matrimonium sit metu an sponte contractum an metu gravi, aut levi, iudicandum potius est metu, aut metu gravi, quam sponte, aut metu levi, et ita *non valere.* » *Bossius de Matr. contr. cap. XIII, % 10 n. 146,* Franciscus Molines *iÀb. 2 de Ritu Nuptiali*

disser. 17 num. 61 et 81. Idem definivit Rota Romana, *decis. 19 n. 16,* apud Farinacium *Lib. I cons. aliique.* In casu nullum dubium invenio quia lucida apparet coactio metu peracta.

Consultor prosequendo suum thema ait: matrimonium hoc non fuit ratificatimi et inspectio corporis inanis evadit. Et ideo in hoc paragrapho breviter subiiciam Eminentiarum Vestrarum iudicio quod matrimonium in themate non fuit revalidatum et procedam de hypothesi ad hypothesim contra meam consueiudinem usque adhuc servatam, et hoc ut evidenter appareat libertas Adeliae ad alia vota transeundi. Prima hypothesis est, Adeliam copula carnali habita cum Petro Ingovitz re validasse matrimonium consensu tacito. Verum non habuisse copulam primo demonstrabo, et postea etiam in hypothesi copulae carnalis, non revalidavit matrimonium. Conscius, *Lib. 1 de separ. (hor. coniug. cap. XVI.: «* Cum constat, ait, coniuges nunquam una simul cohabitasse » scilicet in eodem cubiculo, « tunc soli eorumdem coniugum assertioni de non subsecuta consummatione omnimodam adhibendam esse fidem. » Hoc idem tenet Hostiensis, *In summa lit. de convers. coniug. n. 9.* - Baldus in *leg. Deo nobis 42 n. 9 et* alii. Sed ambo asserunt cum iuramento nunquam copulam habuisse. Ambo coram consule austriaco affirmarunt impossibilitatem insimul commorandi, quia temperamentis oppositis invicem adversantur. Quod et testes iidem deponunt.

Sed supponamus habuisse copulam ; poterat hoc revalidare matrimonium? Duo requiruntur ad matrimonium secreto revalidandum: scientia nullitatis matrimonii et copula spontanea habita cum affectu maritali. Schmalzgrueber *tom. 4 part. 1. tit. 4 § 421* Sánchez *De matrim, lib. 4, disp. 18.* In adolescentula quae vixit in putato statu matrimoniali usque ad decimum nonum annum, et postea coram consule austriaco repudiata fuit a Petro Ingovitz, non potest suspicari quidem inesse scientiam impedimentorum dirimentium. Ipsa circumdata erat personis quae interesse habebant ut ipsa teneret validum fuisse matrimonium ab ea initum. Pe-

trus idem, qui et quadraginta quinque annos habebat, cum dereliquit Adeliam, nescius erat invai'ditatis matrimonii: quomodo suspicandum hanc scientiam adfuisse Adeliae ? Relate ad copulam, fuitne affectu maritali consummata? Nequaquam. Si ipsa, Adelia, tantam repugnantiam habebat conversandi cum Petro, uti ipsa et testes affirmarunt, et huiusmodi repugnantia tanto tempore perseveravit, et consilia et exortationes amicorum et propinquorum audire noluit, poterat haberi copula affectu maritali? Contradictio mihi potius videtur in hac hypothesi esse recognoscenda.

Demum etiam supponamus, Adeliam habuisse scientiam nullitatis sui matrimonii, supponamus quoque adfuisse copulam affectu maritali; fuitne matrimonium revalidatum? Nequaquam. Revalidar i matrimonium potest secreto, cum impedimentum dirimens est secretum. Sed quando impedimentum est publicum non potest revalidari secreto. Benedictus XIV *Institut. 87 n. 62-63,* distinguens occulta impedimenta a publicis, scribit : « Si matrimonium publice initum est coram parocho et duobus testibus, et impedimentum quoque publice innotuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus iterum coram parocho et duobus testibus praebeatur. » Pluries ex hac Sacra Concilii Congregatione, et ex decisionibus Rotae in publico impedimento matrimonium restitutum non fuit, nisi rursus coram Ecclesia celebraretur. Barbosa *in vot. decis. L 2 vot. 17 n. 178* ad rem ait : « Quia omnis forma et solemnitas quae debet intervenire in actu, ut valeat, debet quoque intervenire in ratificatione eius; nec potest deservire solemnitas prius secuta, quoniam illa debet concurrere de tempore actus, nec potest ab eo separari. » Populus scit matrimonium effici libero consensu ante Ecclesiam, tantum credit non posse dissolvi sine Ecclesiae ipsius sententia. Abhorret a coactis matrimoniis, quia in illis concipit substantiale impedimentum, scilicet defectus consensus. Existimat, sponsos esse qui matrimonium coacte celebrarent usque dum Ecclesia non declaret matrimonium huiusmodi fuisse nullum. Publicum aliquid dicitur quod no-

tum est sex et pluribus personis, vel iuxta alios ultra decem. Hinc secretum quod non a pluribus quam vel quatuor vel quinque personis, et iuxta alios non ultra quam septem, ad summum decem personis notum est. Sed ego sequar secundam opinionem, quae vix probabilis dici potest. In casu habemus novercam, sororem Adeliae, quatuor testes, cocherium Salem, Angelum de Petris, et fratrem Adeliae, sacristain qui parocho aderat, testes septimae manus qui asserunt conscientiae eorum constare de coactione. Imo et notorium fuit impedimentum, quia adspiciebant ambulantes inter brachia cocheril Salem et alterius puellam convulsam, et audiebant certo causam convulsionis, supponendo etiam quod nemo fuisset Cristi fidelium in ecclesia qui celebrationi matrimonii adesset. Publicum fuit igitur impedimentum, .addatur notitia medici, et famulae, nec non facilis pervulgatio facti quod fuit tanti momenti. Non solum ex doctrina plurium canonistarum, praesertim citati Barbosae *etiam in op. de offic, et potest. Episc. all. 32 n. 149,* et Fagnani, sed etiam ex decisionibus S. C. C, speciatim ex illa 17 Maii 1880 matrimonium in themate debebat revalidari coram parocho et duobus testibus.

Quod cum factum non sit nullitas matrimonii, quae ab initio scilicet in ipso actu celebrationis fuit, perseverat adhuc. Inutilis evadit inspectio corporis, quia non est disserendum an impotentiae impedimento accusetur matrimonium in themate, sed de consensu. Supponatur quod Adelia vidua fuerit, et metu gravi coacta iniret matrimonium in secundis nuptiis, valeretne inspectio corporis ? Supponatur etiam Adeliam ab altero defloratam fuisse, huiusmodi defloratio potestne revalidare matrimonium? Potestne destruere argumenta omnia quibus probatur matrimonium fuisse nullum? Inspectio in hoc casu quid potest declarare? Opportunum videtur librare quidquid scribit Ordinarius neapolitanus respondendo interrogationi sibi factae a Secretario S. C. C. ait enim: rogavi parochum de ratione vitae Adeliae ; respondit fuisse parum normalem ; etsi ab alia spectabili persona certior factus sim,

oratricem esse fidedignum, et rationem eius vitae integerrimam. Quomodo conciliari possunt huiusmodi depositiones extraiudiciales? Contradictoriae propositiones possuntne haberi? Quis dicit veritatem, parochus, aut aestimabilis vir alter? Homines sumus et fallere et falli possumus. Credere fas est potius testibus septimae manus , qui iureiurando deponunt ingenuam, castam, sinceram et religiosam esse Adeliam. Vel Adeliae vitam esse publice immoralem, ut testatur parochus, et tunc nemo potest affirmare esse intemeratam, et vir conspicuus mentitur; vel parochus intendit de privata et occulta vita Adeliae loqui, et tunc de fonte a qua attigerat notitiam admonere debebat Archiepiscopum. In hisce nostri temporis tempestatibus calumniae multiplicantur. Vir conspicuus si ad Archiepiscopum Emum de bona vita Adeliae testatus est, de privata eius vita testificari intendebat, et tunc quare parochus de privata vita attestando ait, Adeliam male se gerere? Sequitur Archiepiscopus: Quidquid tamen sit, nunc Adelia laudabilem sequitur vivendi normam, et frequenter accedit ad sacramentalem confessionem.

Ergo, conclusit Consultor, matrimonium est nullum defectu consensus, non est revali datum nec secreto, nec coram parocho, nec inspectione corporis indiget explicatio virginitatis Adeliae.

VOTUM THEOLOGI. In causa matrimonii inter Adeliam De Dominicis et Petrum Ingovitz ipsa casus seu facti cognitio sufficit ut iure matrimonii illius nullitas declaretur. Ex iis enim quae, iuxta optime confectum Neapoli processum, matrimonium illud vel potius matrimonii caeremoniam ac speciem praecedunt, comitantur et subsequuntur, defectus liberi consensus, imo vero manifestus puellae dissensus clare apparet.

Praecedentia. Praecedit ex parte puellae annorum *quatuordecim,* a sponso annorum *fere quadraginta,* constantissima animi aversio seu antipathia et naturalis repugnantia: ex parte vero novercae constautissima matrimonii huius

concludendi voluntas, atque inde in puellam, quae defuncto patre tota est sub imperiosae novercae potestate, moralis violentia at^ue iniuste incussi s metus. Simplici puellae, quae matrimonii vix ullam habet ideam, matrimonium hoc proponitur vel potius impon tur. Aut illi nubat, homini scilicet aetate, natione, indole ac foima ab ea prorsus dissimili, quem amare nequit : aut si novercae molesta sit, iuxta patris testamentum in alimo puellarum educandarum Instituto, quod puellie instar carceris describitur, includatur. Utinam infelix puella imaginarium potius carcerem elegisset, in quo libertatem invenisset, qua certe carebat domi! Constanter puella ab hoc coniugio animi aversionem verbis, lacrymis, et factis osten-¡it, tum novercae, tum ipsi sponso, tum aliis pluribus, sed frustra. Nullus itaque ad diem usque nuptiarum praecedit liber consensus, imo positivus praecedit dissensus. Omnia haec probantur per depositiones ipsius Adeliae, et quamplurimorum testium.

Comitantia. Comitatur matrimonii caeremoniam eadem animi repugnantia, imo etiam crescit. In ipsa nuptiarum die vel potius nocte, inter lacrymas nuptialibus vestibus indui tur, per horas luget, ac tandem a noverca in Vicariatus Apostolici sacellum privatim ducitur, ubi sponsus ac testes sponsam expectant. In ipsa caeremonia vires illi animi corporisque deficiunt atque in deliquium prolabitur: ab altari in sponsi domum ad lectum adhuc exanimis deducitur, in quo sensibus destituta in ipsa nuptiali veste primum iacet per plures horas, et febri ac convulsionibus deinde aegrota per plures dies. Forte ante deliquium in nuptiali caeremonia requisitum consensum, sin minus verbis, saltem signo aliquo expressit invita: sed quanto eloquentiora sunt signa dissensus! Certe in tanta animi perturbatione, quae totam caeremoniam comitatur, nec actualis nec virtualis apparet consensus liber, sed potius virtualis actualisque dissensus.

Ad concomitantia referri ea etiam possunt quae luctuosam illam nuptialem caeremoniam, quasi complementum, proxime sunt subsequuta; ea scilicet quae in processu ha-

bentur de nuptiali annulo amisso post duas hebdomadas deque primo sponsi et aegrotantis sponsae in ipsa domo occursu; sponsa enim post quindecim dies haud recordabatur sponsum, qui vocatus a Noverca, adit Adeliam, a qua excipitur utique sine orrore sed miserationis sensu; quia timens ac verens erat aspectus viri, ut ipsa retulit Adelia.

Subsequentia. Num saltem, post nuptias ea infelici nocte celebratas, puella de necessitate, ut dici solet, virtutem fecit, et liberum tandem aliquo modo dedit consensum? Nullatenus ! quod quidem mirum videri potest, praesertim quum illa putaret, licet invitam, indissolubili vinculo coram Ecclesia iam fuisse ligatam, et vir omnibus benevolentiae officiis eam allicere ultra duos annos, praesens, absens, conatus sit. Ille quidem contra spem speraverat fore ut semel ac coram Ecclesia initae nuptiae fuissent, paulatim dum adolesceret, ac maturior fieret, tanta puellae ab eo matrimonio repugnantia cessaret, quam puerili obstinationi et temporariae pertinaciae magna ex parte tribuebat : unde saepe a noverca et sponso *puella pertinax* appellabatur: sed illa iuxta processum in ea repugnantia et aversione semper *pertinax* mansit, ab initio ad *legalem* usque post duos vel fere tres annos separationem; quae quidem *de facto* citius, scilicet post primos tres menses, incepit.

Antecedentia itaque, comitantia, et consequentia nullitatem istius matrimonii ob defectum consensus vel potius ob iugiter permanentem dissensum, manifeste ostendunt.

Matrimonium hoc, manifeste nullum ob defectum consensus, nullum mansisset, etiamsi consummatum fuisset: sed quum in supplici Oratricis libello postuletur ut matrimonii vinculum vel ex iure nullum declaretur ob defectum consensus, vel si quod forte sit dubium, utpote ratum et non consummatum, ex gratia solvatur, pauca de hoc etiam capite dicenda sunt.

Ex processu evidenter constat etiam post nuptias Ader liam vitam duxisse puellae potius propriam quam coniugis. Ipse vir, praesertim ob cognitam puellae ab eo aversionem,

sed etiam ob teneram eius aetatem, ob pueriles mores ingenuamque simplicitatem, ob debilem eius valetudinem, eam amanter ut puellam tractavit, atque a prima coniugalis vitae periodo usque ad separationem, sponsam curae commisit ancillae, quae potius ut socia quam ut famula tum domi tum extra, tum die, tum nocte, tamquam cum puella, amice moraretur. Nuptialem lectum in ipsa sponsi domo nunquam vidit; separatim a viro suum habebat nocte cubiculum, atque in ipso nuptiali itinere separatim a viro cum famula in alio dormiebat cubiculo. Post tres a coniugio menses nuptiali expleto itinere, vir eam Venetiis cum famula reliquit, et *de facto* a viro separata longissimo tempore, eum numquam vidit. Ille quidem Alexandriae Aegypti degebat, nisi forte ob sua negotia alio digredi quandoque cogeretur: illa vero, utens, abutens, pecunia, quae a viro liberaliter atque amanter mittebatur, primum Venetiis, deinde in pluribus, Helvetiae praesertim et Germaniae, urbibus commorata est, tandem Neapoli apud suos : semper a viro corpore spirituque divisa, donec ille Neapolim venit cum spe aliqua coniugalem vitam cum ea Alexandriae ineundi, quum iam esset maturior et decimum septimum vitae annum attigisset. Coniugale tamen debitum illi proponere non est ausus per se, sed solum indirecte per consanguineam mulierem in cuius domo degebat : sed frustra. Utrum Adelia, quae se matrimonii vinculo ligatam putabat, iure consensum negare potuerit, heic non quaero, soli facto insisto: illa ab omni consortio cum tali viro abhorruit. Indignatus ille legalem separationem minitatur, culpam omnem, dedecus, atqua damna in eam refundens : illa et praesentia et futura damna, dedecus et culpam in se suscipit, atque omnibus, quae etiam circa dotalia bona vir voluerit, caece subscribit ; tandem a viro legali ter separatur, sed intacta. Sed iam supervacaneum est haec ex processu probare, quum iam ex iuratis Doctorum testimoniis, quae in processus supplemento afferuntur, omnino constet eam, facta corporis inspectione, intactam repertam fuisse.

Difficultas tamen aliqua in re adeo manifesta proponi

potest ex supplici libello, ab utroque coniuge subscripto, qui Austro-Hungarico Consuli, pro separatione a thoro et mensa et cohabitatione, Alexandriae oblatus fuit. Sponsa enim declaravit se nullum commercium carnale habuisse cum marito, ultimis sex mensibus, ideoque utero non gestare.

Nonne haec verba implicant, illam *ante ultimos sex menses* cognitam a viro fuisse? Haec forte fuit causa cur exemptio ab inspectione corporis denegata fuerit, licet oratrix eam enixe ob verecundiam deprecaretur.

Responsionem difficultati ipsa iam dedit inspectio; sed praeterea respondeo, quemadmodum ipsa in processu sponsa respondit: ea verba esse *legalia,* atque in eo legali documento id solum dictum fuisse quod a civili lege pro separatione postulabatur, ne mulier graviditatis conscia separaretur. Forte etiam virum puduit id totum absque necessitate coram Consule dici, quod deinde generatim ipse cum iuramento in ecclesiastica curia testatus est, quodque ex germanico translatum sermone ita in neapolitano processu legitur.

Matrimonium cum coniuge mea numquam *consummavi. Causa ex parte coniugis est ipsius* aversio erga me : *ex mea parte violata* mei aestimatio. Coram saeculo *autem nos gessimus et agimus* propter decorem *tamquam coniuges in concordia viventes.*

Altera est difficultas, quae potius negativa dici potest quam positiva, quod scilicet in eo supplici pro separatione libello nihil dicitur de vi sponsae illata et de defectu consensus; sed tacite supposita matrimonii validitate hoc tantum dicitur quod sponsi ad invicem separantur ex diversitate animorum, quae immediate post contractum matrimonium apparuit, quaeque illico innuit con vivendi impossibilitatem.

Responsio ex eo est manifesta quod coniuges per caeremoniam illam, licet invita puella, in sacello peractam, infauste indissolubile vinculum se contraxisse putabant: hinc de sola separatione cogitarunt, ac de rationibus quas coram civili lege vim habere sciebant. Utinam scivissent prius,

quod sero nimis a sacerdote didicerunt, illud iure ab Ecclesia nullam declarari posse ob defectum consensus, vel etiam ex gratia utpote ratum tantum et non consummatum dissolvi !

Quae cum ita sint, Emi Patres, meo quidem iudicio huius matrimonii nullitas *absolute* declarari potest ex iure, ob defectum consensus, nisi forte ad cautelam iuxta preces addenda videatur ex gratia, matrimonii, si forte matrimonium extitit, rati et non consummati solutio.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimonium, ait defensor, ;uod anno 1870 die 28 Aprilis contraxit cum Petro ingovitz in aetate annorum40 constit ito, Adelia de Dominicis, quindecim annos nata, nullum ac irritum primum proclamat, quasi ipsa, patre orphana, in illud consenserit ob metum, a noverca sibi illatum ; deinde matrimonium opere imperfectum dicit, quia etsi per biennium cum viro permanserit, coniugali tamen genio indultum nunquam est.

Haec occentat Adelia; sed ad iuris amussim minime demonstrat. Quod enim attinet ad metum , duo necessario praestanda erant. Scilicet - *primo* - ostendendum erat, minas, deliquium aliaque, quibus Adelia obnoxia fuisse dicitur, eius generis esse ut gravem metum iure constituant : - *secundo* - ineluctabiles argumentis astruendum erat, Adeliam reapse ista perpessam fuisse. Iam vero quae in actis prostant nec *primum nec alterum* conficiunt.

Quo vero ad incosummationem matrimonii Adelia in medium affert testimonium extraiudiciale medici Trimbali, medici Rocco, qui de mandato iudicis Adeliae reluctantis corpus inspexit, et Theresiae Stagliano, fungentis munere honestae matronae et obstetricis. Hi tres censuerant, Adeliam in statu esse integritatis. Adeo levia ea sunt quibus Adelia confidit !

Huc accedit quod ea, quae Adelia modo asserit sive de metu sive de inconsummatione matrimonii, e diametro pugnant cum iis, quae eadem, simplex ac innocens puella, ore suo fassa est ac manu propria firmavit coram magistratu laico. Etenim Adelia dum a viro dissociari studebat, apud

saecula em potestatem protessi est: sese ex consilio mariti domum mariale re neavisse. Ratione; tamen tunc apparuisse etiam maiores ; et ideo illico pandidisse viro voluntatem non conviveadi cum eo. Talia ins per ad manus mariti pervenisse documenta, ceu fassa est ipsa Adelia, quae probant, virum rite posse doleri de ratione age idi spo >sae. His stantibus cia ius apparuit necessariam o uni io fuiss legalem separationem; ast ad vitanda scandala, Ad d a n lassam esse horum omnium sese causam esse; sibique subeuadas esse omnes consequentias. Tandem declarasse no t habu s-se carnale commercium cum marito, *diurnis sex mensi)as.*

Quibus praemissis proposita fuerunt diiuen la

D' Ma

I. *An constet de matrimonii nullit He in casu.*

Et quatenus negative

II. *An sit consulendum SSiïio pro dis^ ensatione a matrimonio rato et non consumnato in caste.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 22 Februarii 1890, censuit respondere: Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Provisum in primo.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Essentialem substantiam matrimonii positam esse in mutuo consensu contrahentium; et ideo quando de eo dubitatur, indagandum esse an animus, de cuius consensu dubitatur, plena gavisus sit securitate et libertate.

II. Maius ac perfectius voluntarium requiri in contractu matrimonii, quam in aliis contractibus certum esse; primum enim, elevatum a Christo ad dignitatem Sacramenti, per contrariam contrahentium voluntatem non resolvitur; alteri autem, quum sint minoris momenti, natura sua humana auctoritate et contrahentium consensu sunt dissolubiles.

III. In themate voluntatem mulieris caruisse debita libertate ad conctractum matrimonii, probatum videtur per testes, et per coniugum depositiones.

IV Probatum dici metum si testes deponant de puellarum lacrymis et quaerelis, tum ante, tum tempore celebrationis matrimonii et de tristitia et pallore matrimonium subsequentibus.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

Istruzione sui chierici colpiti dalla leva militare.

Boma 16 Settembre 1875.

La Suprema Congregazione dei S. Offizio incaricata da Sua Santità dell' esame della nuova infausta legge sul reclutamento, testé promulgata dal Governo Italiano, in rapporto alla promozione dei Chierici agli Ordini sacri, dopo aver portato la sua attenzione su tale argomento nelP adunanza della feria V, loco IV 9 del corrente settembre 1875...., guidata dall'intendimento di agevolare, per quanto è possibile, a traverso alle molte difficoltà che si oppongono, la promozione dei chierici che sono forniti dei requisiti voluti dai ss. Canoni, e tenere lontani quelli, che avendo subito il servizio militare, non offrono garanzie sufficienti di buona riuscita, ha riconosciuto espediente di additare ai reverendissimi Ordinarii delle Diocesi d'Italia alcune norme, cautele e prescrizioni applicabili alle varie evenienze, che tutte si compendiano nei seguenti articoli:

1. Per quegli alunni ecclesiastici, i quali hanno la sventura di appartenere alla prima categoria e non possono sperare di essere riformati; né possono ottare per mancanza di mezzi al volontariato di un anno, la promozione agli Ordini sacri è una necessità, che sia differita fin dopo compiuto il servizio attivo di tre o cinque anni, e previi indubbii argomenti di vocazione ed idoneità.

2. Né si ravviserebbe espediente invocare nei casi particolari, in via di grazia, la dilazione dell'anno 26 per subire il volontariato di un anno, o il servizio triennale, sull'esempio degli individui contemplati dalla legge negli articoli 7 a 9, nell'intendimento di compiere gli studi e ricevere gli Ordini sacri : poiché seppure venissero ammésse tali domande, potrebbero seguirne conseguenze disastrose ed irreparabili alla Chiesa ed agli indi-

vidui. stessi, qualora avvenisse, che durante il servizio militare perdessero la vocazione e si pervertissero.

3. Più utile sembra favorire il volontariato d' un anno. Al quale effetto i reverendissimi Vescovi procureranno promuovere nelle loro diocesi una pia associazione fra il clero e laicato cattolico da essi presieduta, colle di cui elargizioni possa sopperirsi o in tutto o in parte a seconda della condizione degli alunni, alla tassa richiesta dal governo, ed anche sovvenirli durante il volontariato.

4. A questo beneficio dovrebbero ammettersi quegli alunni solamente, i quali per la loro indole e per la loro antecedente condotta, offrono fondatissima speranza, che si manterranno nella vocazione, nonostante l'anno di volontariato, e che quindi proseguiranno la carriera ecclesiastica; potendo altrimenti fomentarsi l'infingardaggine, e profondersi inutilmente una liberalità verso di chi non amasse sostenere il servizio triennale, e quindi compiuto 1' anno di volontariato si ritirasse dalla carriera ecclesiastica, allegando mancanza di vocazione.

5. Quegli alunni che per difetti fisici cadono sotto riforma potranno essere promossi ai ss. Ordini anche entro il biennio, in cui possono essere sottoposti ad altro consiglio di leva, qualora il difetto sia di tal natura, da non potersi dubitare, che venga revocato il precedente giudizio di riforma.

6. Rimangono tuttavia ferme le prescrizioni dei ss. Canoni in ordine a quelli che presentano difetti inducenti irregolarità, pei quali deve implorarsi nei singoli casi la dispensa Pontificia.

7. Maggiori cautele richieggonsi per quei giovani chierici i quali hanno dovuto subire il servizio attivo di tre o cinque anni e quindi si presentano per riassumere la carriera ecclesiastica. I criteri per la loro ammissione potrebbero essere: — *a).* La vocazione allo stato ecclesiastico abbastanza dimostrata in antecedenza: — *b).* La condotta da essi tenuta durante il servizio militare: — *e).* Il fermo proposito di riassumere la carriera ecclesiastica, tornati che siano nelle loro case.

8. Ma per avere una certezza morale sulle buone disposizioni conservate dai giovani chierici in mezzo alle armi e fra i pericoli delle caserme, i reverendissimi Vescovi non risparmieranno il loro zelo ed operosità, usando tutti quei mezzi valevoli, se non a superare almeno a diminuire le molte difficoltà che si frappongono; e frai varí, si suggeriscono i seguenti:

a) A quei giovani che partono col proposito di mantenersi nella loro vocazione, oltre ai salutari ammonimenti a conservare lo spirito mediante la possibile frequenza delle pratiche religiose, e la lettura dei libri ecclesiastici, non escluso il da Kempis *De imitatione Christi,* dovrebbe imporsi l'obbligo, se occorre anche in iscritto, di tenere sempre informato il proprio Vescovo intorno ai luoghi ove essi saranno di guarnigione, per raccomandarli alla sorveglianza, carità e consigli dell'Ordinario locale, ed avere da esso opportune informazioni, mediante la cooperazione di qualche buono ecclesiastico, od anche laico, fra quelli segnatamente che saranno ascritti alla pia Associazione pel contributo alla tassa del volontariato, di cui all' art. 3. Questa specie di tutela reputasi necessaria ed oltremodo proficua; ed i reverendissimi Vescovi non dovrebbero avere a grave di prestarsi a questo scambievole officio.

b) Quelli a di cui favore risultassero informazioni ^disfacenti, potranno al loro ritorno essere riammessi allo fta». • clericale, ma non così facilmente agli ordini sacri; mentre prima dovrebbero esigersi sufficienti prove di loro vocazione, mediante la dimora di qualche anno in qualche convitto ecclesiastico o nel seminario, separatamente però dagli alunni, ed ove sia difetto di tali luoghi, sottoporli alla direzione e sorveglianza attiva di qualche pio, dotto e discreto sacerdote, per far rivivere in essi lo spirito ecclesiastico, e correggere quei difetti, che per quanto si voglia, è assai diffìcile che non abbiano contratto nella milizia.

e) Infine la maggiore o minore necessità di ministri dovrebbe essere il movente a facilitare più o meno la promozione dei medesimi agli Ordini sacri, per non esporre gli unti del Signore a riassumere il servizio militare più o meno attivo, a seconda delle diverse categorie, alla evenienza di una guerra, e subire pure le conseguenze funeste della medesima.

9. Per gli stessi riguardi, non minori cautele si esigono nella collazione dei beneficii, ossia dei canonicati della Cattedrale, e segnatamente Teologale, Penitenziaria e Parrocchiali. Di questi ultimi, tranne il caso di assoluta necessità, dovrebbe adottarsi per massima la collazione fra quelli solamente che sono esenti da ogni servizio militare per aver varcato il 39. anno di loro età.

10. Ad agevolare tale intendimento sarebbe cosa lodevole

ed utile, se i reverendissimi Vescovi si adoperassero col loro zelo a promuovere le vocazioni, nei giovani adulti esenti da ogni pericolo di divenire militari, educandoli al sacro ministero nel Seminario, separatamente dagli alunni, od in altra guisa che stimeranno acconcia alla buona riuscita.

11. Qualora poi la necessità obbligasse a conferire le Parrocchie od altri officii ecclesiastici a sacerdoti, che ad onta di avere in antecedenza esaurito il servizio militare a seconda delle categorie a cui appartengono, sono tuttavia vincolati dalla legge a riassumere le armi in caso di guerra, sarà della prudenza dei reverendissimi Vescovi usare delle cautele nelle collazioni; dichiarando in simili casi il provvisto amovibile; o per lo meno facendo ad esso accettare la condizione di rilasciare liberamente una porzione delle rendite e proventi del beneficio parrocchiale secondo il prudente arbitrio del proprio Vescovo, a favore di quello che interinalmente dovrebbe sostenere le veci.

12. La stessa condizione dovrebbe esigersi nella provvista della Penitenziaria e della Teologale.

13. Quando per ragione dei mesi od altri titoli, la provvista è riservata alla S. Sede, sarà pure opportuno che i reverendissimi Vescovi nelle commendatizie che rilasciano facciano espressa menzione della condizione dei concorrenti, cioè se ancora sieno oppur no soggetti alla legge militare.

14. Le stesse misure di sorveglianza notate sotto 1' art. 8, lettera «, dovrebbero adoperarsi per gli ecclesiastici di cui l'art. 11, quante volte pel caso di guerra dovessero militare; e tornati che siano dal servizio, sarà cosa espediente che si ritirino in santi esercizi per qualche tempo, prima che riassumano il sacro ministero, onde richiamare in essi lo spirito ecclesiastico.

15. Pei casi sopra indicati i reverendissimi Vescovi potranno dispensare dalla legge di residenza i Parrochi ed altri prebendati, che vi sarebbero astretti dal loro officio, come pure dalla irregolarità pei chierici o sacerdoti che avessero potuto contrarre durante le fazioni militari.

16. Avvenendo casi con circostanze eccezionali e non previste, sarà della prudenza dei reverendissimi Vescovi ricorrere alla S. Sede per analoghe istruzioni.

Roma, li 16 Settembre 1875.

CARD. PATRIZI

Versio Latina

S. Inquisitionis praecepto quoad clericos delectu militari compulsos.

Suprema, cui a S. Officio nomen est, Congregatio, de mandato sibi a SSmo Patre funestae Legis de militari delectu ab Italico Dominatu nuper promulgatae examine quatenus ea Clericos attingit, sacris ordinibus initiandos, postquam ad hanc rem sedulo animum intenderet in comitiis Feria V. Loc. IV. die IX. Septembris hoc anno MDCCCLXXV habitis, eo consilio percita ut, quoad eius fieri possit contra innumeras, quae oggeruntur, difficultates, eorum Clericorum promotionem, qui omnibus per sacros canones praescriptis conditionibus rite praediti sunt, facilem reddat, et ii arceantur, qui, postquam stipendia fecerint, certam cautionem haud exibent se in bonos utilesque Presbyteros evasuros; opportunum iudicavit Rmis Dioecesium Italicarum Episcopis regulas quasdam, praeceptiones et documenta praebere, quae variis possibilibus eventis applicari possunt; quaeque omnes consequentibus articulis comprehenduntur.

1. Quoad illos ecclesiasticos alumnos, qui ad primam cathegoriam, per summum infortunium, pertinent, nec sperare possunt fore, ut a militia subeunda quandoque eximantur, nec, deficiente pecunia, per annum voluntariae militiae nomen dare, eorumdem ad sacros ordines promotio omnino differatur oportet, quousque tribus aut quinque annis stipendia milites conscripti fecerint, praeviis quidem divinae vocationis indubiis argumentis.

2. Neutiquam expedire videtur peculiaribus in casibus invocare, gratiae loco, anni XXVI dilationem ad subeundam sive voluntariam unius anni, sive coactam trium annorum militiam eorum exemplo, quos legis articuli VII. VIII. IX memorant; eo quidem consilio ut studia compleantur, et sacri recipiantur Ordines : quia, etsi huiusmodi petitiones fortasse exciperentur, funesta tamen atque irreparabilia exinde incommoda cum Ecclesiae, tum vero etiam Alumnis ipsis consequi possent, si forte contingeret, eos, quo tempore stipendia faciunt, divinam, ut aiunt, vocationem amittere atque in nequitiam erroremve abduci.

3. Utilius videtur militiam uno anno sponte subeundam assentiri. Ad quem scopum Rmi Episcopi piam sive inter Cleri-

cos, sive inter Laicos catholicos societatem, cui iidem Episcopi praeerunt, suis in Dioecesibus instituendam promovendamque curabunt; cuius largitionibus statutum a Principe pretium vel ex integro, vel ex parte pro varia Alumnorum conditione, solvi possit, atque iisdem voluntariae militiae tempore opitulari.

4. Hoc beneficium nihilominus in illos tantummodo Alumnos conferri deberet, qui cum ob bonam ipsorum indolem, tum vero etiam ob morigeras anteactae vitae rationes spem firmissimam praebent, toto voluntariae militiae tempore in sancto proposito perstituros, atque ideo ecclesiasticae vitae curriculum deinceps prosequuturos: ne cuius forte desidia foveatur, ac frustra pro quopiam prodi getur piorum liberalitas, qui a triennali militia abhorrens, elapso voluntariae militiae anno, ab ecclesiasticae vitae proposito, divinae vocationis defectum praetexens, abscederet.

5. Alumni, qui ob quaslibet corporis pravitates a militia subeunda excluduntur, ad sacros Ordines promoveri poterunt, etiam intra biennium, quo alteri militaris delectus consilio obnoxii sunt; dummodo eiusmodi sit ea pravitas, ut dubitari nullo modo possit, praecedens exclusionis iudicium fore revocandum.

6- Firma tamen atque immota manent, quae per sacros Canones sancita sunt, quoad illos qui corporis pravitatibus laborant irregularitatem, quam vocant, inducentibus; pro quibus Romani Pontificis singulis in casibus dispensatio imploranda est.

7. Ampliores profecto cautiones quoad eos iuvenes clericos adhibendae sunt, qui stipendia tribus aut quinque annis coacti milites fecerunt, ac dein ecclesiasticum habitum vitamque iterum suscepturi se sistunt. Criteria in iisdem admittendis haec esse poterunt. — *a)* Divina ad ecclesiasticum statum vocatio, iam satis ante comprobata. — *b)* Commendabilis vitae ratio toto militiae tempore constanter servata. — *c)* Firmum animi propositum, statim ac domum reversi fuerint, ecclesiasticum habitum vitamque iterum suscipiendi.

8. At vero ut moralis certitudo habeatur de bonis animi dispositionibus, quas iuniores Clerici inter arma, et contubernio-rum pericula servarint, Rmi Episcopi sollertissimam navabunt operam, iis omnibus adminiculis utentes quae haud paucas occurrentes difficultates, sin minus superare, minuere saltem valeant: quorum aliqua heic subiecta suggeruntur.

a) Iis iuvenibus, qui cum firmo animi proposito discedunt in sancta vocatione constanter persistendi, praeter salutaria monita, ut spiritum, Religionis officia quoad fieri poterit, frequentando, librosque ecclesiasticos, praesertim vero Kempisianum De imitatione Christi perlegendo, excolant atque conservent, obligatio imponenda esset, si opus sit, etiam scripto tradita, proprium Episcopum certiorem continenter faciendi de locis ubi identidem cum militiae sociis diutius constituri sint, ut eosdem localis Episcopi vigilantiae, charitati ac prudentiae commendare, atque ab ipso opportunas de illis cognitiones accipere possit, adscito adiutore ibi aliquo probo viro ecclesiastico, vel etiam laico, ex iis praesertim, qui Societati a contribuenda pecunia pro solutione vectigalis voluntaras militibus impositi, de quo sunt. in Art. 3., nomen dederint. Haec tutelae species necessaria, nedum valde utilis, reputatur; nec Rmis Episcopis adeo grave videatur huiusmodi officium sibi mutuo exhibere.

b). — Si de quorum moribus satis aequae relationes habitae fuerint, domum reversi in Clericorum numerum denuo admitti poterunt, at vero non ita facile ad sacros Ordines; prius enim haud dubia divinae vocationis argumenta exigenda forent imposita iisdem Clericis mora unius alteriusve anni in aliquo ecclesiastico Collegio, aut in ipso Seminario, disiunctim tamen ab Alumnis; et ubi huiusmodi loca desint, 'eos regimini ac sollerti vigilantiae alicuius probi, docti et prudentis Presbyteri subiicere praestat; ut in ipsis iuvenibus spiritus ecclesiasticus reviviscat, vitiaque corrigantur, quae quantumlibet cauti fuerint, summopere difficile est, eos in militiae exercitio nequaquam contraxisse.

e) — Denique maior aut minor sacrorum Ministrorum in unaquaque Dioecesi necessitas criterium esse deberet in eorumdem ad sacros ordines promotione facilius vel difficilius perficienda, ne quando uncti Domini, ingruente bello, ad militiam plus minusve diutinam, pro variis cathegoriis in quibus conscripti sunt, cum iis, quae exinde consequi solent, affatim funestis incommodis, denuo subeundam cogantur.

9. Easdem ob causas haud leviores exiguntur cautiones in Beneficiis, seu canonicatibus cathedralium, conferendis, theologali praesertim, poenitentiario et parochiali: quorum postremi in eos tantummodo conferri deberent, extremae casu necessitatis excepto, qui militari delectui iam amplius obnoxii non sunt,

utpote qui tricesimum nonum aetatis suae annum sunt transgressi : quod quidem tamquam axioma firmissimum profecto esset in praxi adoptandum.

10. Ad hoc consilium actu facilius reddendum, laude dignum esset atque utile, per Rmos Episcopos ecclesiasticas, ut aiunt, vocationes in adultis iuvenibus ab omni prorsus militiae iterum quandoque subeundae periculo exemptis, sedulo promoveri, sive illos in Seminariis, seiunctim quidem ab alumnis, ad sacrum ministerium educando, sive alios quovis modo, quem ad felicem exitum obtinendum opportunum iudicabunt.

11. Si quando vero Parochias ceteraque ecclesiastica Beneficia iis sacerdotibus, qui etsi iuxta cathegorias ad quas pertinent, militiae cursum iam expleverint, civili tamen lege ad arma iterum capessenda, urgente bello, obligentur, conferenda, forte necessitas cogeret, prudenti Rmorum Episcoporum consilio committitur specialibus, in iisdem conferendis, cautionibus uti, virum in Beneficii possessionem immissum hisce in casibus amovibilem declarando; aut saltem illum prudenter adigendo ut conditioni adstipuletur, portionem reddituum atque proventuum Beneficiis parochialis, iuxta prudens proprii Episcopi arbitrium, ei qui ipsius absentis vices interim gesturus sit|sponte relinquendi.

12. Eadem conditio in poenitentiarii et theologalis Canonicatus collatione exigenda foret.

13. Cum pro varia mensium ratione, aut aliis de causis, ad s. Sedem collatio spectat opportunum itidem erit, per Rmos Episcopos in Commendatitiis uteris, quae dantur, conditionis, in qua versantur ii, qui ad Beneficium assequendum concurrunt, expressis verbis mentionem fieri; videlicet utrum legi militiae quandoque sebeundae sint, nec ne adhuc obnoxii.

14. Eaedem vigilantiae rationes, in Art. 8 sub Lit. *a* adnotatae, quoad illos ecclesiasticos viros adhibendae essent, de quibus in Art. 11. sermo est, quoties hi imminente bello militare; utque fuerint a militia domum reversi, per statos dies piis Religionis officiis, quibus ecclesiasticus spiritus iterum excitetur, antequam sacrum Ministerium denuo exercendum suscipiant, operam daturi secedant oportet.

15. Iis in casibus qui hactenus commemorati sunt, Rmi Episcopi Parochos, ceterosque Beneficia ecclesiastica habentes ab assiduae, ad quam officii sui ratione cogerentur, praesentiae

lege eximere poterunt: itemque Clericos et Sacerdotes ab irregularitate, in quam toto militiae tèmpore fortasse incidere potuerint, absolvere.

16. Si qui vero casus cum extraordinariis nec opinatis adiunctis contigerint, prudentiae erit Rrnorum Episcoporum ad S. Sedem pro opportunis praeceptionibus accipiendis confugere.

C. CARD. PATRITIUS

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servae Dei Gemmae Virgini oppidi Gordiani Siculi sanctae et beatae nuncupatae.

In pago a Sancto Sebastiano nuncupato, Marsorum dioeceseos, ortum habuit Virgo Gemma. Eius parentes, ut honestae vitae subsidia sibi compararent, Gordianum Siculum dioeceseos Valvensis commigrarunt secum ducentes puellam, cui pusillum gregem pascendum commiserunt. Illibatae autem servandae virginitatis proposito, haec pia Virgo adhuc adulescens in angustam cellam se recepit: ubi, ceu columba in foraminibus petrae, solitariam vitam egit uni Deo adhaerere cupiens. Ibidem annos transegit quadraginta duos, demum vero lethali correpta morbo, sacramentis munita, immaculatum spiritum Deo reddidit anno, ut fert traditio, MCCCCXXIX. Statim ac vita iuncta est, Deus huius Famulae suae sanctitatem testatam voluit] prodigiosis signis.

Exinde fidelium devotio erga beatam Gemmam exorta est, eaque ita in dies succrevit, ut publicus eidem cultus exhiberetur, qui ad praesentem usque diem, nulla interiecta mora, perduravit. Eapropter Rmus Dnus Tobias Patroni hodiernus Episcopus Vaivén, et Sulmonen. autumans ope monumentorum, quae satis authentica et perspicua extimavit, demonstrare se posse a tempore immemorabili, ac longe ante decreta sa. me. Urbani Papae VIII, praefatae Servae Dei tributum fuisse publicum cultum ecclesiasticum, obtinuit a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per decretum Sacrae Rituum Congrega-

tionis sub die 12 Augusti superioris anni, ut in hac Causa ab ordinaria et iuridica inquisitione dispensantur, cuius vices plane supplebat series documentorum cura et studio ipsius Rmi Episcopi collecta, atque in authentica forma in actis Sacrae eiusdem Congregationis rite exhibita, praesertim Brevia Benedicti XIV et Pii IX.

Hinc instante ipsomet Rmo Episcopo, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta, Episcopus Ostien. et Veliternen., huiusce Causae Ponens, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An constet de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII in casu et ad effectum de quo agitur?*

Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Capram Sanctae Fidei Promotore, ad propositum Dubium rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu constare de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII* Die 27 Martii 1890.

De quibus facta postmodum per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, confirmavit cultum publicum ecclesiasticum, ab immemorabili tempore praestitum beatae Gemmae Virgini. Die 28 Aprilis anno eodem.

Card. ALOISI-MASELLA, *S. B. C. Praefectus*

L. * S.

VINCENTIUS **Nussi** *S. B. C. Secretarius*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 18 Iulii 1890.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO NOSTRO LEONE XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica

praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat, in Indicem librorum prohibitorum referri quae sequuntur Opera damnata atque proscripta a s. Congr. s. Romanae et Universalis Inquisitionis :

Lo spiritismo in senso cristiano, per Teófilo Coreni, — Presso P Unione Tipografico-Editrice. Roma - Torino - Napoli, 1890.— *Decret. S. Off. Fer. IV, die 16 Aprilis 1890.*

Les annales de Loigny, paraissant le 1er. Vendredi de chaque mois. — S'adresser á M. Glénard, à Loigny, par Orgères (Eure-et-Loir), Secrétaire de 1' Œuvre du Sacré-Cœur de Jésus-Pénitent de Loigny. — *Decret. S.Off. Fer. IV, die 11 Iunii 1890.*

La vérité sur Íes condamnations qui frappent Mathilde Marchat (Marie-Geneviève du Sacré-Cœur de Jésus-Pénitent) a Loigny au diocèse de Chartres, et les partisans de ses révélations.— Saint-Malo, Imp. du Commerce, Y. Billois, 8, rue Robert-Surcouf. 1889. — *Eod. Decr.*

La question de Loigny au 28 Février 1890. — Nécessité pour tous d'un appel à Sa Sainteté Léon XIII. — Saint-Malo, Imprimerie du Commerce, Y. Billois, Rue Robert-Surcouf, 1890. *Eod. Decr.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata, atque proscripta, quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, au\ haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 18 Iulii 1890.

CAMILLUS Card. MAZZELLA Praef.

Fr. HYACINTHUS FRATI Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

Loco Sigilli

Die 2 Augusti 1890 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affiocum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

APPENDIX L

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

ISOLANA.

Exposuerunt aliqui Canonici Cathedralis Ecclesiae Isclanae quod ibidem in solemnitate Sanctae Institutae ipsius Dioeceseos Patronae Dignitates, Canonici ceterique omnes nominatim appellati vulgari idiomate a Cancellario Episcopali procedere solent ad obedientiam per manus osculum praestandam Rmo Episcopo Missam Pontificalem peragenti. Quum vero nonnulli e Canonicis, qui titulo Protonotarii sunt insigniti, ut a ceteris dignoscantur, prae tendunt nuncupare per verbum ***Monsignore,*** quod reliqui Capitulares aegre ferunt. Hinc annuente Rmo Episcopo Isclano, sequens Dubium Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecerunt, nimirum :

An Protonotarius Canonicus interveniens cum Capitulo et in proprio habitu canonicali ad actum obedientiae, Episcopo exhibendum, appellari debeat ad distinctionem ceterorum, per supradictum vulgarem titulum praelatitium praemisso verbo Canonico et nomine N. N. ?

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribere rata est: In casu omnes Canonici appellentur latine absque distinctione, tantummodo per haec verba : ***Rmus Canonicus N. N.***

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 1 Februarii 1886.

DUBII.

A Sacra Rituum Congregatione quum exquisitum fuerit an quoties in privata recitatione separentur Laudes a Matutino, hoc semper concludendum sit post respectivam Orationem per ***f Dominus vobiscum*** etc et ***f. Fidelium animae*** etc. nec non cum ***Pater noster,*** iuxta sententiam, quam tenet S. Alphonsus de Ligorio in suo opere Theol. Mor. Lib. IV. Art. IV. n. 167? Sacra eadem Congregatio respondit: Affirmative.

Atque ita respondit. Die 1 Februarii 1886.

CARTHAGINEN.

R. D. Marianus Perez Estbeau Civitatis Murcien. Castrensis Parochus, de consensu Reverendissimi Ordinarii Dioecesis Carthaginen. quae sequuntur Dubia Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit, aempe :

Dubium I. Hispani Sacerdotes nuptias benedicentes stare ne debent tantummodo Romani Ritualis rubricis, aut obtemperare praescriptis in Manuali Toletano, ad calcem Ritualis Romani pro Hispaniae Ecclesiis exarato ?

Dubium II. Licet necne Hispanis Parochis proprio marte promiscue sumere praefatas Ritualis Manualisque rubricas, ad nuptiarum Benedictionem in utroque notatas?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, propositis Dubiis sic rescribere mandavit : in casu sumatur Rituale Romanum.

Atque ita rescripsit. Die 16 Februarii 1886.

SANCTIMONIALIS ORDINIS CiSTERCIENSJS.

Quum Monialibus Ordinis Cisterciensis in Hispania degentibus ignotum foret Kalendarium ab Apostolica Sede approbatum et confirmatum die 7 Februarii 1871, Officium Divinum huc usque ipsae persolverunt, iuxta antiquum in suis Breviariis appositum, quod a recentiori in pluribus differt, et in quo non pauca inveniuntur festa ab utroque clero in Hispania vel in respectivis Dioecesibus peragenda. Nunc vero ex notitia novi praefati Kalendarii pro universo Ordine Gisterciensi iisdem Monialibus nonnulla Dubia orta sunt, quae Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecerunt, videlicet :

Dubium I. Novissimum Kalendarium Cisterciense per litteras Apostolicas confirmatum, observandum ne est de praecepto ab omnibus utriusque sexus Religiosis Cisterciensis familiae quocumque ex antiquis Kalendariis excluso?

Dubium If. Possuntne vel debent Sanctimoniales ipsius Ordinis recitare ut antea Officia Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, Patronorum Regni, Dioeceseos, Civitatis, nec non cetera utrique Clero praecepta in locis ubi degunt?

Dubium III. Possuntne retineri Officia tam ab ipsis Monachis in Hispania huc usque persoluta, de quibus in Breviariis et Appendicibus in usum sui Ordinis non constet concessa fuisse pro omnibus ad Horas Canonicas adstrictis, etiamsi probabile sit ex ipso facto admissionis et consuetudinis?

Dubium IY. Suntne etiam apponenda Officia novissima ab Apostolica Sede universali Ecclesiae praecepta?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii ita propositis Dubiis rescribendum censuit :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative si constet ea Officia ad ritum Cisterciense a Sacra rituum Congregatione fuisse aptata, et Oratricibus concessa, ac pro ipsis 'approbata; secus Negative.

Ad III. Petendum est indultum ab Apostolica Sede in casu.

Ad IV. Non debent sed possunt apponi, postquam vero ea ad ritum Cisterciense fuerint redacta.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 27 Februarii 1886.

MEXICANA.

Perillustris et Rme Dne uti Frater,

Ab hac Apostolica Sede percontabatur Amplitudo Tua utrum usus veli, quod adhiberi solet penes Ecclesias istius Mexicanae regionis in ritu sacramenti Matrimonii licitum nec ne sit?

Quum Sacra Rituum Congregatio in iis locis, ubi hic vetustissimis usus viget, prout in Galliarum Dioecesibus, eiusmodi ritum haudquaquam vetuerit, Amplitudo Tua illum in sibi credita Archidioecesi servari permittat, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Romae die 27 Februarii 1886.

Perillustri et Rmo Dno uti Fratri.

Archiepiscopo Mexicano.

URBIS

BASILICAE S. LAURENTII IN DAMASO.

Ex parte Capituli perinsignis Collegiatae Basilicae S. Laurentii in Damaso de Urbe, in qua altare maius est orientalis formae, in sua tamen integritate consecratum, quaesitum est : Utrum extra Chorum possit in parte eiusdem altaris anteriori ad populi commoditatem celebrari Missa privata, ac Angelorum panis fidelibus dispensari, item Ssma Eucharistia publice exponi et cum eadem adstantibus benedici, nedum in sacris functionibus triduanis,novemdialibus aliisque eiusdem generis, verum etiam cum in Oratione quadraginta Horarum fit solemnis eiusdem Ssmi Sacramenti repositio?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, proposito Dubio sic rescribere rata est : Affirmative : In repositione tamen quadraginta Horarum Missa in parte occidentali celebretur, si fieri potest, Choro in eadem parte adstante.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 30 Martii 1886.

VICARIATUS APOSTOLICI CONSTANT1NOPOL1T AN I.

Exponens hodiernus Kalendarii redactor pro Ecclesiis Vicariatus Apostolici Constantinopolitani, cui ut plurimum Archiepiscopus aliquis praeest titularis, antiquissimum usum ibidem vigere addendi in Missis Collectam pro Episcopo tum die anniversario consecrationis episcopalis Vicarii Patriarchalis pro tempore, tum de ingressu in eumdem Vicariatum ; ab Apostolica Sede humillime expetivit: Quae-

nam verba usurpanda sint uniformiter in Oratione, Secreta et Postcommunione, quum e Sacerdotibus alii aliter, non sine fidelium admiratione, veluti ad libitum titulum ipsius Reverendissimi Ordinarii enuntiare soleant ?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, super proposita quaestione ita rescribendum censuit, nimirum:

In casu dicendum: ***Famulum tuum N. quem huic Ecclesiae praeesse voluisti*** ; et ita in Secreta et Postcommunione: in Canone vero : ***Antistite nostro.***

Atque ita rescripsit. Die 30 Martii 1886.

DUBII.

Quum a Sacra Rituum Congregatione quaesitum fuerit: An in Festo Sancti Ioseph hodie Ecclesiae universalis Patroni pia sodalitia, quae in Oratoriis Officium Beatae Mariae Virginis persolvunt, recitare debeant hymnum ***Te Deum,*** uti praecipitur in Festo Annuntiationis Deiparae ? Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, respondit: Affirmative.

Atque ita respondit et rescripsit. Die 30 Martii 1886.

VALLISOLETANA.

Rmus D. Benedictus Sanz y Fores Archiepiscopus Vallisoletanus Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione subiecit, nimirum ;

Dubium I. Feria V. in Coena Domini, sacratissima Hostia pro Missa Praesanctificatorum consecrata in omnibus fere tam huius Archidioeceseos, quam aliis Hispaniae Ecclesiis exponitur in tabernaculo seu capsula, quae, etsi clave obseratur, non ex omni parte clausa est, sed ostiolum crystallo munitum habet, ita ut calix velo coopertus oculis adorantium appareat, et videatur Pixis in tabernaculo aperto, veluti in expositione Ssmi Sacramenti. Quaeritur num tolleranda sit haec praxis quae generalis est, an potius eliminanda etsi prohibitio fidelium devotioni repugnet ?

Dubium II. Nonnullis in Dioecesibus past sanctorum Oleorum consecrationem Feria V. in Coena Domini, Processio instituitur, et per Ecclesiam deferuntur praedicta Olea sub baldacchino. Cum hoc opponi videatur decretis, quibus praecipitur nulla signa cultus sanctis Oleis danda, neque processionaliter in Ecclesiis introducenda, quaeritur utrum licite continuari possit huiusmodi praxis ferendi sancta Olea processionaliter, non via recta ad sacrarium, ut in Pontificali praescribitur, sed per Ecclesiam, et sub baldacchino?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita pro-

positis Dubiis rescribere rata est, videlicet :

Ad I. Consuetudo, de qua in casu, eliminanda.

Ad II. Affirmative, excepto baldacchino

Atque ita rescripsit. Die 30 Martii 1886.

HALIFAXIEN.

Rmus D. Cornelius O' Brien hodiernus Archiepiscopus Halifaxien. Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum :

Dubium I. An in Ecclesiis simpliciter dedicatis, non vero consecratis, recoli debeat speciali modo festum ipsarum Titulare, nec ne ? Et quatenus affirmative, quomodo illud celebrandum sit ? Quid vero agendum, quum Titularis Officium minime reperiatur in Breviario Romano?

Dubium II. Quum Episcopus, praeter Cathedralem, alias habeat Ecclesias, ex quibus fructum aliquem ad eius sustentationem percipiat, debetne ipse, quando suffragia Sanctorum agenda sunt, Commemorationem de earum Ecclesiarum Titularibus addere , an sufficit Commemoratio tantum de propriae Cathedralis Titulari? Utrum eadem ratio vigeat pro Missionario, qui alias habeat Ecclesias, praeter principalem ?

Dubium III. An Episcopus teneatur speciali modo celebrare Anniversarium suae electionis? Et quatenus affirmative, quomodo et quinam dies electionis habendus est?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisiloque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad 1. Affirmative ad primam partem; ad secundam, celebrandum sub ritu duplici primae classis cum octava; ad tertiam, in casu - desumendum Officium ex Communi Sanctorum.

Ad II. Tenetur tantum ad Commemorationem Titularis Ecclesiae Cathedralis : Missionarius vero, cui plurium Ecclesiarum cura commissa est, tenetur ad Commemorationem de Titulari Ecclesiae dignioris vel tantum Ecclesiae apud quam residere debet, ad sensum Decreti dati pro Vicariatu Apostolico Bombayen. Septentrionali.

Ad III. Affirmative ad primam partem; ad secundam ut satis edocet Caeremoniale Episcoporum ; ad tertiam dies electionis est ille in quo provisio Ecclesiae Episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistorio.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 16 Aprilis 1886.

ORIOLEN.

Rmus Dnus Victorianus Guisasola y Fernandez hodiernus Epi-

scopus Oriolen. Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna declaratione humillime subiecit, nimirum :

Dubium I. Utrum Litterae Apostolicae, quae incipiunt ***Charitatis viscera*** a sa. me. Gregorio Papa XVI datae sub die 14 Maii 1833 in favorem Filiarum Charitatis S. Vincentii a Paulo pro Oratorio privato erigendo in ipsarum domo, suffragentur, ut Missae ibidem celebrari possint, quando iisdem aedibus, ubi degunt, vel quibus deserviunt, publica aliqua Ecclesia adnexa sit?

Dubium II. Et quatenus affirmative, an in eiusmodi Oratoriis, strictim privatis, asservari queat Ssmum Eucharistiae Sacramentum, minime obstante quod in adnexa Ecclesia, uti superius, idem Ssmum Sacramentum in tabernaculo iugiter custodiatur?

Dubium III. Et quatenus affirmative, an tolerari possit quod in eiusmodi privatis Oratoriis Ssma Eucharistia diu noctuque servetur absque sacerdote ibidem commorante, solis Sororibus veluti concredita?

Dubium IV. Utrum Sororibus cuiuslibet novi Instituti seu novae Congregationis votorum simplicium quae sive puellarum educationi, sive quibusvis charitatis operibus sedulo incumbunt, Episcopus Dioecesanus facultatem habeat concedendi privatum Oratorium erigendum in ipsarum Domibus, plerumque angustis, ut ibi sacrum peragatur, et Ssma Eucharistia iugiter asservetur, quin Sacerdos ibidem commoretur, sed solae degant Sorores?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. et II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, servatis conditionibus in Apostolico Brevi contentis.

Ad IV. Negative.

Atque ita declaravit et rescripsit. Die 8 Maii 1886.

URBIS ET ORBIS.

Inter omnigenas virtutes, quibus Catholica praefulget Ecclesia, charitas eminet ceu nota conspicua, qua divinus ipsius Conditor voluit discipulos suos ab omnibus apprime dignoscendos. Hinc vix Ecclesia signum extulit ubique terrarum, illico factum est, ut quibuscumque humani generis aerumnis levamen inveniretur, atque iis potissimum cura intenderetur, qui vel infirma gravarentur valetudine, vel morbo tandem devicti mortalis vitae cursum essent expleturi. Huius porro nobilissimae virtutis praeclarum praebuerunt exemplum inclyti Confessores Sanctus Gamillus de Lellis, et Sanctus Ioannes de Deo : qui pari charitatis ardore succensi animam suam pro aegrotantium salute

ponere non dubitarunt : quippe alter animas in extremo agone luctandum aegris simul corporibus praestito solamine, sacri ministerii ope roboraret; alter vero medelam atque omne subsidium aegrotorum corporibus afferendo, animarum saluti facilius auxiliaretur. Nec satis : sed viri tantae misericordiae gemmam Congregationem, seu novas in Ecclesia Christi familias instituerunt, in quibus sui spiritus zelus indeficiens arderet, atque eiusmodi charitatis in aegrotos exinde saluberrimi fructus iugiter promanarent.

Quum vero infaustis hisce temporibus iniqui homines mundanae gloriae cupidi, ad religionis perniciem congregati, prodigia christianae charitatis civiliter, ut aiunt, aemulatur'!, grassante Asiatica lue, manus hac illae admovere aggressi sint, specie tenus quidem ad patiendum iuvamen, saepe tamen ut infirmi spiritualibus orbarentur auxiliis; commune Christifidelium ac praesertim sacrorum Antistitum desiderium exortum fuit praefatos Sanctos charitatis héroes tamquam Patronos omnium Hospitalium, et Infirmorum, ubique degentium, amodo percolendi, eosque in Litaniis agonizantium invocandi.

Quamobrem quum Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Miectslaus Ledochowski horum supplicia vota in Sacr. Rituum Congregationis coetu, ad Vaticanum subsignata die coadunato, retulerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, audita sententia R. P. D. Augustini Caprara Sanctae Fidei Promotoris, sic rescribere rati sunt: « Pro gratia concessionis Sanctorum Camilli de Lellis et Ioannis de Deo in Patronos pro omnibus Hospitalibus et Infirmis ubique degentibus : et insertionis in Litaniis agonizantium nominum Sancti Camilli et Sancti Ioannis de Deo post nomen Sancti Francisci. » Die 15 Maii 1886.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere et confirmare dignata est ita, ut super his expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis. Die 26 iisdem mense et anno.

DUBII.

Quaesitum quum fuerit a Sacra Rituum Congregatione an Tertiarii Franciscales iure gaudeant praecedentiae super quascumque laicas Sodalitates? Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus maturo examine perpensis, ita rescribere rata est:

Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum, nec non declarationis Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 20

Septembris d 748, Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub cruce incidentibus ius inest praecedentiae super quascumque laicas sodalitates.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 28 Maii 1886.

BREDANA.

Rmus Dnus Petrus Leyten hodiernus Episcopus Bredanus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Subsequenti anno 1887 die 31 Iulii, quae est Dominica, in Bredana Dioecesi occurrit Officium diei Octavae Dedicationis omnium Dioeceseos Ecclesiarum : hinc ad legendum Initium parabolarum Salomonis, nulla hebdomadae dies superest libera. Quaeritur igitur utrum et quanam die in casu legendum est illud Initium?

Dubium II. Similiter insequenti anno hebdomada quinta Novembris in iis Belgii et Galliae Ecclesiis, quarum Titularis est Sancta Catharina Virgo et Martyr, atque ibidem die 25 Novembris occurrit memoratum Officium diei Octavae Dedicationis omnium Ecclesiarum, quo tantum supersunt dies liberi ad legenda sex de septem Initiis Prophetarum. Hinc quaeritur utrum et quando in casu eadem Initia legenda sint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad I. Initium Parabolarum Salomonis, in casu legendum in decursu hebdomadae in uno ex Officiis, proprias Lectiones habentibus, quod ritus aut dignitatis aut solemnitatis praeeminentiam non praeseferat respectu diei Octavae Dedicationis ; secus praedictum Initium legendum in ipsa die Octava.

Ad II. Detur Decretum in una Ordinis Minorum Reformatorum diei 27 Martii 1779, ad 13 (1).

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 28 Iunii 1886.

URBIS ET ORBIS.

Posi, editas a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII Encyclicas Litteras ***Supremi Aposto-***

(1) ORDINIS MINORUM OBSERV. REFORM. S. FRANCISCI. 13. In pluribus locis hebdomada quinta Novembris ob multitudinem Officiorum habentium lectiones primi Nocturni proprias, vel de communi, saepe non remanent dies pro recitandis omnibus initiis Prophetarum minorum , quamvis tria initia uno die recitentur. Quaeritur: an in casu omittenda sint initia, quae locum habere non possunt, vel dicenda sint in Officio semiduplici, et duplici maiori, vel minori, licet habeant Lectiones primi Nocturni proprias vel de communi?

Ad 13. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.

atus *i.* Sept. 1883 et ***Superiori anno*** 30 Augusti 1884, de propagando et celebrando Beatissimae Dei Genitricis Mariae Rosario, Sacra Rituum Congregatio per Decretum diei 20 Augusti praeteriti anni 1885 ipso Summo Pontifice annuente et imperante statuit, ut quoadusque tristissima perdurent adiuncta, in quibus versatur Catholica Ecclesia, ac de restituta Pontificis Maximi plena libertate Deo referre gratias datum non sit, in omnibus Catholici Orbis Cathedralibus et Parochialibus templis et in cunctis templis et publicis oratoriis Beatae Mariae Virgini dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinariorum designandis, Mariale Rosarium cum Litaniis Lauretanis per totum mensem Octobrem quotidie recitetur. Iamvero praesenti anno, qui Iubilaei thesauro ditatur, idem Sanctissimus Dominus Noster exoptans, ut quo magis ingruunt publicae et privatae calamitates, eo firmiori fiducia et proposito auxilium ac remedium quaeratur, et per Mariam quaeratur a Divina Misericordia, quae totum nos habere voluit per Mariam per hoc Sacrae eiusdem Congregationis Decretum Reverendissimos locorum Ordinarios adhortatur, ut, iuxta memoratas Apostolicas Litteras et Decreta, eorumque tenore in omnibus servato, Christifideles ad huiusmodi pietatis exercitium, Deiparae maxime acceptum, atque gratiarum equidem foecundum, nec non ad Sacramentorum aliorumque salutarium operum frequentiam, omni sollicitudine advocare et allicere studeant.

Confirmando iterum Sanctitas Sua in omnibus sacras Indulgentias ac privilegia, quae in praecitato Decreto concessa sunt, indulgere insuper dignata est, ut in iis templis, seu Oratoriis, ubi ob eorum paupertatem Expositio cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, ad tramiten Decreti ipsius, solemni modo, nempe per Ostensorium, fieri haud valeat, eadem per modum exceptionis peragi possit prudenti iudicio Ordinarii, eum sacra Pyxide, aperiendo scilicet ab initio ostiolum ciborii, et cum ea populum in fine benedicendo. Die 26 Augusti 1886.

NAMURCEN.

Rmus Dnus Eduardus Iosephus Belin hodiernus Episcopus Namurcensis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum :

Dubium I. Iuxta Breviarii Rubricam Feriae V hebdomadae quartae Octobris propriam, quando quatuor tantum hebdomadas habet October, historia Martyrii Machabaeorum legi debet Feria V, VI et Sabbatho hebdomadae quartae. Porro si Feria V occurrat Festum habens Lectiones primi Nocturni proprias, uti hoc anno festum

Sanctorum Simonis et Iudae, quaeritur, quaenam Lectiones legi debeant Feria VI, an Lectiones Dominicae quintae, an Lectiones Feriae secundae eiusdem hebdomadae quintae Octobris?

Dubium II. Octava Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis incidebat superiori anno in Feriam IV Quatuor Temporum Adventus; secundum Rubricam Generalem nona Lectio debet esse de Homilia Feriae, sicuti ultimum Evangelium Missae. Porro hoc Evangelium idem est ac Evangelium Festi; quid igitur agendum?

Et Sacra eadem Cnngregatio, ad relationem infrascripti Secretarii omnibus in casu perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet :

Ad I. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad II. Detur Decretum diei 16 septemb. 1865 in una Aesina. (1)

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 17 Ianuarii 1887.

SQUILLACEN.

Hodiernus Archipresbyter Parochus loci vulgo ***Mace*** intra fines Dioeceseos Squillacen, exponens penes suam Ecclesiam matricem duas sodalitates canonice erectas sedem habere, videlicet Confraternitatem existentem uno abhinc saeculo sub nomine ss. Martyrum Cosmae et Damiani, alteram vero anno 1883 institutam sub titulo Ssmi Sacramenti, quas inter quaestio exoritur de praecedentia in Processionibus, in quibus Ssmum Eucharistiae Sacramentum defertur sequens Dubium Sacrorum Rituum Congregationi humillime subiecit, opportunam solutionem enixis precibus postulans, commendationis officio a Rmo Episcopo Squillacensi suffultus, nimirum:

An Confraternitas Ssmi Sacramenti in Processionibus in quibus Ssmum Eucharistiae Sacramentum defertur, iure praecedentiae gaudeat prae memorata Sodalitate?

Et Sacra eadem Gongegatio ad relationem Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit: Affirmative, dummodo in ceteris Processionibus Sodalitas Ssmi Sacramenti iuxta ordinem antianitatis incedat.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 17 Ianuarii 1886.

HARLEMEN.

Rmus Dnus Gaspar Bottmann hodiernus Episcopus Harlemen. a S. R. C. insequentium Dubiorum declarationem humillime exquisivit, nimirum:

Dubium I. Praedecessor proximus Episcopus Harlemen. obiit die 1 Ianuarii 1877, et ex testa-

(1) Aesina prostat Vol. I, 294.

mento fundum reliquit pro Anniversario perpetuo a Canonicis, Cathedralis Ecclesiae celebrando, et Canonici illud persolvunt die, quo iuxta sua statuta mense Ianuario ad Ecclesiam accedunt. Quaeritur num hodiernus Episcopus eidem Anniversario assistens satisfaciat oneri praescripto (Lib. II. c. 36. n. 1) in Caeremoniali Episcoporum de Anniversario celebrando pro defuncto proximo Praedecessore, praesertim quum defunctus postremus Episcopus et aliud sibi Anniversarium non a Canonicis celebrandum fundaverit, ita ut tria pro eodem annuntianda sint populo similia Anniversaria?

Dubium II. Quum anno 1887 Canonici Capituli Ecclesiae Cathedralis Harlemensis per modum fundationis perpetuae statuerint Anniversarium persolvendum pro omnibus Episcopis defunctis eiusdem Ecclesiae absque ullo stipendio, quaeritur num Episcopus adsistens huic Anniversario, si intentionem addat etiam pro defunctis Canonicis illud offerendi, satisfaciat praescripto in Lib. II. Caeremonialis Episcoporum Cap. 37 n. 1?

Dubium III. Tum ex Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 17 Iulii 1858 pro regno Neerlandiae, tum ex suis statutis Canonici Ecclesiae Cathedralis Harlemensis semel in mense conveniunt in Cathedrali ad recitandam Horam Tertiam, et dein Missae solemni adstandum. Quum vero plura sint Anniversaria persolvenda, ne pluribus conveniant diebus, haec adimplere consueverunt in ipso die conventus mensilis, celebrando Anniversaria in altari maiori, dum interim in alio altari Missa legitur quasi Conventualis Officio diei respondens. Quaeritur, num Capitulum per eam rationem officio seu muneribus satisfaciat, et in casu negativo Episcopus hodiernus Indultum Apostolicum implorat, propterea quod plures Canonici distent a civitate Cathedrali, ita ut molestissimum esset pluries in mense ad eam venire.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, exquisitoque volo in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet :

Ad I. Episcopus et Capitulum distinctis diebus Anniversarium celebrent.

Ad II. Negative, adeoque Episcopus distinctum in casu Anniversarium agere debet.

Ad III. Negative, ideoque singula Anniversaria de quibus in casu adamussim celebranda, et quidem alio in die quoties Capitulum mensibus Ianuario ac Novembri conveniat ad Ecclesiam Cathedralem die Dominica, vel in festo primae aut secundae classis, etsi non praeceptivo.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 17 Ianuarii 1887.

PRAEFECTURAE APOSTOLICAE BENGALAE CENTRALIS.

Rev. D. Franciscus Pozzi Praefectus Apostolicus Bengalae Centralis Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. In collatione Baptismatis adultorum post tres genuflexiones, et dicto ***Pater noster,*** Sacerdos dicit patrino ***Signa eam,*** et nulla fit mentio de matrina. Quaeritur, an in absentia patrini Sacerdos debeat dicere matrinae ***Signa eam*** etc., vel potius omisso signo crucis per matrinam, Sacerdos tantummodo ter signare debeat de more cathecumenam ?

Dubium II. Interdum accidit quod desint patrini pro Baptismo solemni, vel Confirmatione, sed tantummodo praesto sint moniales, (Sorores Charitatis). Quaeritur num in huiusmodi casu expediat conferre ea Sacramenta sine patrinis, vel potius ut moniales adhibeantur uti matrinae in utroque Sacramento pro feminis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die IS Februarii 1887.

FULDEN.

Rms Dominus Georgius Kopp hodiernus Episcopus Fulden. exponens in sibi commissa Dioecesi, iuxta antiquam consuetudinem plurima haberi altaria portatilia, quorum tabula ex lapide densissimo imo et marmoreo constans et quinque cruribus obsignata, at sepulcrum non in medio, sed in eius fronte effossum est ac rete clausum; insequentium Dubiorum solutionem ab Apostolica Sede humillime expetivit, nimirum:

1. An eiusmodi Altaria sint toleranda, vel immutanda sint ac denuo consecranda ?

2. Et num in posterum sepulcrum Altaris portatilis in medio tabulae lapideae effodiendum sit ?

Et Sacra porro Rituum Congregatio , ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ita propositis Dubiis rescribendum censuit, nimirum :

Ad I. Quad altaria portatilia hucusque consecrata Rmus Episcopus acquiescat.

Ad II. Affirmative,

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 31 Martii 1887.

CATHAREN.

Rmus Dnus Casimirus Forlani hodiernus Gatharen. Episcopus ex*

ponens ob peculiaria loci adiuncta, praesertim legum civilium, nec non ob exiguum numerum Sacerdotum qui Cathedralis Ecclesiae suae servitio addicti sunt, horarium chorale ibidem ab anno 1880 ila dispositum esse, ut hora IX minorum Canonicarum Horarum recitatio inchoetur, et post Nonam celebretur Missa Conventualis : quae omnia horam decimam excedunt; insequentis Dubii solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit circa Vesperarum cantum tempore Quadragesimali persolvendum diebus ferialibus, nimirum:

An exposita dispositio horarii Choralis retineri possit etiam ferialibus diebus Quadragesimae , quando immediate post Missae Conventualis Celebrationem , nempe hora X, cantus Vesperarum locum habere debet, nec ne? Quatenus negative idem Rmus Dnus enixe rogavit, ut eiusmodi horarii dispositio necessaria, ob exposita adiuncta, tolerari queat ad validam Vesperarum recitationem tempore quadragesimali ?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, rem omnem committendam censuit prudenti ipsius Rmi Episcopi arbitrio.

Die 31 Martii 1887.

CADURCEN.

Rmus Episcopus Cadurcen. a Sacra Rituum Congregatione solutionem insequentium Dubiorum humillime expetivit, nimirum :

Licetne applicare ad utrumque latus introitus Sanctuarii, ita ut sibi invicem adversentur, effigies seu statuas Sacratissimi Cordis Iesu et Purissimi Cordis B. M. V. ?

2. Effigies Sacratissimi Cordis Iesu debeine potius collocari in medio altaris maioris loco tabernaculi, vel, si adest tabernaculum in quo asservetur Ss. Eucharistiae Sacramentum, in huius posteriori parte?

Et eadem Sacra Congregatio, ad relationem Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce Dubiis sic rescribere rata est :

Ad I. Nihil obstare in casu.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 31 Martii 1887.

LAMACEN.

Rmus Ordinarius Dioeceseos Lamacen. exponens altaria plurima suae Dioeceseos Ecclesiarum sacros lapides praeseferre e quodam schisto lapide efformatus satis duro, quorum alii Sanctorum Reliquias continent, alii omnino iisdem carent, ac praeterea reperiri etiam sacros lapides ex gypso conflatos, etsi reliquiis instructos; insequentia Dubia pro opportuna solutione Sacrorum Rituum humillime subiecit nimirum :

Dubium. I. An usus sacrorum

Lapidum Reliquiis carentium servari possit?

Dubium II. An retineri possint sacri Lapides e schisto illo lapide efformalo ?

Dubium III. An retineri possint sacri Lapides Reliquiis Sanctorum instructi ex gypso tamen constantes ?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribere rata est, nimirum :

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 29 Aprilis 1887.

EMERITEN.

Rmus Dnus Romanus Lovera hodiernus Episcopus Ementen, in ditione de Benezuela insequentia Dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi demississime subiecit, nimirum:

Dubium I. An feria VI post Octavam Ascensionis in qua fit Officium novem Lectionum uti infra Octavam ipsius Ascensionis, quae tamen Feria est libera, fieri possit Officium votivum Passionis?

Dubium II. In Ecclesiis Pank chialibus ubi non adest chori obligatio, tempore Quadragesimali, in Festo S. Ioseph vel aliorum Sanctorum possunt cantari Vesperae post comestionem, seu post meridiem ad populi devotionem fovendam?

Dubium III. Commemoratio de Cruce, quae dicitur tempore Paschali (loco suffragiorum de Sanctis), potestne recitari quando fit Officium votivum de Passione ?

Dubium IV. Num Sacerdos Missam votivam lectam, vel solemnem de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione celebraturus respondentem Officio eiusdem votivo, quod cum celeris universali Ecclesiae recenter concessum fuit, tenetur adhibere Missam, cuius Introitus ***Gaudens gaudebo?***

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit ;

Ad I. II. III. Negative.

Ad IV. Affirmative, attamen servata Rubrica Missis votivis per annum praeposita.

Atque ita rescripsit. Die 29 Aprilis 1887.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MEDIOLANEN.

REMOTIONIS A PAROECIA

Die 23 Martii 1889, et 29 Martii 1890.

Sess. 21 cap. **6** De reform.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopali decreto diei 6 Septembris 1882 induebatur sacerdoti Iosepho Longhi parocho loci *CambiagOj,* ut a paroecia recederet. Idque iussum fuit, ut finis imponeretur malis, quae ex ipsius agendi ratione contigisse videbantur, et ad maiora evitanda, quae ob odium plebis renovarentur, nisi praedictus parochus quamprimum a paroecia removeretur.

Paruit quidem Longhi, et a Cambiago discessit; sed paullo post appellationem contra decretum apud S. C C . interposuit. Rogatus Ordinarius pro informatione et voto, post aliquod tempus, calendis scilicet Februarii 1884, longum et accuratum epistolium transmisit, quo enumeratis perturbationibus et malis, quorum causa parochus fuerat, significare haud dubitavit, parochi remotionem necessariam eamque reclamatam fuisse ab animarum salute, quae suprema lex est, et imminenti gravissimorum malorum periculo, quae sine dubio accidissent ob universalem et intensam aversionem, qua proprium parochum parochiani prosequebantur. Quibus expositis Archiepiscopus, animi sui sensus pandens, concludebat, tot ac adeo gravibus malis medelam unice afferri posse per parochiae renunciationem, pensione vitalitiâ parocho renuncianti assignata.

His stantibus die 16 Februarii 1884 eidem Archiepiscopo rescriptum est « ut procedat ad formam iuris pro parochi destitutione ob odium plebis. »

Ad tramitem praedicti rescripti, die 1 subsequentis Martii constitutum fuit Mediolani tribunal, et die 13 Maii testes

excuti coepti sunt. Sed quum lento gradu videretur curia procedere et moras nectere, ad S. C C. reclamavit parochus.

De novis parochi quaerimoniis Archiepiscopus admonitus, moras abrumpens , tabulas processuales perfici iussit : iisque ad exitum perductis, die 2 Octobris 1886 sententia lata fuit, cuius conclusio ita se habebat:

« 1. constare de actuali odii plebis Cambiagi existentia contra rev. parochum Longhi praedictum, non sine eiusdem culpa quoad odii causam: 2. constare, eum ob odium plebis neque posse neque audere in loco beneficii residere securum : 3. constare exinde de eiusdem inidoneitate ad sive veterem, sive novam paroeciam obtinendam. Quare rev. sacerdotem Longhi dicimus insuper destituendum et per hanc definitivam sententiam revera destitutum a paroecia, iam consequuta loci Cambiagi, ei tamen assignata libellarum quingentarum pensione. »

Ab hac sententia incontinenti appellavit sacerdos Longhi, et in -sui tutelam patronum nuncupavit in Romana Curia.

Sed singularis controversia tunc oriebatur. Nam patronus sacerdotis Longhi, processualibus actibus perpensis, putavit appellationem coarctandam esse ad nonnulla tantummodo sententiae gravamina: adeoque, acceptis tum a cliente tum ab eius procuratore apud mediolanensem curiam litteris, quae videbantur suae sententiae consentaneae, appellationis libellum concinnavit, asserens ad summum agi in themate *de odio malae plebis ;* ideoque iniustam habendam esse archiepiscopalem sententiam ; tum quia Curia decrevit *constare de eiusdem inidoneitate ad quaterne icmc/ue paroeciam;* tum quia in conficiendo processu in plures irregularitates inciderat.

His Archiepiscopo relatis, respondit se gaudere de hac licet tarda resipiscentia parochi Longhi ; nihilominus in hac appellationis forma nonnisi novum signum obstinatae ac litigiosae parochi indolis inveniri.

Post haec idem Archiepiscopus, novis datis litteris, petebat, ut, stante acceptatione sententiae, facta a sacerdote Longhi pro ea parte , quae respiciebat eius remotionem a

Cambiago, procedere Curia posset ad eius paroeciae provisionem.

At Longhi, statim ac rescivit quae gerebantur, scripsit, patronum suum apud Romanam Curiam male interpretatum fuisse suam voluntatem, se autem in appellatione ab universa sententia persistere, et restitutionem in paroeciam flagitare.

Omnibus itaque perpensis, quae a Longhi patrono allata fuerunt, et examini subditis litteris quae in sui iustificationem ipse protulit, die 4 Maii 1888 S. C. C. rescribere censuit. « Cum ex deductis non satis constet de voluntate » parochi coarctandi actum appellationis, et implicite acquie- > scendi sententiae in ea parte quae respicit privationem » beneficii, non esse locum petitae pro visioni (paroeciae), » idque notificetur Archiepiscopo. » Et insuper decretum latum fuit ut causa poneretur in folio.

Disceptatio Synoptica

QUAE CURIAE ARCHIEPISCOPALI FAVERE VIDENTUR. Quinquaginta testes excussi sunt, quorum duodecim in Mediolanensi curia, reliqui in ipsa paroecia Cambiagi coram iudice subdelegato, vicario foraneo *Gorgonzolae* Pietro Biraghi. Inter testes numerantur sacerdotes coadiutores in cura pastorali paroeciae Cambiagi, plures parochi limitrophi, syndicus, aliique plures censu aut officio illustres loci cives, pluresque demum agricolae rudesque viri.

Parochus Varieschi e Trezzano, parochus Girotti a Gaggiano, Monti e Ronche-tto, Prada e Fagnano, ac parochus Reina e Baggio, qui primi, maio mense anni 1884, in Mediolanensi curia auditi sunt, omnes contra reum loquuti sunt.

Sacerdos Conti coadiutor paroeciae Cambiagi, farmacopola Gigada, Carera, Cazzaniga, Passoni, Torricelli, Lonau, Calcinati, operarii aut possidentes, qui in ipso pago excussi sunt mense Augusto anni 1884, de gravi aversione populi, de periculo reversionis parochi Longhi, de eius avaritia aliisque, amussim prout in Archiepiscopi litteris sermo est, contra reum uno ore deposuerunt.

Mense septembri subsequenti citatus fuit sacerdos Longhi, eique decretum S. C. C, constitutio tribunalis et initium inquisitionis indicta fuerunt. Dein vero, eodem mense, tres alii parochi, Rocco e Basiano, Moioli e Másate, et Comezzoli e Gessate, de avaritia sacerdotis Longhi, de eius contendendi libidine, de odio universali erga ipsum, et de periculo reversionis, plura retulerunt.

Mense Maio 1885 adstiterunt in curia comes Medolago-Albani, Caesar Osnago syndicus Cambiagi, negotiator Ronchetti, et dominus Casanova. At syndico loci, et negotiatore Ronchetti praetermissis, qui contrarii omnino fuerunt sacerdoti Longhi, eodem prorsus modo ac ii qui hucusque recensiti sunt, comes Medolago Albani et dominus Casanova , licet sint parocho Longhi nedum benevoli sed amici et fautores, nihilominus deponunt de modo distribuendi dotes haud conformi observantiae, quam ipsius antecessores iugiter sequuti sunt, et eum accusant de universi populi odio, quod sua agendi ratione contra se excitaverat, de quaestionibus et iurgiis cum sodalibus et coadiutoribus habitis, nec non de avaritia, de vexationibus in colonos adhibitis, et ipsius culpae tribuunt quod populus a frequentanda Ecclesia sese abstinuisset.

Die 26 Iunii 1885, Cambiagi iterum alii testes accersiti sunt, nempe Philippus Donati, Ioseph Ronchi, Ioannes Torricelli, Calcinati Carolus, Cazzaniga, Ulisses Maderna, Carolus Fumagalli, Ioannes Maggi, Ioannes Brambilla , Vincentius Chiesa, et Caesar Fumagalli ; omnesque pariter de odio populi, de avaritia, de litigiosa parochi indole, de eius vexationibus in colonos aliisque sermonem habuerunt.

Die 31 Iulii 1885 in curia Mediolanensi ipse adstitit vicarius Foraneus Gorgonzolae, qui tamquam iudex delegatus depositiones exceperat incolarum Cambiagi; et a iudice formaliter interrogatus fuit.

Verum die 3 Decembris 1885 parochus excepit contra omnes testes, praeter dominum Casanova, eosque mendaciis convicturos spopondit, depositiones enim eorum in exemplari

ipsi communicatae fuerant: populum ab ecclesia frequentanda abstinuisse adiecit nonnullorum scelestium audacia, qui quidem plurium criminum accusati in carceribus deinde iustas suarum nequitiarum poenas luerunt: colonis locationis pretium iuste crevisse, sequens exemplum aliorum loci civium, et cum beneplacito Ordinarii sui, qui tantummodo moderationem et prudentiam commendavit; idque fecisse, ut arctam beneficii conditionem restitueret.

Tandem die 5 Ianuarii 1886 citatus fuit ad testes in sui defensionem proponendos. Parensque praecepto sub finem eiusdem mensis plures testes cum interrogationibus eisdem faciendis indicavit; 57 documentorum et epistolarum volumen allegavit, quo asserta prius in libellis evinceret; et iteravit exceptiones nedum contra testes sed et contra locum in quo examina perficiebantur, quia ibi tuta non erat veritatis dicendae libertas.

Sed iudex non modo reiecit exceptiones de testibus et de loco, sed parochum ipsum invitavit ut sisteret coram singulis testibus in oppido Cambiago. Siquidem parochus Longhi praecedentibus litteris retulerat se paucos ante dies, 11 Decembris 1885, Cambiagum perrexisse, amicum suum Casanova adiisse, et a populo, qui eum transeuntem viderat, bene exceptum fuisse. Aliunde si in pagum Cambiago advenire, ibique pacifice aliquot dies commorari consensisset, copia ei fuisset odium plebis ipso facto excludendi.

At sacerdos Longhi in editis exceptionibus nedum perstitit, sed et novam proposuit contra vicarium foraneum Gorgonzolae, quippe qui iudicem delegatum Cambiagi, testem vicissim egerat Mediolani.

Nihilominus iudex procedendum censuit; ideoque per delegatum audiri iussit secunda vice iudiciales testes Cigada, Rolfini, parochum Moioli, parochum Comezzoli, et coadiutorem Conti, qui omnes praecedenter dicta vel firmarunt vel exasperaverunt. Hoc contigit mense Martio 1886.

Et subinde testes a Longhi in sui defensionem propositos rogari delegatus decrevit. Sed Corazza, Aloysius Cereda, et quatuor coloni domini Casanova, nempe Colombo, Villa,

Passoni, et Prandi testimonium edere recusar unt. Petrus .Pie-, ciocchi velitum decurio (maresciallo dei Carabinieri) sistere abnuit : astiterunt autem et loquuti sunt Moronati Eugenius aedilis ecclesiae Cambiagi, Cereda Philippus, eiusdem olim aedilis, Ioannes Pennuti coadiutor paroeciae Gorgonzolae, Martinus Fumagalli, custos ecclesiae Cambiagi, Ioannes Prandi et Paulus Mantegazza villici, nec non Caesar Brambilla colonus domini Casanova.

Sed neque hi parocho Longhi omnino favent; imo, licet se aestimare dicant sacerdotem Longhi, tamen de mala fama, de avaritia, de odio populi, et de periculo reversionis eius non silent.

His actis, et cum reus pro novorum testium excussione non instaret, iudex clausum processum renunciavit ; et monuit parochi procuratorem acta invisendi copiam ei fieri. Imo paulo post, die 17 Iulii 1886, exemplar ultimarum depositionum (priores enim iam fuerant editae) eidem tradendum curavit, addens, non esse in more positum, ut tum libelli fiscalis, tum informationis Archiepiscopi ad S. Congregationem missae exemplar traderetur.

Sed parochus Longhi eiusque procurator institerunt, ut haec omnia sibi panderentur, et insuper ut exemplar quarumdam litterarum sacerdotis Conti, quas ipse in processu confirmaverat, evulgaretur.

Renuente sed vero iudice, nova exceptio ex parte rei exhibita fuit. Sed iudex recusationem confirmavit, et terminum ad defensionis constituit. Procurator, reiectis a iudice exceptionibus, defensionis officium dimisit. Rebus sic stantibus iudex diem dicit parocho ad audiendam sententiam ; quae tandem lata est die *2* Octobris 1886, ut ab initio enarratum est.

Ex hucusque relatis hoc certissime scatere, sacerdotem Longhi esse oppidanis Cambiagi, aut sin minus maiori eorum parti, adeo invisum, ut sine periculo ad suam ecclesiam redire non possit, et eo minus cum utilitate pastorali ministerio fungi. In hoc omnes testes, ipsi quidem qui parocho maxime favent,

concordes omnino sunt. Disputari quidem poterit utrum id parochi culpa contigerit, an non, utrum iustum sit odium quo Cambiagi plebs pastorem suum prosequitur, an potius sit odium malae plebis ; sed aversio populi, periculum reversionis parochi, et impossibilitas ministerii eius in sua ecclesia, in probatis esse videntur.

Hoc autem stante, revocatio eius a paroecia iusta ac necessaria est, et canonica lege probata. Ex odio enim licet malae plebis titulum haberi sufficientem ad remotionem parochi, nemo est qui ignorat. Cfr. Zamboni *tom. 4 Conci. S. C. C. v. Parochus* § *14 quoad remot. et priv.* Bizzarri *collect,* ad *Alben, super remot. parochi populo invisi.* Ratio est quia bonum publicum debet praeferri privato; *Can. Scias 39 c. 7 q. 1* - ibi - « nam plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati praeferenda est. »

Quapropter controversa sententia in ea parte quae remotionem sanxit sacerdotis Longhi a paroecia Cambiagi, canonico titulo inniti videtur. Nec minori forte motivo fulciri pars illa, contra quam idem sacerdos potissime réclamât, scilicet odium populi *non sine parochi culpa* esse, *et constare exinde de eiusdem inidoneitate ad sive veterem sive novam paroeciam obtinendam.*

Testes enim qui Cambiagi excussi sunt facta plura retulerunt, quae superbiam, avaritiam, imprudentiam sacerdotis Longhi maxime produnt. Talia sunt, aeris imperandi libido et subsequae eius continuae lites cum parochianis ; vexatio in colonos suos, imo et in alios parochianos, quos quandoque sibi inservire aut equos comodare contendebat; avaritiae studium, adeo ut parochiani ad strenas et oblationes recurrere deberent, ut officia sibi debita ab eo obtinerent, dum ipse onera colonorum augere, et immodica lucra ex operibus piis quae administrabat haurire in deliciis habebat; indecora et quandoque lubrica'concionandi ratio in ecclesia: haec omnia in sacerdotem Longhi inurunt universi accusationis testes; quin eum sufficienter excusent aut tueantur amici.

QUAE PAROCHO LONGHI PAVERE VIDENTUR. Duo in suum

patrocinium parochus vicissim proponit, 1. exceptiones contra formam iudicii, 2. documenta plura extraiudicialia sibi faventia.

Relate ad formam iudicii, ut eam irregulärem ostendat, ac proinde sententiam a Curia prolatam nullius roboris esse recolit cum Pirhing ad *lib. 2 Decret, tit. 26% 3 n. 417* quod « si ordo iuris non servetur in processu, sententia superstrada est nulla. » Ordinem autem iudicii non servari, ait, si accusatorii libelli invisendi copia non fìat accusato, si testes in loco tuto non excutiantur, si demum ipse qui iudex est, sit et testis.

Sed nullitatem, iniustitiam ac falsitatem controversae sententiae maxime evincere putat ex nonnullis documentis, in quibus haec summatim continentur.

1. Sacerdos Longhi recenset promeritas aliis in locis diversisque in muneribus laudes.

2. Contendit nonnullos testes sibi inimicos nullam mereri fidem, eo quod aut turpia aut alia criminosa patraverint : et coadiutores suos Prandoni et Conti, et sacerdotem Comezzoli, ex his esse dicit.

3. Populum Cambiagi, agrariis seditionibus deditum ac turbolentum esse, testatur decurio Velit um Picciocchi et *cattivissimo paese* esse Cambiago confirmat sacerdos Fontana, et parochus Origo.

4. Addit parochus Morelli, et parochus Sesia aerumnas sacerdotis Longhi deberi nefariis quibusdam hominibus triremibus nuper damnatis.

5. De cetero innocentem esse parochum Longhi conclamant decurio Picciocchi, sacerdos Fontana, parochus Morelli, parochus Origo, parochus Sesia.

6. Defectum autem missarum, unde prima populi indignatio, non sibi esse tribuendum parochus Longhi contendit ; sed potius Curiae; dissolutionem autem sodalitii filiarum B. M. Virginis, quae etiam displicuit, necessariam fuisse: se autem plurima humanitate coadiutores suos excipere cousue visse.

Verum haec omnia extraiudiciali a sunt, quae ideo quanti facienda sint, et utrum sin minus valeant ad moderandam sententiam in ea parte in qua odium populi culpae sacerdotis Longhi adscribitur, qui ideo incapax et a curia declaratur inidoneus sive ad veterem parochiam regendam, sive ad quamlibet novam obtinendam, EE. PP. remissum fuit definire.

Omnibus itaque perpensis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An sententia curiae archiepiscopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii re ad trutinam revocata, sub die 23 Maii 1889 respondere censuit : *Sententiam esse confirmandam, reservata pensione 500 libellarum.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. HOC edito rescripto, sacerdos Longhi novum auditionis beneficium impetravit et patronus , quem sibi elegit, nonnulla proposuit ut cassationem archiepiscopalis sententiae Mediolanensis et restitutionem in paroeciam Cambiagi consequeretur.

Sane patronus, praemissa longa factorum narratione et documentis pluribus in clientis laudem ibidem insertis, praeprimis contendit eundem clientem suum parochum Longhi verum *spolium* passum esse, quando per Archiepiscopi litteras ante quemcumque processum iussus fuit e paroecia discedere. Spolium enim est, quoties quis « sine manifesta causa et rationabili suis beneficiis spoliatur. » *Cap. 7 de r est. spol,* et S. C. C. in pluribus decisionibus ac maxime in nuperrima *Pharen. Peintegrationis 14 Maii 1889,* in qua parocho, paroecia privato per simplicem Episcopi epistolam, decrevit redintegrationem esse concedendam « cum re- » stitutione fructuum et emolumentorum in congrua summa » ab Archiepiscopo de bono et aequo liquidanda. » Cum autem spoliatus sit ante omnia restituendus, et nonnisi restitutione facta in ius rapi possit ; hinc etiam in themate parochus Longhi restitui in paroeciam debebat, antequam in ius ra-

peretur; nec decebat eumdem processui subiici et condemnari postquam e paroecia iam pulsus erat et poenam subierat. Et haec est prima labes qua Mediolanensis processus inficitur; cui altera non minus gravis accedit, ob quam substantiali vitio instructionem processus laborare inquit. Quod ut evincat, animadvertit iam ab huius initio procuratorem sacerdotis Longhi tria sibi communicari petiisse, nempe libellum accusatorium quo instauratum fuerat iudicium, singulas denunciationes quae eidem libello occasionem dederant, ac demum Archiepiscopalem relationem, quae a S. C. C. decretum procedendi ad destitutionem parochi *ob odium plebis* provocaverat.

Porro visio et communicatio accusatorii libelli reo denegari haud poterat. Accusatio enim debet proponi in scriptis, ait Bouix *De iud. tom. 2 p. 5,* et iuxta quamdam canonicam rigorosam formam, adeo ut « si aliquid horum omittatur, » processus esset nullus, et reus absolvendus » Reinenstuel *tit. 1 lib. 5 Decr. n. 94.* Valde itaque intererat libellum causae introductivum agnoscere, nedum ad iudicandum de eius valore, sed etiam ad imputationes cognoscendas et defensionem parandam. Docet namque C. De Luca *De iud. disc. 8 n. 2:* « Adhuc tamen quae in iure disposita sunt, » hodie quoque subsistunt circa libelli petitionis declaratio- » nem, quoties reus conventus instet et petat, quando petitio » adeo obscura sit, ut resultet supra insinuatus effectus, quod » reus deliberare non potest an velit cedere vel contendere. » Et in ipsa Instruct, a S. C. EE. et RR. data sub die 11 Iunii 1880 ad causas criminales instruendas iubetur « che nell'intimazione, se la prudenza non lo vieti, gli si » espongano (al reo) per esteso le accuse portate a suo ca- » rico, onde possa prepararsi a rispondere.»

At e contra Mediolanense tribunal iterum iterumque procuratori sacerdotis Longhi respondit, se exemplar accusatorii libelli et archiepiscopalis relationis dare non posse, et si processus cognitionem assumere vellet, curiam adiret. Unde, iuxta patronum, patet processus formam fuisse in themate substantialiter violatam.

Nec satis : sed antequam ad privationem iudex deveniat, debet trina vice beneficiatum monere. Ita sane S. Rota in *Cracovien. Parochialis 22 Iunii 1767 cor. Guerra:* « Trina » monitio praecedere debet sententiam privationis sive agatur » de punienda simplici Incontinentia, sive plectenda sit in- » continentia qualificata... semperque urget trinae monitionis » servandae necessitas, etiamsi crimina quae causam desti- » tutionis suppeditant sint abunde comprobata. » Quod etiam S. O. C. et docuit et retinuit pluribus in casibus, ceu videre est in *S. Severi* 4 Aprilis 1778; in *Terracinen. 2* Iunii 1860 ac maxime in *Parisien. Remotionis a paroecia 27* Augusti 1764. In themate vero trina monitio defuit.

Accedit quod magnificatum plebis odium, cui sententia destitutionis innititur, inter causas canonicas privationis beneficii non connumeratur ; sed ad id potius grave probatumque crimen vel insordescentia in 'delictis requiritur, ceu meminit De Luca *De benef, in sum. § 29 n. 222,* Rota in *decis. 711 n. 6 car. Dunoret* aliique passim. Quae tamen crimina contra sacerdotem Longhi non militant.

Imo nec odium tale existit, quale saltem ad removendum parochum prudentia exigere potest. Atque heic patronus plura cumulat in sui clientis defensionem testimonia, inter quae primum locum meretur scripta attestatio parochi *Origo,* cui concinunt parochus *Sesia* et plures alii testes fide digni, qui omnes agendi rationem sacerdotis Longhi commendant et laudibus extollunt.

Nec refert quod quamplurimi in contrarium testentur. In primis enim ex his plures ex auditu et fama, non autem ex propria scientia, testimonia tulerunt; unde parvi facienda est eorum auctoritas ad tradita per *cap. 47 De test.* Insuper nonnullos singulares esse singularitate obstativa orator contendit, ut e. g. accidit in accusatione de partialitate et iniustitia in subsidiorum dispensatione, et dictum unius enervari per dictum alterius.

Praeterea alii inverosimilia enarrant, ceu de coadiutore Conti contigisse videtur, quando asseruit parochum Longhi

mendacem ac furem esse; dum vicissim optima sunt quae de eiusdem parochi ingenio et honestate a pluribus aliis enarrantur.

Hisce addit quod ex inductis testibus plures a testimonio ferendo debuissent repelli, ceu sacerdotes Conti, Prandoni, Rolfìni et parochus Comezzoli, quia aemulatores et adversarii sacerdotis Longhi existunt ; et ideo ex *I. 3 ff. et 17 C. De test,* et *cap. 1 De excep.* debent excludi.

At dato etiam, patronus prosequitur, quod obiectum odium reapse extiterit; illud tamen esse partiale quatuor testes affirmant.

Insuper iniustum fuisse contendit, cum parochus Longhi nullam causam, nullumque populo praebuisset motivum, ut eum odisset. Idque manifeste probari, nedum ex depositione plurium testium, qui referunt parochum Longhi o nibus boni parochi muneribus satisfecisse, sed etiam ex to ipsius Curiae, quae in sacerdote Longhi nihil unquam ***x.*** monendum vel animadvertendum quidem repererit. « Porro cum » parochianorum odium est iniustum, non est quidem pa- » roecia privandus parochus, licet opus sit ut removeatur, » permutata scilicet una cum altera reditus aequivalentis. » Ita S. C. C. in *Spoletana Parochialis* 19 Ianuarii 1777; quod et punctim decrevit in *Limburgen. Permutationis paraeciae 22* Iulii et 19 Decembris 1857 et in *Herbipolen. Parochialis 22* Decembris 1860. At e contra Mediolanensis Curia sacerdotem Longhi, nedum sua paroecia spoliavit, sed inhabilem insuper ad aliam quamcumque assequendam eum declaravit; unde nova ulterior ratio ad eam sententiam infìrmandam iuxta patronum habetur.

Tandem ad ultimum suae orationis caput deveniens idem patronus clientem suum ab impactis accusationibus relevare satagit. Atque imprimis eum turbolentae et litigiosae indolis non esse, ex depositione quinque testium colligi posse contendit.

Quod autem avaritiae labe non sit iniectus, comprobant testimonia plura illorum qui asseverant sacerdotem Longhi

pia opera saepenumero gratis fecisse, aut suis impensis obiisse; imo bonorum parochialium conditionem meliorem sumptu suo reddidisse.

Quod vero colonos non oppresserit patronus colligit, non modo a depositione plurium testium, sed etiam a collectione rationum a tabulario exarata ad colonos beneficii Cambiagi spectantium parocho Longhi administrante.

Quod demum parocho Longhi non sit imputandum, si diebus festis aliquando secunda missa in paroecia defuerit, et si deficienti coadiutori alter suffectus haud fuerit, clare demonstratur ex litteris quibus ille sategit hunc alterumve sacerdotem ad missam celebrandam invitare.

Ex quibus omnibus orator concludit, imputationes suo clienti factas aut falsas esse aut exaggeratas ; simulque contendit populi aversionem, dato quod extiterit, modo cessavisse, adeo quidem, ut velitum decurio Picciocchi declarare potuerit, quod parochiani sacerdotem Longhi libenter exciperent.

QUAE CURIAE FAVENT. Ex altera vero parte observatum praeprimis fuit, in nova hac causae propositione sacerdotem Longhi nonnisi pauca quaedam extraiudicialia documenta produxisse in summario, quod ultimum vocat, contenta, et quae ut plurimum sunt praecedentis eius vitae laudativa: et nonnisi unum vel alterum novum documentum (attamen et ipsum extraiudiciale) attulisse, ut ab accusationibus et plebis odio se excuset. Quapropter ut a S. C. C. *recedendum a decisis* et restitutionem in beneficium consequatur insistere merito non potest nisi in documentis prima vice prolatis, nec in alio sperare quam in nova diversaque eorum aestimatione.

Verumtamen praeiudiciali hoc argumento etiam omisso, et in merito re inspecta, prout exigit concessum a S. C. C. repropositionis rescriptum, considerari oportet, existentiam gravissimi odii contra parochum Longhi iuridice certam esse. Quinquaginta enim et amplius testes in iudicio adstiterunt ex omni personarum coetu selecti, partim ex officio citati, partim ab ipso Longhi propositi. At vero ex his ipsi

quidem parocho Longhi favorabiliores, ut sunt comes Medolago Albani et D. Casanova, qui parocho Longhi sive ex pietate sive ex amicitia favent, qui utpote principaliores loci divites in hunc locum saepenumero veniunt, et rerum apprime conscii sunt, quique demum natura sua popularium factionum assectatores haberi non possunt, de odio populi in parochum Longhi et de periculis reversionis eius gravissimum testimonium dederunt.

Nec satis ; sed ex testibus ipsis a Longhi inductis, ut sunt sacerdos Pennuti, aedituus ecclesiae Pennuti, Ioannes Prandi et Caesar Brambilla aliique, et ipsi popularem aversionem in parochum Longhi gravibus verbis describunt. Nec omitti debet sex ex testibus a Longhi in suum favorem propositis, ex. quibus quatuor domini Casanova colonos, testimonium edere recusavisse; quod certe pro parochi causa non arguit.

Quin opponantur attestationes aut Decurionis velitum Picciocchi aut parochi Origo, aliorumque forte nonnullorum. Quandoquidem in primis haec extraiudicialia sunt. Imo Decurio licet invitatus, iudicio sistere abnuit, et sua asserta iureiurando firmare ; unde huius verba utpote non iurata, et nescio quo animo et consilio data, non videntur plurimi pendenda, nec certo iudicialibus iuratasque depositionibus anteponenda. Idem dicas de apologetica parochi Origo epistola, qua etsi (utpote comes , hospes ac saepenumero commensalis parochi Longhi) amicum suum pro aris et focis tueatur , et aversionis atque attentationum in eum factarum inimicam quamdam factionem culpet, eumque innocentem proclamet; tamen publicum populare odium in praesens quoque existere, negare non potuit.

Et licet parochus Origo aliique nonnulli, qui partes sacerdotis Longhi tuentur, huiusmodi populare odium gratuitum vocent, et praepotenti ac factiosae quorumdam coniurationi tribuere satagant, haec tamen eorum asserta parum cohaerent cum iuratis iudicialibusque depositionibus; ex quibus potius videtur, parochus Longhi non unam nec levem tantae aversionis causam vel ab initio dedisse.

Is sane ac prae primis accusatur avaritiae, quae causa fuit, tum ut suis parochialibus colonis onera et opera immodice augeret; tum ut spiritualia officia saepenumero differret, usque dum dona strenasque consequeretur; tum ut in subsidiorum charitatis administratione et dispensatione iustitiam non semper servaret; tum demum ut debitas tenuesque contributiones, ceu contigit cum sodalitate a SSmo Sacramento, mordicus denegaret. Culpatur insuper tam aeris et litigiosae indolis, ut nedum cum singulis oppidanis dure ac superbe saepenumero ageret, sed praeterea sive cum consilio fabricae, sive cum municipali consilio, sive cum sodalitate a SSmo Sacramento cuius erat praeses, imo et cum congregatione filiarum B. M. V. continuas gravesque contentiones haberet. Arguitur etiam de tam procaci mentiendi habitudine, ut pueri in plateis sibi mutuo exprobare consuevissent : « Sei più bugiardo del curato. » Asseritur, demum eum in sacris concionibus tam libere quoad lubricas quasdam difficilesque materias loqui quandoque consuevisse, ut eius verba scandalo plurium et puellarum ac puerorum offensioni fierent.

Haec non modo ex attestationibus parocho adversis, quae in processu habentur, plane desumuntur; sed etiam ex testibus quos ipse Longhi induxit, quos amicos habuit, et ideo sunt omni exceptione maiores.

Porro haec quae inter alia plura, de quibus, non sine causa, se nihil scire, aut audiisse fatentur, duo huiusmodi testes deponunt, nec pauca certo sunt nec levia, et eo certius credibilia quo a favorabilioribus personis promanant. Ioannes Prandi, alius ex propositis a parocho Longhi, licet eius fautorem se prodat, hoc saltem conqueritur, nempe filium suum ad sacram mensam admissum non fuisse nisi postquam nonnulla dona et strenas parocho contulerit. B contra sine ambagibus virum malae indolis, agricolarum oppressorem, oppidanis invisum eum renunciat testis Mantegazza.

Sed his aliisque missis, ad archiepiscopalem relationem paululum attendendum esse ait qua, licet dumtaxat enuncietur quale ac quantum fuerit populi odium, et ad quos

excessus et ausus conduxerit, nihilominus implicite evincitur parochum usque ab initio graves multiplicesque causas ad tantam aversionem dedisse. Non enim supponi potest quod paroecia ac plebs quae nedum ab Archiepiscopo sed ab ipso parocho *Origo* sacerdotis Longhi fautore, bona renunciatio, nihilominus sine ulla causa ac tam graviter suo parocho succensuerit, et repente pessima evaserit.

Profecto haec innocente parocho evenisse credi facile non potest. Et pariter causam tot malorum cuidam minusculae factioni tribuere, ut nonnulli conantur, devium esset ac falsum ; nam reapse non unus vel alter, sed ipsa universa plebs coniurata in parochum comperitur. Nec ad parochi culpam purgandam appellare iuvat, sicut quidam eius fautores contendunt, ad praecedentis eius vitae specimina : quoniam non raro accidit, ut qui in minoribus officiis bene se gessit, in maioribus sordescat: et de cetero iuxta Ordinarium, ratio agendi sacerdotis Longhi etiam in aliis anterioribus locis ac muneribus haud immunis a censura fuit. Quapropter vera tantae aversionis causa uni sacerdoti Longhi tribuenda videtur : et odium, de cuius existentia, extensione et gravitate dubitari iuridice nequit, non ex plebis malitia, sed potius ex ipsius parochi culpa, avaritia, arrogantia aliisque defectibus repetendum fore.

Age vero: si in iis adiunctis, si post longum diuturnumque processum et tam plenam certamque factorum demonstrationem, Archiepiscopus non valuisset talem culpabilem sacerdotem paroecia exuere, dicendum videretur, Ordinariis media deesse, -quibus urgentibus suae Dioecesis difficultatibus provideant ; et inamovibilitatem parochorum, quae ideo est constituta non ut sacerdotes seipsos pascant, sed utique ut sine anxietatibus quietoque animo gregis curae toto corde se dedant, quae uno verbo in bonum animarum introducta est, in perniciem et in ruinam potius subsistere, quod non potest admitti, nec unquam canonica iurisprudentia sanxit.

Hisce omnibus pro utraque parte relatis, dirimendum propositum fuit sequens

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, re disceptata, sub die 29 Martii 1890 respondere censuit: *In decisis et amplius.*

MOLINEN.

MATRIMONII

***Die** 29 Martii 1890.*

Sess. 24 cap. 1 De ref.

COMPENDIUM FACTI. Die 7 Februarii 1882 Carolus Paitot aet. 25 annorum et Angela Druelle aet. 18 an. ambo ex Dioecesi molinensi matrimonium contraxerunt inter se in forma Tridentina, praemisso, secundum legem Galliae, actu civili, et statim individuam vitae consuetudinem ducere coeperunt in domo paterna Paitot ; quam vitae consuetudinem deinceps ad menses Septembris usque servaverunt. Vertente autem mense Septembris eiusdem anni Angela, de consensu mariti domum paternam petiit, ibique per duos circiter menses mansit; deinde accepto nuntio mortis aviae Caroli ad domum mariti rediit die 15 Decembris, quam quidem die sequenti reliquit sponte sua, bis si Carolo credas contumeliose eiecta, iuxta Angelam et nonnullos testes oculatos facti; numqum ibi reversa est et nunquam reversura! Nunc ad iudicium Ecclesiae appellat, petitionem porrigens, primo, Episcopo molinensi deinde Sanctae Sedi Ap. pro dissolutione infaustissimi sui coniugii; et rem prosequuta est in forma canonica, ut iam dictum est, usque ad sententiam a Iudice prolatam qua decretum fuit : 1. Constare de non consummatione matrimonii in casu-2. esse causas gravissimas cur a S.S. petenda sit dispensatio matrimonii *rati et non consummati.* Contra quam sententiam Defensor vinculi, appel-

lavit, et Causa delata est ad Sac. Cong. quae enixe exoratur ut sententiam definitivam ferre dignetur.

Non parum iuvabit prae oculis habere penitiora huius coniugii facta, ea scilicet quae praecesserant atque ea quae illud consequuta sunt: ex ipsis enim intelligitur ad minus summa animi exacerbatio ex parte Angelae, quae reconciliationis spem omnem prorsus excludit. Et hic observari debet, Episcopum molinensem rescripto Sac. Cong. obtemperan tem, conatum fuisse pacem et concordiam inter sponsos instaurare, sed frustra, quod quidem admirationi esse non potest cuipiam qui seriem factorum perspectam habeat.

Lugenda certe historia, sed non infrequens, praesertim in iis regionibus ubi consuetudo parum laudabilis, potestatem et influxum plus iusto confert parentibus in matrimoniis suarum filiarum. Videmus in casu puellam formosam 18 annorum, summa cura usque ab infantia in conservatorio apud moniales, religione et scientiis excultam, a parentibus traditam viro hebeti, subagresti et rustico, qui prae imbecillitate sua plenissime subdebatur dominio suorum parentum adhuc magis rudium et agrestium. Ssd *dives* erat: et quod exculpat aliquatenus parentes Angelae a parocho exhibebatur ut mitis, timidus et optimis moribus instructus. Carolus namque uxorem invenire nequibat in regione ubi passim appellabatur stupidus, rudis; ubi sussurabatur illum esse nuptiis imparem. Revera impotens non fuit ut postea apparebit, et haec dicteria eo sensu sunt accipienda, ut exhibeant contemptum quemdam conceptum propter evidentem eius imbecillitatem.

Matrimonium oblatum exhorruit puella ob aspectum imbecillem illudque etiam cum lacrymis recusabat; sed frustra. Instat pater, instatetmater precibus importunis et minis. Pater asserebat se mortem sibi daturum ni coniugium illud fieret ; ita ut uno ore testes omnes - qui plures sunt, et inter ipsos medicus familiae - proclamant Angelam veram vim moralem subiisse. Victa demum puella precibus parentum et parochi commendationi credens, consensum dedit, et vitam coniuga-

lem cum Carolo incoepit Cantilia, in domo paterna mariti. - Verum, quam misera sorte collocata fuerat, brevi patuit. Pro socero et socru conviciatores habuit - pro marito turpem sodomitam, pro domo infernum, ut ipsa lamentabatur. Etenim a primordio coniugii Carolus mentem suam aperiens, uxori commisit , se non experiri voluptatem coeundi cum feminis sed cum maribus; itaque eam tantummodo ut masculus cognoscere velle, et sibi in animo non esse filios procreare. Exhorruit sane puella, quae quantumvis ignara rei maritalis, nihilominus suspicari debuisset quid vetiti sibi proponi, cui proinde totis viribus resistere conabatur. Hinc iurgia et discordia. Misera uxor in dies tristior efficitur , et mox conviciis atrocibus impetitur-Socer, socrus et Carolus ipse eam appellant nequam, scortum, meretricem , dignam quae mimam ageret. Eadem exprobrabatur, et quidem falsissime, quod Vichiaci milites amasios habuisset, et res inaudita, quod a patre Parisiis ducta fuisset mari submittenda. Socrus ait, si Angela liberos procreet eos non diligam, quippe qui Caroli non erunt proles; et Carolus aiebat, quaecumque a genitoribus meis dicuntur vera sunt; eadem dico et ego. Quid mirum si infelix quindecim post matrimonium diebus apud amicam questa sit: decepta fui quoad omnia ; iam a marito et parentibus eius crucior. Et elapsis tribus mensibus Dñae Cosnier spectatissimae viduae, illi ab infantia amicitiae devinctae commisit quod Carolus nonnisi turpiter et modo innaturali agere vellet - Neque mirum quod domui parentum restituta, circa mensem Novembris iam cogitasset de separatione petenda; a quo proposito deterrebatur a parocho Pannetier, cui illud manifestavit ; qui in. suis de hac re uteris Angelam ab omni culpa exonérât et familiam Paitot eiusque agendi rationem acriter reprehendit - Angela ergo re melius perpensa, et arrepta occasione ex morte aviae mariti, Cantiliam reversa est, socio patre suo, die 15 Decembris. Vix domum ingressa incipiunt aspera verba et iniuriae et post noctem unam elapsam, Carolus e domicilio miseram expellit, electionem ope iudicii et vis publicae illi

minitans, ni statim abeat. Abierunt ergo Angela et pater et brevi clauditur historia coniugii morte infelicis patris prae dolore; nunquam enim sibi ignoscere potuit, quod filiam carissimam in tantum infortunium praecipitasset.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. EX hac enarratione, desumi possuni argumenta sat gravia in favorem actricis, et nemo mirabitur ait, ipsam recurrere ad S. Sedem pro *declaratione nullitatis* ob metum; et quatenus stet vinculum, pro dispensatione *matrimonii rati et non consummati.* Hanc petitionem , infirmam quidem quatenus respiciat *declarationem nullitatis,* validam esse iudicat et dignam ut benigne audiatur quatenus dispensationem ex gratia a S. Pontifice exoret.

Nunc de petitione quoad singulas partes agendum; ac primo de metu praetenso, quod facili negotio expediri potest. Dubium non est quin Angelae parentes quamdam et etiam notabilem vim et coactionem exercuissent, ut matrimonium hoc filia contraheret: elucet hoc factum ex depositionibus omnium testium et ipsius matris Angelae. Verum ex ipsis nemo est qui probat aut etiam affirmât *saevitias* aliquas aut *minas* adhibitas, nisi excipias illam patris dicentis « se mortem sibi daturum. » Preces importunae absque dubio augere metum reverentialem possunt, sicut ipsum causant, qui metus impedimentum dirimens esse potest; sed cum agatur de matrimonio, in forma Tridentina contracto, gravis metus difficile probatur, et si gravis non est, causa ultro cadit. In casu praesente defectivae sunt probationes pro ea parte et ad summum res dubia relinquitur. Quare meliori consilio actrix instat potius pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, hac ratione ducta, quod metus ille qui minus idoneus reputatur ad matrimonii nullitatem declarandam, sufficiens habetur ad dispensationem obtinendam. Quod quidem ex hac Sac, Cong. conficitur, in Bracharensi *Disp. matr. 23 Ianuarii 1823.*

Dispensari posse in matrimonio non consummato ab omnibus nunc admittitur; cuius doctrinae fundamentum tradi videtur a D. Thoma in Supplem. Quaest. 61 a. 2, ad 1. Matrimonium, ante carnalem copulam significat illam coniunctionem, quae est Christi ad *animam* per *gratiam* , quae quidem solvitur per dispositionem spiritualem contrariam^ scilicet per peccatum mortale; sed post carnalem copulam significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quantum ad assumptionem humanae naturae in unitatem personae, quae omnino est indivisibilis » et 1. c. ad 2. « Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius... sed per copulam completur dicta translatio. » Et re sane vera, solvi cum possit vinculum matrimonii rati tantum, voluntate unius coniugis convolantis ad statum perfectiorem, quare non solveretur a Pastore universali Ecclesiae, ut ovis a periculo ruinae aeternae eripiatur? Procul dubio id sanctitati Sacramenti debetur, ut nunquam nisi ob gravissimas causas unio matrimonialis disrumpatur; quando vero rationes huiusmodi adsunt quae felicitatem afficiunt aeternam non minus quam temporalem petentis, locus certe datur pietati et misericordiae Sanctae Matris Ecclesiae. Et ita revera accidit: Ecclesia enim expositis et probatis rationibus sufficientibus, solita est benigne dispensationem petitam concedere. Quae sint tamen rationes sufficientes ex praxi Sac. Cong. potissimum deprehenditur - scilicet pessimos viri mores - iustam mulieris aversionem - nullam spem reconciliationis. - Igitur si actrix probaverit, 1. non consummatum esse matrimonium; 2. existentiam motivorum sufficientium, haud immerito a S. Pont. postulat dispensationem sui matrimonii -- quod quidem, me iudice satis superque fit in casu.

Non consummatio evincitur 1. ex virginitate mulieris. - Sed constat Angelam fuisse virginem post cohabitationem septem mensium. Ergo constat hoc matrimonium non fuisse consummatum. -Minor probatur a) ex peritia duorum medicorum id sub fide iuramenti testantium post inspectionem cor-

poris Angelae hoc intento ab ipsis peractam, testimonio duarum obstetricum, quae, adstante matrona spectabilia inspexerunt corpus Angelae eodem fine, ut praescribitur in Constit. « Dei miseratione » et Instruct. Sac. Cong. 1840 2. ex Confessione ipsius Caroli coram iudice civili, id enim affirmat et ipse. - Argumenta tam clara et evidentia pro non consummatione non audet Defensor vinculi aperta fronte impugnare ! Conclusionem vero in dubium revocat ex alio capite, opponendo scilicet quorumdam medicorum commentum, qui, ut ait, docent impossibile esse probare ex inspectione genitalium mulieris, non inspecto corpore viri, eam esse virginem, cum talis sit in aliquibus feminis membranae hymenis tenacitas, ut congressu maritali non dilaceretur - Verum obiectio non valet 1. quia in his feminis abnormalis est certe consistentia membranae,- quod quidem absque dubio innotuisset obstetricibus aut saltem medicis in casu; dum e contra omnes altum tenent silentium de aliquo abnormali et monstruoso in Angela-2. quia supradicta doctrina, si quidem doctrina dicatur, nititur casibus quibusdam extraordinariis et paucissimis, quinque vel minus in tota historia medicinae legalis mulierum, quo praegnantes inventae fuerint, non ruptae, saltem, notabiliter, hymene. Sed factum omnino insolitum non suppeditat fundamentum pro iudiciis quae de communiter contingentibus procedere debent; et reapse procedunt. Dicamusne dispensationes et declarationes hucusque in simili re datas, omnes illegitimas et invalidas fuisse? 3. Factum quo theoria haec nititur iam ab antiquo notum est, ut colligi potest ex Sánchez *De matrim lib. 7 d. 113 n. 10,* quin tamen immutetur in aliquo processus, a iure in hac materia praescriptus. Standum est igitur veteri ac communi doctrinae, quae ceteroquin etiam hodie a peritissimis medicis docetur, scilicet signa physica integritatis corporalis nullatenus stare posse cum copula carnali, potissimum cum usu coniugii; obiectio ergo ruit, et constat matrimonium non fuisse consummatum.

Veniamus nunc ad rationes ab actrice allegatas pro dispensatione. *Primo* omnium defensor vinculi plurima congerit contra vim ab Angela praetensam, quae omnia optima quidem sunt et magnum valorem haberent, si de nullitate quaestio mo veretur. Iam dixi non constare de impedimento metus: sed abunde demonstratur ex testibus ab ipso Defensore citatis puellam deceptam circa qualitates sponsi fuisse et abunde etiam evincitur iuvenem hanc 18 an. talem ex parte parentum subiisse coactionem, per preces importunissimas, ut impossibile sit quin eius libertas in contrahendo fuerit graviter imminuta. Verum *imminuta libertas,* sicuti et *metus dubius* in praxi Sac. Cong. Conc. inter causas dispensationis admittitur.

Ratio secunda petitur ex moribus perditissimis mariti qui sodomitice uxore sua abuti voluerat, res apprime detestabilis, quae nata est summam gignere aversionem in corde feminae excultae et verecundae - praeterquamquod grave peccandi periculum constituat. - Contra hanc accusationem urget Defensor vinculi quod unius Angelae testimonio fulciatur. Sed testimonium etiam unius in hac re, quae plures non admittit, habendum est ut verum, si testis ille veridicus est et praesertim si asserta confirmentur adminiculis validis extrinsecis. Iam vero ab omnibus Angela ut bona et sincera praedicatur: ipse D. Pannetier eam extollit et « *immeritum eius infortunium* » miseretur.

Adminicula autem sunt communicationes factae D. Barillet 15 diebus post matrimonium « se in *omnibus* fuisse deceptam > et Dñae Cosnees post tres menses « Carolum modo innaturali semper agere » Quid significant haec? Cogitandumne est puellam 18 an. ab infantia apud moniales educatam, ita in obscenitate et malitia profecisse, ut nefanda haec excogitaret et marito innocenti perverse imponeret? Incredibile hoc est inquam; et nihilominus credendum est, nisi eius testimonium ut verum accipiatur. - Adminiculum est non consummatio matrimonii post septem menses. - Certum videtur Carolum impotentem minime fuisse. - Certum

pariter est nil monstruosum in Angela reperiri, quae insuper iurat se nullum consummationi apposuisse obstaculum, nec contradicitur nisi a Carolo. Quis igitur credet ipsum non potuisse matrimonium consummare, nisi vellet ex industria abstinere et illicitis tantum frui ut uxori commisit? Et hic animadvertendum quod Carolus constanter recusavit coram iudice ecclesiastico comparere licet bonus et pius iuxta D. Pannetier; inutiles sunt citationes, iuridice factae, inutiles suasiones amicorum. Quare? Passive se habere vult, ait ipse - Sed futilis et insulsa responsio, quum de re sua et honore maxime agatur-Melius dicendum, virum vitio innaturali deditum Iudicis interrogationes vereri et periculum aut periurii aut famae amittendae evitare voluisse. - Et hoc confirmatur amplius ex incoherentia assertorum eius circa totum hoc non-consummationis negotium. Id accidisse culpa Angelae, ait; sed *primo* de hac culpa prorsus tacuit, scilicet in libello iudici civili oblato mense aprilis 1883 - in quo conquestus est, uxorem deseruisse domicilium, et *sic officio coniugali* defuisse. - Postea arguit voluntatem contrariam Angelae, et pro argumento attulit « impositionem fomentorum » quod argumentum diluitur plane testimonio Catharinae Druelle, ex quo apparet fomenta haec imposita fuisse; 1. super stomachum tantum - 2. sex vel septem vicibus - 3. Contra voluntatem Angelae taedio ab iis affectae - Nuperrime demum fabulatus est, se abstinendo, obtempérasse voluntati patris uxoris, qui eum monuerat ut filiam parceret. Pater iam a quinque annis mortuus, res explorare nequit: eo tamen vivo nihil tale ausus fuerat proferre. Collatis igitur his tergiversationibus Caroli cum simplici testimonio Angelae, iam a primordiis matrimonii dicentis virum noluisse debito modo agere, difficile non est discernere pro qua parte stet veritas. Quinimmo attentis, quae nota sunt circa ingenium plusquam mediocre Caroli, qui ex parentibus in 2.do consauguinitatis coniunctis genitus, imbecillitate illa laborare videtur, quae non raro in tali prole perspicitur, non improbabile videtur primam fuisse veram Caroli responsionem: ce-

tera autem prolata e suggestu aliorum, nempe parentum qui illi omnino dominabantur. Quidquid sit de hac re, constat, Angelam nulla lege constringi ad cohabitandum cum marito huius generis et proinde causam esse iustissimam ex hac parte pro dispensatione.

Altera causa habetur in opprobriis et contumeliis, quibus misera iugiter impetebatur in domo mariti ab ipso et eius parentibus. De his iam in antegressis satis dictum fuit. Probantur testimoniis domesticorum - amicorum quorumdam - et uteris D. Pannetier, testis parum Angelae favorabilis; quibus vexationibus merito adiungitur publica et contumeliosa e domicilio eiectio, quod pariter negari nequit - Contra hanc et etiam praecedentem causam gravis moveri potest difficultas, inquit, orta ex sententia lata in Curia civili. Secundum hanc sententiam videtur paritatem esse quamdam inter coniuges litigantes, esseque iniurias reciprocas, tum quoad officia coniugalia, tum quoad contumelias. Verum si totus processus attente perlegatur statim deprehendetur, sententiam, quatenus Angelae adversetur, parum immo nihil valere. Siquidem testes ab Angela producti , illi sunt qui eius conversationem quotidie ob oculos habebant, nominatim Anna Côte, Eugenia Debatisse, Antonina Bourgne. Omnes unanimiter testantur Angelam fuisse semper erga Carolum amoenitate et urbanitate plenam, sive Cantilia sive Vichiaci: Carolum autem « zelotypum taciturnum » vel « contumeliose maledicentem. » Ipse D. Pannetier, amicissimus familiae Paitot, fatetur Angelam non invenisse observantiam debitam in domo, et aliunde nulla fuisse reprehensione dignam. E contra testes Caroli sunt « *extranei, attriti* » potiusquam « *oculati.* » Qui referunt et referre possunt unum vel alterum factum tantum, sive fama auctum, sive a longe perspectum sive perperam interpretatum. Immo Anna Côte quae utriusque partes rogatu citata est, coram iudice civili omnino in favorem Angelae et contra Carolum testimonium dixit. Unicum quod allegatur, nempe Angelam poculum vini in faciem Caroli iecisse, fabulam esse et absurdum commentum osten-

ditur testimonio unius ex adstantibus. De non consummatione iam satis dictum, quod constat in culpam non esse vertendum Angelae, sed ipsius Caroli. - Quare ergo iudex civilis, aeque damnavit utrumque? En explicatio allata. Praeses tribunalis tunc temporis ambiebat officium consiliarii apud curiam appellationum, quod ut obtineret illi patrocinio opus erat cuiusdam propinqui Caroli. Existimabat autem sententiam parum Angelae nocivam, quae in fine quod optaret, obtinuit, sibi autem plurimum pro futuram. De facto consiliarii munus assecutus est.

Quid haec valeant nescio; sed ex attenta totius huius processus consideratione, censeo sententiam esse aperte *contra* testimonia quatenus Angelam afficit, et proinde iniquam, nullumque robur eidem inesse debere in tribunali ecclesiastico. Ceteroquin sententia flagrantis iniustitiae inauditae res non sunt recentioribus his temporibus in Gallia et alibi.

Alia demum causa dispensationis est conditio difficilis et prorsus singularis Angelae, quae rupto civili vinculo ligata manet, et saltem in foro externo, vinculo sacramenti, quod constituit certe periculum grave incontinentiae vel novi contractus. Angela enim viginti quatuor annis nata, orbata patre, cum matre senescente et aegrae valetudinis, nec fratres, nec sorores habens, omni destituitur auxilio. Periculum eo maius est quod sit pulcherrima, Vicinaci degat, civitate scilicet luxui et deliciis dedita, et ibidem cauponam exerceat. Ceterum vehementer a pluribus solicitatur, ut novum ineat connubium etiam valetudinis causa. - Quae omnia constituent sane motivum solidum pro dispensatione.

Quibus si addantur cetera quae in antegressis stabiliuntur; nempe error gravissimus in quem inductae fuerunt puella et eius parentes - vis adhibita a patre ut cum Carolo contraheret - pessimis huius mores et vexationes ab ipso illatae quae reconciliationis spem omnem penitus excludunt , habebitur casus iis conditionibus vestitus, quibus moveri solet S. Cong. ad impetrandam a summo Ecclesiae Rectore dispensationem in matrimonio rato et non consummato.

Ex praemissis colligit Consultor theologus *sustinendam esse sententiam Curiae molinensis, et supplicandum SSmo. pro dispensatione matrimonii rati et non consummati Angelae Druelle.*

VOTUM CANONISTAE. Antequam disquisitionem aggrediar, ait consultor, tria necessario sunt praemittenda in themate: duo circa *extrinsecum* causae meritum, et unum circa *intrinsecum.* Igitur *a)* Tabulae processuales ex parte viri omnino desunt in Actis. Hic ut in iudicium conveniret sive a proprio Parocho, sive a matrimonialis vinculi Vindice apud Curiam molin^n. bis et bis extraiudicialiter adhortatus, et deinde bis iudicialiter per vadimonia petitus, coram Iudice ecclesiastico contumaciter perstitit, et ne testes quidem designare voluit, qui contra actricis relata et allegata deponere valerent. Sed hoc, ut probe noscitur, haud officit actrici: non enim uxor tenetur pro marito *1 et 3, C. nec uxor pro marito;* neque officit causae, ita ut ob contumaciam huius impediatur Iudex, quominus sententiam *definitive* ferat *c. Quoniam 5, de lite non contest.*

b) Plura occurrunt in actis, quae minus accurate solemnitatum formam praeseferunt, ita ut potius quamdam *verbalis,* et non processus speciem exprimant, praeterquod etiam quae authentiam firmant desiderantur; ut e. g. datum diei et anni singulis excussionibus, una dempta; sigillum Curiae etc. quae quidem de facto et consuetudine possent acta uti infecta vitiare Schmalzgrueber */. cit. t. 2, tit. 22, n. 15,* Bouix *De iudiciis tom. 1, p. 1, c. 3, q. 2.* Neque circa interrogationes res in liquido versatur, non enim ita plene et enucleate, sunt sive proposita, sive excussa, ut absolutam accuratamque factorum notionem haurire sinant, et ut expedite et ordinate procedatur ad quaestionis solutionem attingendam.

c) Denique tum actrix, tum patronus eius causae in prima instantia propugnant *coactionem moralem* ex *timore reverentiali* obortam, ut pro nullitate matrimonii concludant. Non est dubium, praeter depositiones ipsius ^actricis eiusque

Matris, alios quinque testes affirmare aliqualem istiusmodi coactionem; verum robur omne huius iuratae attestationis statim evanescit ex iurata pariter attestatione ipsius Angelae. Interrogata enim haec an in actu celebrationis matrimonii propositum foveret sese subeundi cunctis novi status oneribus, Angela nihil haesitans respondit absolute. Cuius explicitae affirmationi subsumens Iudex ait : usque a prima die idem cubiculum, lectumque eumdem habuistis una cum viro ? Iterum Angela subdidit *utique.* Interrogata denique: obstaculum ne parasti implemento debiti coniugalis? absolute inquit *numquam paravi.* Sane ne diu in re perspicua immorer, aut coecutiri, inquit, necessum est, aut fateri cogimur ex libero, plenissimoque consensu praestito ab Angela actu celebrationis matrimonii, et postea absque ulla interruptione per condormitionem cum Carolo, septem circiter mensibus habitam, ipsam ratum fìrmissimumque retinuisse, et retineri velle suum contractum. Quare quaestionem universam circa *coactionem moralem* in themate inter fabellas ultro reiicio.

His praemissis iam ad causae meritum propius accedendo puto, ait consultor, quod raro equidem aliam huic similem pertractari contigerit. Elegantem ferme dixerim hanc, non solum nexu inspecto per quod evolvitur inter pugnantia motiva, quibus isti coniuges secura fronte unus alteri culpam vertit de inconsummatione et de iurgiis per septimestrem in maritali contubernio sibi invicem acriter mutuatis; sed etiam inspecta causa ex qua dispensatio procedet. Agitur enim non iam de dissolutione matrimonii rati, ex capite impotentiae naturalis sive fortuitae, aut ex diversis formis antipathiae derivanus, per quas omnes, impossibilitas perpetua consummandi, sin minus necessario et physice certe, ut in primis speciebus, saltem morali certitudine, ut in ceteris, semper adstipulatur; sed agitur proh pudor! de dissolutione matrimonii non consummati ex nefanda pravâque *pederastia,* habitualiter in viro indita; qua hic nequissimis stuprator contra uxoris naturam, impio veneris actus inge-

nio, nihil de sacramento, nihil de prole calet, neque caliturum perhibetur, et contumaciter id sustinet.

Ex quibus etiam ratio dubitandi appareret: an matrimonium Caroli sustineri possit? Videtur enim conditionem ab eo fuisse appositam in contrahendo contra substantiam huius contractus, qua nimirum *obiectum* eius destruentur, et hoc ad statuta per textum *c.* Si conditiones *fin. de condiction.* ubi quae referuntur, dicta censeri debent in exemplum pro omnibus aliis condictionibus, quae substantiam matrimonialis contractus adversarentur, ut ibi bene notat Abbas et Ancharanus *n. 2,* Alexand. De Nevo *n.* 5. et Io. Andreas, Enricus Boich, *n. 5.* Sed depositio iurata Angelae in qua fulcrum omne huius dubii vertitur, etsi magnum robur et vim consequatur ex probata integritate eiusdem, tamen puto non sustineri, nec sustinere studerem cum non constet, Carolum voluntatem hanc antecedenter ad matrimonium habuisse, ut in terminis declaravit S. C. C. dum eius a Secretis Summ. Pontifex Benedictus XIV adhuc in minoribus esset, in *Ulixiponen. occidentali,* de qua acriter disputatum fuit die 16 Martii 1720, 31 Iulii 1723, et tandem die 18 Iulii 1724. *Quaest. Canonicae 148, 386.*

Itaque ut rem breviter ac ordinata methodo perstringat, duobus capitibus disquisitionem omnem dimetiri contendit, uno scilicet quoad inconsummationem matrimonii, altero quoad honestas gravesque causas ad apostolicam dispensationem implorandam concurrentes. Et quoad primum caput, ait, tria ex iure notissima, ad probationem pro inconsummatione faciendam in themate requiri: iuratum nempe testimonium *a)* actricis, *b)* septimae manus, et *c)* aspectus corporis puellae.

De iurato testimonio puellae quanti sit faciendum, in huiusmodi causis, late desumitur ex praxi iam retenta apud S. Poenitentiariam relata per Corradum *Prax. dispens, apostolici L 8, c. 7. n. 36,* quae ab an. usque 1681 in foro conscientiae, iuramento illo dumtaxat attento, dispensare suevit super matrimoniis ut in themate; sed deinceps

Innocentius XII per *Const. Romani Pontificis* perpetuo de hac praxi cavit. Huic aestimationi vim omnem derivasse constat ex pluribus Decretalibus, inter quas *c. Laudabilem 5 de frig. et male f. c. Continebatur 6 de despons. impub. c. Proposuisti 4 de probat,* etc. quae omnia in praesumptione fundantur conscientiae integritatis *c.* Mulier *34 de iureiur;* quam conmaculare periurii crimine non sunt dicendae, illae quae ad peccata vitanda, Ecclesiae iudicium praestolantur.

Talique conscientiae integritate actricem pollere, ob piam eius educationem in monasterio acceptam, religionis morumque observantiam, decem testes uno ore concinunt; et si unus excipiatur Carolus, qui extraiudicialiter mordicus calumniare Angelam se non pude t, nusquam in actis hilum apparet contra candorem integritatis animi nostrae actricis.

Nec collusionis suspicionem ingerí posse Angelam inter et Carolum: idque non uno ex capite evincitur. Licet uterque coniux palam confessus sit eorum matrimonium mansisse ratum, tamen discordibus omnino, imo contradictoriis causis inconsummationem probare nituntur. Carolus in libello reconventionali pro divortio in Angelam reiicit culpam et causas designat, manifesta et absoluta voluntas ab ea initio cohabitationis expressa, inde repulsis, effugiis, simulationibus obstinate retenta, precibus parentum puellae accedentibus, ut ab eorum tenella et adhuc valetudinaria Angela, quantum fieri posset se abstineret. - Angela e contra de inconsummatione iurate Carolum redarguii, nam deducit : etsi requisita numquam se debito subtraxerit, valetudinem obiiciens, tamen ipsum, praecise ipsum, noluisse consummare, dum ait: « il m'a declaré qu'il voulait agir avec moi, *comme avec un garçon,* quoniam ipse « ne voulait pas avoir d'enfants et que d'ailleurs il lui plaisait mieux d'agir autrement »

Si iis conniugibus cordi esset colludere, haud explicaretur ut Carolus iterum iterumque iudicialiter et extraiudicialiter vocatus coram iudice stare noluerit, ut a criminibus

ab actrice contra ipsum obiectis purgaretur: iis enim vigentibus nuspiam a S. O. C. facultas ei tribueretur ad alia vota convolare.

Cum igitur plena fides, iuratae actricis attestationi sit adhibenda, en ut illa sub iuramenti fidem adstruit de inconsummatione, affirmans, matrimonium suum mansisse ratum unice, ut ipsa ait, causa eius mariti, cui numquam sese opposuit quoad matrimonii consummationem, et cum quo commune habuit cubiculum, et lectum a prima die initi matrimonii per septimestrem et dies viginti et unum. Ex quo tempore Cantiliam haud prius repetiit quam die 15 Decembris, ibi profecto mansura, nisi insequenti die Carolus eam depulisset, duris obiurgationibus. Et de facto discessit Angela, ne peiora perpeti se exponeret, haud amplius coniugalem domum visura.

Hic operae praetium est sedulo distinguere epocham ab epocha, ut inconsummatio exacte statuatur. Et duas epochas Angela in praedictis discernit. Prior a 7 Februarii 1882 ad 28 Septembris sequentis vertitur, altera ab hac postrema die decurrens ad 16 Decembris eiusdem anni pertingit, in qua post duos menses et 17 dies, quibus domi paternae fuerrat hospes, tandem Paitot domum régressa est, et ab ea immediate depulsa, hanc non amplius repetiit. De prima epocha patet ex dictis matrimonium non fuisse consummatum, de altera nullibi reperitur verbum, sive in excussionibus, sive in actis, ad declarandum quid tunc temporis circa inconsummationem evenerit, quod, patet, per iudicem firmandum fuisset. Itaque omissionem supplere studeamus.

Ad hanc epocham explorandam nullum aliud suppetit argumentum, nisi quod ex coniecturis et adminiculis desumi potest, nam cum singula non prosunt, multa collecta simul iuvant Glossa in *Praeterea 27 de test, et attest. verb.* de auditu *in fin.* et *c. Cum Causa 13 de prob. verb.* adminicula; ac *l. sancimus C. de testam*, etc. Quae sane praesto esse putat et vehementer assurgunt ex aversione animorum praedict. coniugum et ex odio familiae Paitot, quae non pa-

tiebatur consortium familiae Druelle penes quam Angela manebat et explicite ex epistola Caroli coniicitur data matri Angelae ipsa die 28 Septemb. 1882, qua haec e domo coniugali Vichiacum abiit, ad matrem Cantiliam ducendam iuxta condicta, ut ibi rusticaret.

Et circa aversionem animorum coniugum probatam remanet ex parte Caroli per ea quae deduxit ante tribunal dannati in reconventionali petitione divortii, quae tanta fuerunt ut favorabilem sententiam obtineret ; et ex parte Angelae per depositiones iuratas, quibus contubernium cum viro pluries nuncupavit « un enfer, » et qua tale dicendum est eum a se quantum potuit ablegasse, et de facto valde abhorrait.

Ex his porro coniicere datur in determinata superius epocha altera, quod nec Carolus apud socrum, quo Angela se habebat, voluerit pergere mansurum, nec Angelam apud Paitot rediisse solam. Et de facto vix 15 Decembris praed. eam attigit domum, cum suo genitore comitata, ac illico fuit putide reiecta, ut iam innui, et mox textualiter referam. Nec pariter praesumendum in nocte a die 15 ad 16 Decembris praefati, domi Paitot evoluta, consummationem accidisse. Nam huius temporis decursu iurate deponit Antonina Burgne testis de visu, quod Carolus una et altera vice milites et iudicem appellare volebat, ut eam ignominiose expelleret. Igitur ab ingressu Angelae in domum Paitot, ad eius ab hac expulsionem, morali certitudine remanet probatum matrimonium eius constanter mansisse inconsummatum.

Inconsummatione itaque huius matrimonii, ex capite iuratae depositionis actricis in vado posita, eamdem probationem ex septimae manus depositionibus roborat. Vim omnem horum testium in casu matrimonii tantum rati sitam esse in eorum iuramento *de credulitate* coniugum firmatur textu ex *cc. cit. Laudabilem et Requiswisti,* et hoc sapienter: cum enim agatur de re occulta, testantur hi verisimiliter posse credere dictis actorum, quatenus sunt dignissimi fide, sicque per proprium iuramentum purgatores fiunt de quavis possi-

bilitate mendacii tollenda, sive periurii illorum, ut optime exponunt Innocentius in *sup. cit. c. Laudabilem in fin.* et Io. Andreas *ibi n. IO.* Unde desumitur quam maximi valoris sit horum attestatio, quandoquidem « quamvis, ut concludit card. Turrecremata in d. *c.* Requisì visti *n. 4.* de actu illorum numquam haberetur certitudo per facti evidentiam, homo tamen ut plurimum, per signa probabilia et coniecturas deponit, quae quamvis non sufficiant ad generandam scientiam, sufficiunt tamen ad generandam fidem seu *credulitatem:* > et sic communiter DD. in d. *c. Laudabilem* Cf. Pirhing. */. C. I. 4, tit. 15, §. 3, notat. 4.* Schmalzgrueber *ibid nn. 89, 90.*

Et ad hanc validissimam probationem in themate assequendam, haud multis immorari continget. Septem enim sunt testes de *credulitate* inconsummationis ab actrice assertae, inter quos duo propinqui Angelae, tres ex eius vicinia et duo Parochi: scilicet unus qui fuit auctor et dux huius maleominati coniugii, quique mox ex Cantilia est Parochus Duae Nostrae de Montluçon principalis Curio in Dioec. Molinen. post illum Cathedralis, alter qui hactenus moderatur Paroeciam Cantiliae. Hi omnes uno ore interrogationi datae an retinerent inconsummationem assertam matrimonii coniugum Paitot-Druelle, nihil cunctando, responderunt se certe credere Angelam *mansisse virginem,* quia matrimonium retinebant *haud fuisse consummatum.* Ergo per septimae manus testimonium sacramento iurisiurandi firmato satis constat et probatur de asserta veracitate actricis circa inconsummationem matrimonii.

Ad tertium caput quaestionis de veniens consultor ait, inspectionem corporis puellae, *potissimam probationem** imo UNICAM pro hoc genere caussarum constituere, ut probe ait oculatissimus Vindex Matrimonialis vinculi S. C. C. in suo voto ex officio in casu. Et revera tanti ponderis est probatio haec ad cit. *c. Proposuisti,* quod ad tradita per Glossam in *e. Causam matrimonii 14 de test, et attest. verbo Mulieres circa medium,* etiam « confessioni viri praefertur: »

ac bene probant Mascardus *De probationib. tom. 3, conclus. 1410 n. 14 seq.* Pirhing. *op. cit. I. 2, tit. 19. § 6, n. 28.* Schmalzgrueber *ibid. n. 64;* et qualis *demonstratio veritatis* iuxta Pichler *ibid. n. 13:* quae magis magisque est attendenda in themate, cuius a tabulis processualibus confessio viri exulat, nec sperari potest ut vidimus. Quem tamen defectum suppleri poterat arbitrio iudicis per testes a se ex officio inquirendos, et in causa de suprarelata notorietate prudenter fecisset ut arbitror: attento etiam quod in materia casus non requiruntur testes omni exceptione maiores ad regulam iuris *c. Super eo 22 eod.* et *c. Videtur 3, qui matrim, accus, poss.* ut docent communiter DD. penes Grutierez *De matrim, c. 44 n. 68,* et latissime probat suprad. Mascardus *op. cit. tom. 2, conc. 1022 n. 15 per tot.*

Itaque haec inspectio peracta fuit cum dispensatione, ut praenotavi, ob scandala vitanda, super stricta observantia totius formae praescriptae per Constit. *Dei miseratione* et Instruct. *Cum moneat,* sed ad tramites voti citati et in copia transmissi Defensoris vinculi S. C. C.

Hac super dispensatione innixa Curia Molinen. universa huiusmodi exploratio satis perfunctorie fieri sategit, et unice constat in actis ex declaratoria *quinque vel sex linearum* a duobus Obstetricibus per Medicum-Chirurgum admonitis, sub vigilantia honestae Matronae singillatim firmata, ac ex responsionibus datis in confirmationem *conclusionum* exhibibitarum apud Magistratum Gannati in iudicium divortii horum coniugum a duobus Medicis illuc adscitis: omisso vero prorsus alio interrogatorio Medici-Chirurgi Hilarii Fournier qui Obstetricibus tunc praefuit.

Porro ex praefatis documentis Obstetricum en quid ex integro habetur. Prima Obstetrix Anna Pacaud Buissionnier declarat « avoir constaté que Mlle Druelle est complètement Vierge, avec une membrane hymene absolument intacte: l'orifice est tout à fait circulaire et l'acte conjugal n'a pu avoir lieu dans 1' état actuel de la jeune femme >. Altera Obstetrix Francisca Alligier uxor Digot, declarat:

« avoir constaté que Mlle Druelle est complètement Vierge, que *Y* orifice de la membrane hymen est circulaire sans aucune cicatrice, et elle affirme sans aucune hésitation qu'auGun rapport conjugal n'a eu lieu. »

Medicorum peritia facta est et firmata die 13 Augusti 1883 a DD. Iacobo Nicolas et Prospero Willemin pro Grannati Magistrato, et nunc confirmata fuit sub iuramenti fide ab iisdem apud Curiam molinen. in qua ita concluditur: 1. L' état des parties genitales *rì est nullement en rapport avec une vie conjugale de sept mois.* — 2. Les tentatives de défloration si elle ont eu lieu, ont été incomplets comme le prouve la conformation de l'hymen qui *nous parait* intact.

At vero EE. PP. fateor, admissis plane praecedentibus probationibus, postremam hanc, quae est ut dixi, *potissima* imo *unica* ad probandam integritatem Angelae, mihi non videri sufficientem. Facta enim proportione modum inter quo inspectio puellae fuit peracta, et modum septimestrali cohabitationis horumce coniugum, nequicquam concludit: quia termini propörtionis valde inter se sunt disparati, nec apparet quomodo aequari possint.

Siquidem verum est probationem hanc *cummulative* non autem *copulative arg. ex* c. *Requisivisti* et *c. Laudabilem § si autem cit.* sumendam esse; sed cum alias probationes de rigore iuris praescriptas ex parte alterius coniugis servari nequeant, adminiculum hoc inspectionis mulieris rigidius erit probandum, cum agatur de magni sacramenti vinculo dirimendo pro quo ut docet Rota *decis. 392, n. 27 rec.* cum DD. universisj et S. C. C. sancte semper retinuit, « omnis cautela et diligentia est adhibenda, ut quantum humana fragilitas sinit, omnis fraus et error excludatur. »

Scio equidem quod « expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut pluries, e venientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat » *c. Sicuti 18.* Conc. Trid. *Sess. ult. de Ref or.;* et de facto, ut dixi, in casu ad scandala vitanda visum est, ut alias sexcenties, dispensare a rigorosa observantia totius formae a S. Sede praescriptae in

exploratione corporis mulieris; sed exceptiones non sunt in causae praeiudicium vertendae, neque minus valent ius perimere. Quapropter S. C. C. dispensationem praedictam largiendo cavit de more, ut sedulo servarentur omnia et singula quae *plenam* causae cognitionem *perfectumque* conscientiae informationem parere valerent; et ad haec consequenda clarissimus Vindex matrimonialis vinculi ex officio S. C. O. taxative designavit observantiam §§ *Procedendum* et *Iudex* Instructionis *Cum monsat.* Unde merito loco trium Obstetricum duo dumtaxat, et loco duorum in arte peritorum, Medicus-Ohirugus in casu, fuerunt adhibiti.

Verum enim vero eccur fuit horum examen in discussione per interrogatoria omissum? Ecquisnam tali dispensationi innixus excludet in casu necessitatem balnei a § *Procedendum* solemniter praescripti, maxime cum illud sit *potissimum* modum ad certitudinem obtinendam cum *plena* caussae cognitione, et *perfecta* conscientiae informatione super facto omnibus occulto? Quis audet integritatem Angelae sustinere, unico eius testimonio cum septimae manus iuramento de credulitate suffultus, dum tale testimonium etsi unitum cum illo viri, quod deest ut vidimus, *regulariter* negativam consummationis nos probat ex textu *c. Super eo 5 de eo qui cognJ* Et dato etiam quod aliquando admittatur confessio utriusque coniugis cum iuramento de *credulitate* ad normam *cit. cc. Requisivisti* et *Laudabilem,* ad quam adstruendam admitteretur in themate etiam confessio Caroli extraiudicialiter facta pro asserta negativa, quae et de rigore iuris civilis « ex recepta in Curia canonica aequitate » admittitur, ad relata per card. De Luca *De credit, et débit, discur, 148 n. 2,* tamen in casu nullius esset facile valoris, dum hic sive quia nihil faciens dissolutionem matrimonii non vir timoratae conscientiae se praebet; sive quia pravis moribus uti est deturpatus, et odio quo agitur in uxorem religiosam et valde probam, sensum ingerit -studere se eam velle decipere ad iniuriam sacramento irrogandam ,

quatenus scilicet ipse sciat se eam concupisse, et obreptitiam sic dispensationem obtineat.

Sed in casu *necessitatem* balnéi in exploratione puellae maximum assequitur pondus, ob Caroli effraenatam venerem unde semper de ingenua uxore abusus est, qua stante, impossibile dixerim quin aliquando commixtio non intercesserit. Certe hic opus hic labor est inveniendi aliquem qui, ut ait Conscius *De separ. tor. coniug. I. 3, c. 2, n. 261* « absque ulla amaritudine statim illis credere possit hoc fecisse miraculum, » scilicet non consummandi ! Et sane Carolus qui non alium finem , nisi ad explendam libidinem contraxerat, inter aestus iuventae, fortiter potens, sub tenebris, non per unam aut alteram noctem, sed per maritale decubitum septem mensium, tanta sibi licita arrogans quanta liberent, solus cum sola puella 18 annis et haec candida ingenuitate pollens, pulcritudine nimium decora et nunquam petitionibus viri renuens, etiam dum hic insolenti illecebra debaccharetur, impossibile inquam est credere, quod in naturali situ coniunctionis numquam ex delirio vehemens excurrerit, quin etiam miserrima Angela pudore et impetu concidens minus plane animadverteret.

Equidem prorsus EE. PP. ex his adminiculis, coniecturis, praesumptionibus etc., coniunctim et rigorose in casu ponderandis, prudenter dubitandum venit probabilitate tam iuris quam facti matrimonium hoc utique fuisse consummatum, idque minime obstante iuramenti actricis veritate pro inconsummatione delati. Quod si Rota in *Romana nullitatis matr. 19 Iun. 1651* coram Arguilles retinuit consummationem, quia de ea ex concubitu in uno eodemque lecto « non coniectura fortasse, neque praesumptio, sed PLENA PROBATIO esse possit, » quid quaeso videtur decidendum in nostra factispecie?

Quapropter iterum iterumque insistam super *necessitate* balnei in inspectione Angelae: unicum quippe videtur hoc adesse remedium , sive cautela ad dubium omne e medio tollendum circa eius integritatem. Sola inspectio sine huius

subsidio, in iuvenculis praesertim, ad nihilum aliud conducit, nisi ad magis magisque firmandum enatum sac. Canonum quod « saepe manus fallitur et oculus obstetricum, » *c. Causam 14 deprobat,* et cum Glossa in cit. *c. Proposuisti verb. per aspectum,* et Canonistis omnibus sustinet Leurenius *I. c. I. 4. tit. 1, De frig. et male f. q. 244 num. 2,* una cum Medicis apud Zacchiam *Quaest, medie, leg. I. 4. tit. 1, q. 1, n. 16 et seq.* Imo dato quod hymen appareat, ut in casu per allatas declarationes perhibetur, si cautela balnei adhibeatur non iam inquam probabilitas, *seàprobatio ad evidentiam* habebitur, quae infallibilis est, nec falsitati aut alterationibus subiacet, *certitudinem* quippe *physicam* gignit ex card. De Luca *op. cit. de iudic. disc. 25 n. 1,* ex qua integritas aut defloratio mulieris *plenissime* probatur. Ob quam egregiam praestantiam putarem quod cautela haec, etsi nuspiam a sac. Canonibus aut a lege aliqua fuerit iussa, tamen maiori equidem solemnitate, ex* eius auctore Hostiensi *in c. .Causam cit. n. 4,* recepta sit, eamque taxative praescribendo tam a 5. C. C. per Instr. *Cum moneat,* quam a Suprema U. L per alteram *Iudex ad hoc,* fuerit canonizata.

Et quanta sapientia id fuerit statutum probari potest ex Zacchia *op. et loc. cit.* quia eo remedio adhibito « ariditas, contractio et corrugatio locorum cessat, et ea *patentia* remanent, manifeste corruptionem demonstrantia; quae tanto magis manifesta fient, sin alia signa quae in violata virgine apparere dicemus, uni *conspicua* et hic erunt; » signa videlicet: in vaginae osculo, carunculae minores, exiliores, flaccidioresque, colore magis remisso et ad livedinem vergenti, inter se disgregatae, ac invicem dissitae recognoscentur; abscedunt namque invicem carunculae ob membranarum quibus cohaerebant violationem aut disruptionem. Quae omnia in ispectione relata abesse nec innuitur, ut in diligentium relatione semper reperiri factum cum balneum intercesserat, sine quo *impossibile* est prospicere, maxime cum de iuvenculis agitur, ut punctualiter in themate, quarum designata loca ob vigorem aetatis, et virescentium fibrarum firmitatem,

tenacius cohaerent, quasi nativa soliditate et retinentia, ut bene observant physiologi, Cf. Zacchia *op. et loc. cit. n. 16,* collata *q. 3 n. 10* etc simul compaginatae.

Quod si generatim monet Sánchez *De mat.. L 7 disp. 113 n. 11 districte* balneum esse praecipiendum a iudice, quia cum agatur de vinculo matrimoniali dissolvendo « quaecumque probationes possibiles admittendae sunt, et POTIUS. DEBENT ESSE SUPERFLUAE QUAM DIMINUTAE » et probaverat in antecessum *ibi. disp. 107 n. 1,* ad tradita per Hostiensem Io. Andream, Ancharanum, Praepositum, Alex, de New. etc. etc. cum communissima DD.; quaeso EE. PP. quibus verbis usus fuisset hic sapientissimus Doctor ad balneum praescribendum in themate? Si balneum, Coscio teste *op. et loc. cit. n. 197* sine antecedenti condonatione adhibendum veniat ad cautelam « cum de incorrupta virginitate dubium magis magisque removere possit; ... est *necessarium* prosequitur, si praecesserit condormitio, tunc enim *urget* praesumptio consummationis, et consequenter deflorationis mulieris, » *ibid. n. 200.* De qua pilmari probatione ita in magistrali decisione coram Ursino 23 Ian. .1686. Per balneum « *cessat* quaelibet fraudis suspicio , a textu considerata quod oculi et manus saepe falluntur, et probatio inde dimanans est valida et CERTA, et uti talis admittitur in *c. Causam de probat,* ubi respondetur *caii. nec aliqua 27. q. 1* et docent Hostiensis in d. *c. Causam* n. 14 et Abbas in c. *Fraternitatis de frig. et malefic.* cum aliis relatis per Sánchez etc. » *Decis. X. n. 38 ad ornat.* Card. De Luca *super matrim. De Regul. et Matrim.* Quid post haec, quid dicemus de Curia molinen. circa omissionem huius cautelae, quae erat indeclinabilis in themate, sive quia in hoc *specialis* suspicio commixtionis, ex diutina condormitione *talium* coniugum est vehementissima, sive quia dispensatio apostolica elargita non suffragatur improbatae omissioni, dum praeter omne scandalum, poterat adhiberi, sive tandem quia S. C. C. per votum Vindicis s. vinculi authentice communicatum,

paragraphis *Procedendum* et *Iudex* taxative designatis, requiri declaravit, imo imposuit?

Igitur EE. PP. cum satis superque, ni fallor, sit probatum, in dubium revocari posse integritatem actricis, propterea verbis ipsis *c. Causam sup. cit.* placet et iuvat concludere circa caput propositum, quod « velitis et mandetis ut ADHUC honestas matronas providas et prudentes deputare *aut deputari*, curetis, ad inquirendum utrum dicta puella virginitatis privilegio sit munita. »

Gradum faciendo ad dispensationis causas. Consultor ait, quinque allegantur ab actrice in suo recursu exhibito ad dispensationem implorandam, nempe *a)* consensus a se *coacte* prestitus in matrimonii celebratione; *b)* error gravis et invincibilis circa qualitates personae, *c)* turpis conversatio coniugis contra bonum sacramenti; *d)* minae et saevitiae graves quae tum a viro, tum a soceris perpessa est; *e)* tandem votum novas nuptias ineundi: quae omnes, postrema excepta, Vindex s. vinculi apud curiam Molinen. conatur explodere. Patronus autem primae instantiae actricis de eis quinque prima tantum accepta tres novas addit nimirum *a)* conditio sigularis actrici facta ob divortium civile impetratum; *b)* periculum incontinentiae actricis; *c)* odium implacabile inter hos coniuges.

Plus minus de quibusdam praedictar. causarum prona esset probatio, exceptis omnino prima et postrema ex allatis a Patrono: excepta prima quia « frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem » *c, Quia 14 de usur,;* excepta postrema quia licet a plerisque serpentibus sufficiens ea habeatur, existimatur tamen insufficiens a pluribus primae notae doctoribus, ut Fagnanus in *c.* Ex parte *9 de convers. coniug. n. 15 etc.*

Sed ne res in longum trahi contingat super una, et validissimam puto, insistam: super nempe turpi conversatione coniugis contra bonum sacramenti. Itaque exploratum est, ex *c. Si conditiones cit.* consensum in matrimonio fieri consensu in carnalem copulam, uti conditio sine qua non de

corpore invicem tradendo ad efficiendum unam carnem alias matrimonium non subsisteret ab initio, foretque nullum ex deñcentia *obiecti.* Et hanc esse probabiliorem sententiam cum sancto Thoma *4 Sent. dist. 28 q. unie. art. 4* tam theologorum Sánchez *op. cit. I. 5. disp. 10 per tot.* Salmanticiens. *Op. moral, tom. 2 tract. 9 de matr.* c. *7 dub. 3 per tot.* et signanter *n. 95.* Layman etc. quam Canonistarum Gonzales in *c.* Si conditiones *sup. cit. n. 8,* Barbosa. *ibi n. 3 de condit, appos.* Pirhing. *op. cit. I. 5 tit. 5 § 3 n. 13,* Schmalzgrueber *op. cit. I. 4 tit. de cond. appos. % 5 n. 119 et seqq.* Conscius *op. cit. I. 1 c. 16 n. 271 seqq.* cum aliis ferme innumeris, qui ab iis referuntur et probavit S. C. C. in cit. *Ulyxiponen. occidentali.*

Iamvero turpis et horrenda huiusmodi conditio substantiae matrim, repugnans, illudque vitians, explicite reperitur apposita a Carolo in suo matrimonio, ut ipse declaravit Angelae, et haec inde iurata deposuit. Ait enim: « Il m'a declaré qu'il voulait agir avec moi comme avec un garçon, » et hoc ea de ratione quia *il ne voulait pas avoir d'enfants,* et que d'ailleurs il lui plaisait mieux d'agir autrement » id est directe se velle in vinculo matrimoniali permanere contra bonum prolis.

Haec etsi fatendum sit unica Angelae depositione firmari, tamen cum agatur de re occulta quae nullo alio testimonio convalidari possit praeter illud Caroli, qui sciens de crimine hoc se accusari, tamen contumaciter non vult comparere in iudicium ad se purgandum, quod pro confessione est retinendum; cumque aliunde constet, Angelam omni fide esse dignissimam, et confirmari adhuc possit ex testimonio proprii parochi, dubitari prorsus nequit de veritate huius asserti. Quod aliunde etiam firmari insuper potest ex notoria lascivia Caroli, in quam a pubertate usque non tantum fuisse pronum evincitur, sed ad eam fuisse studiose inflammatum a genitoribus illis, qui inde magnam habuerunt partem in saevitiis contra miserrimam Angelam. Ita testatur D. Boutry canonicus theologus cathedr. Molinen, Nec satis.

Unus testis ex adhibitis in tribunale Gannati, talia deponit circa mores Caroli adhuc coelibis, quae me pudet referre.

Porro cum de crimine Caroli certitudine morali validissima argumenta subsint, iam videndum erit utrum sufficienter constituant rationem ad matrimonium quatenus tantum ex *gratia* dirimendum: quod sane sustineri non dubito, imo ex *iustitia* id deberi retinerem. Et sane si haec impia et scelesta conditio absolute et antecedenter sive explicite sive tacite posita, Sánchez *op. et loc. cit. n. 6.* Palaus *op. moral, tra. 28 disp. 2 punct. 11, § 4 n. 9.* Pitonius *Discept. Eccles, tom. 3 disc. 14 n. 14* et *33* in matrimonio servanda absque consummatione, tanti esse reperitur ex iure, ex S. C. C. et ex sententia DD. ut initio retuli, ita ut nullum illud irritumque efficiat, nonne tanti erit ut matrimonium, tantum per verba de praesenti consistens et numquam consummatum ex sapienti Summi Pontificis iudicio possit absolute resolvi?

Item si in matrimonio consummato, vitium contra naturam causât separationem tori *arg.* ex textu in c. Idololatriae *5 caus. 28 q. 1* in *c.* Omnes *7 caus. 32 q. 7* et docet Glossa in praed. can. *Omnes* verbo *Sodomitae,* Abbas, in *c.* Maritis *4 de adulter,* ibique Butrius ac Innocentius si hic recte intelligatur in *c.* Si seduxerit *1 in fin. cod.,* quanto magis hoc si non fuerit consummatum causam iustam honestam que praebebit ad dispensationem apostolicam pro vinculi resolutione obtinendam? Et sane ratio patet; nam ut natura ipsa matrimonium inclinans, prout est a Deo praeordinatum, in maris et feminae coniunctionem ad propagandam sobolem, ac propterea, natura pariter ipsa , uti in medium necessarium pro coniunctione, inclinat ad individuam vitae consuetudinem per cohabitationem ; sic natura eadem, fine a Deo praeordinato praeterverso, sacro vinculo scilicet abutendo, ut alteruter coniugum consulto vitium contra naturam enutriat, ab individua vitae consuetudine, quatenus matrimonium perstiterit inconsummatum, erit per solutionem vinculi dissolvendum.

Quod si remedium hoc non adhiberetur, quaeso EE. PP. instanter rogo, nonne conni ven tiam saperet in pravorum turpitudinem et nefas? Equidem prorsus. Quid enim speratum iri putaremus ex tam pessima ac horrenda criminis huius deordinatjone, contra quam Deus ignem immisit *Gen. 19, 24* et ob quam delendam iudicium extremum accelerabit *Ioel. 3, 2,* ac tam ius canonicum, quam civile *can.* Infames *2, caus. 3 q. 3 I.* Cum »vir *31 C. ad legem Iul. de adult.* infamia eam *exercentes* inurunt, praeter alias poenas gravissimas, quibus ab uno et altero iure percelluntur, quo *specie* nefanditatis, iuxta Pirphing. *op. cit. L 5 sect. 3 § 2 n. 69 ex* sancto Thoma *2, 2, q. 154 art. 1 in corp.* cum aliis *ibi,* nisi scelerum nequissimam seriem in sanctiorum munerum perniciem, a providentia sancte humanitati concreditorum, vis penitus extingueretur?

Inde patet dispensationis favorem in themate totum inniti, non utique super titulo *jjratiae,* sed super prudenti administratione *iustitiae,* qua Summus Pontifex non tantum ut oves sibi traditas salubriter pascat; easque ad vitam solicites deducat, ne in aeternae perditionis discrimen *probabiliter* pereant, sed ut etiam ex sui muneris debito, manus auctoritatis admoveat ad ea sacrilegia inurenda quae coercere ex iure naturae et divino tenetur, quatenus nempe perversi homines, praesertim huius aetatis, vesano conatu contra matrimonii sanctitatem divina humanaque omnia funditus pessumdare, ac evertere moliuntur.

Quare gravis et honesta causa est turpis conversatio alterius coniugis ad apostolicam dispensationem obtinendam pro dissolutione matrimonii quatenus non sit consummatum in casu.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Carolus Paitot ait, annos quatuor supra viginti natus et Angela Druellc in aetate annorum octodecim constituta matrimonium, servata in omnibus sacrosancti Concilii Tridentini forma, inter se contraxerunt, ineunte anno 1882 sub die 7 mensis Februarii.

Novi coniuges eodem tecto et thalamo usi sunt usque ad insequentem Septembrem, quo labente Angela, consentiente Carolo, paternam domum petiit. Die vero 15 Decembris eiusdem anni ad maritales lares remeavit, quos postridie reliquit non amplius reversura.

Huiusmodi matrimonium Angela opere imperfectum proclamat. Ast quod asserit, ad iuris amussim minime demonstrat. Porro res est de coniugibus aetate florentibus, qui per septem menses condormierunt, quacunque impotentiae sive absolutae sive relativae dubietate cessante.

Quapropter ad elidendam gravissimam matrimonii consummati coniecturam argumenta prorsus ineluctabilia requiruntur. Quem ad censum haud spectant argumenta ab Angela in medium allata.

Quae quidem argumenta aequa lance pensât optimus consultor canonista, et ad dubium : *An constet matrimonium in themate mansisse ratum dumtaxat et non fuisse consummatum?* consultissime respondit: *Dilata et coadiuventur probationes circa integritatem mulieris.*

Ego autem, ne videar actum agere tantum, dicam ab obstetricibus factum fuisse specimen in corpore Angelae absque balneo.

Huic-fere similis est corporis exploratio, quam ad petitionem ipsius Angelae die 13 Augusti 1883 peregerunt medici Iacobus Nicolas et Prosper Willemin. Balneo nec isti medici, nec antedictae obstetrices ante corporis recognitionem Angelam supposuerunt.

Heic quaeram , si in honore habentur ac ad probandam virginalem mulieris integritatem inspectiones tanta levitate absolutae sufficiunt, tota errant via medicae artis proceres tum moderni, cum antiqui, qui corporis explorationi praemitti volunt balneum tepentis aquae; qui hymenis existentia contenti minime sunt, sed praeterea ad multiplicia alia, sive incorrupti sive violati claustri virginalis signa attendendum esse censent; atque ad colorem et duritiem nedum partium genitalium verum etiam totius corporis.

Cum ita res se habeant supervacaneum puto disserere de dispensandi causis; et proin sine mora ad propositum dubium submisse postulo rescribi - *Negative,* sin minus - *Dilata et coadiuventur probationes.* -

Quibus praenotatis diluenda proposita fuerunt, quae sequuntur

Dubia

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu.* Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo. pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 29 Martii 1890 censuit respondere: Ad I. *Negative.* Ad *Vi. Affirmative.*

METEN.

REDUCTIONIS ONERUM TRANSLATIONIS ET ABSOLUTIONIS.

Die *29 Martii i890.*

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus metensis nuperis suis litteris, SSmo haec exponebat : « in sua Dioecesi multas reperiri Missarum fundationes, male ordinatas quarumque statum, iuxta sacros canones atque normam aequitatis vehementer cupit disponere. »

« Siquidem prioribus annis saepius accidit fundum vel pecuniam quae ab initio constituebantur, insufficientia esse ad implenda onera imposita, quaeque tamen acceptata sunt ab administratoribus ecclesiarum absque Episcopi approbatione, imo absque ullo ad eum recursu. >

« Ulterius complures reperiuntur fundationes , quarum fundus etsi initio sufficiens, decursu tamen temporis deminutus vel etiam consumptus est, plerumque inculpabiliter, signanter post civiles turbas saeculi XVIII, quibus status

omnis Ecclesiarum Galliae sublatus est; et onera vel de praeterito adimpleta non sunt, vel in praesenti non habetur quod eis adimplendis sufficiat. Reditus etiam ultimis hisce annis magnam diminutionem passi sunt, ex conversione census debiti pubblici pluries a Gubernio civili peracta: qua factum est, ut pecunia foeneri data longe minorem censum ac antea producat, ita ut saepius pro missa cantata vix supersit eleemosyna missae lectae.

« Tandem pro pluribus fundationibus verificatur id quod praevidet Benedictus XIV in suo opere *De synodo L. XIII cap. ult. n. 28,* quod scilicet aucta per Episcopum in Synodo, anni 1883, Missarum lectarum eleemosyna, iam impar deprehendatur dos fundationis ad onera sustinenda, nec ullus reperiatur sacerdos qui, oblata iuxta veterem taxam eleemosyna, Missam celebrare velit. »

« Sane nec ab initio huic malo occurrere omiserunt Episcopi metenses. Restituta enim Ecclesiae pace, Episcopus pro tempore ad veterum fundationum reductionem ac ordinationem manum admovit: absque tamen beneplacito Sedis Apostolicae, tum quia ex amplissimis facultatibus a Card. Caprara sibi concessis id sibi licere arbitrabatur; tum etiam quia cum maior numerus fundationum huiusmodi absque Episcopi consensu et approbatione imprudenter admissae fuissent, ipse autumabat, forte non immerito, in casu, velut in limine fundationis, verificari ius Episcopi nativum « investigandi an reditus sufficiant, omniaque iuxta aequitatem disponendi » Monacelli *Formul, leg. pract. tom. I. pag. 202-204. n. 7.* Unde ordinationes huiusmodi in plerisque casibus speciem verae reductionis Episcopis prohibitae induere minime videntur. Cui suffragari videtur decisio S. C. C. in *Regien. Pii operis* diei 17 Dec. 1859; qua declaratum est, sustineri decretum Episcopi, quo certas praestituit normas ac regulas, ut reditus pii legati, post varias rerum vicissitudines, rectius pro temporum circumstantiis administraren tur ac iuxta fundatoris mentem erogarentur. Accedebat specialis ratio, qua Episcopi sibi licitam esse putarunt re«-

ductionem fundationum. In *art. XV* Concordati gallici an. 1801 edicitur: > Gubernium curabit ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus. > Quo articulo sane Gubernio ius aliquod recognoscebatur, ordinationes edendi, quibus Episcopi et fideles se subiicere debebant. Iamvero harum ordinationum una statuit Episcopis ius esse, sive in limine sive etiam postea., eas reductiones peragere, quae ex taxa dioecesana vel redituum diminutione necessariae fiant. Cui legi fundatores se submittunt ac proinde implicite admittunt etiam ius Episcopi in fundationes. In fundationibus autem mentem fundatoris principem locum tenere compertum est. Accedit quod saepius, ut fideles facilius inducantur ad pias fundationes faciendas, dos non maior exigitur quam ut pro oneribus stricte sufficiat, ita ut ab initio ab ipsis fundatoribus praevideatur et acceptetur quaedam reductio decursu temporis facienda. Imo in nonnullis fundationibus id expresse cavetur unde verificata diminutione, vi ipsius conditionis in contractu appositae, fieri debet reductio. »

« Quae omnia alteri etiam reductioni applicari possent, quae peracta est circa a. 1850, tum ut plura onera prius nimium reducta restituerentur iuxta vires ecclesiarum, tum ut fundationum nondum ordinatarum status definiretur. Ulterius ab eo tempore pluries accidit, ut in casibus particularibus, recurrente parocho, Episcopus reductionem petitam propria auctoritate ex rationibus supra allatis concedendam putaverit: eo vel magis quia reductiones minoris momenti saepius non in perpetuum sed ad tempus concedebantur. »

« In quibus ordinationibus etiam occurrere potuit, ut iterum reducerentur fundationes iam anteacti temporibus reductae: quod praesertim post perturbationem rerum publicarum initio huius saeculi, imminutis vel deperditis reditibus, vitari non potuit: eo vel magis quod consumpto fundo ex vi maiori ad nihil tenetur fabrica iuxta *L ult. ff. de Commodato.* S. C. C. in *Spoletana* 17 Iunii 1775. Nec deinceps ex hoc capite nova onera imponenda videntur, cum

iuxta Fagnanum in *cap. Ex parte 2 de Const.* « fructus oneribus respondere debeant. »

« Quibus tamen mediis, etsi in aliquibus sanatione indigeant, pluribus difficultatibus consultum est. At non omnibus : ab anno enim 1864 pars Nanceiensis dioeceseos huic Metensi adscripta fuit in qua nulla fundationum reductio peracta fuerat, etsi non minores iis in locis reductionis causae verificarentur ; insuper, post peractam veterum generalem reductionem, recentiores fundationes quae reducendae erant non omnes ad Episcopum delatae sunt. Unde hodiernis adhuc temporibus, et passim in tota Dioecesi, et praesertim in memorata Dioecesis parte, quamplurima ad sacrorum canonum tramitem et normam aequitatis ordinanda reperiuntur. »

« Nec desunt speciales difficultates quae in ordinatione huiusmodi in aliquibus a consueto stylo recedendum suadeant: 1. Fundationes omnes quae in hac Dioecesi fiunt, sicuti et alibi communiter fieri testatur Ferrari *V. Legatum n. 123,* semper adscribuntur « in favorem fabricae talis ecclesiae, » quae uti haeres habetur, quaeque assumit onus ex fundo seu pecunia legata fundationum adimplementum curandi, ita ut « reliquum cedat commodo ecclesiae » iuxta doctrinam *Cap. Requisitis 25 de Testam,* traditam a S. C. O. in *Romana Legati 6 Aug. 1658* et in terminis in una *Civitatis Castellanae Meemos. Missar. 15 dec. 1742.* Imo in limine fundationis semper cavetur partem determinatam redituum fabricae cedere debere, non tantum uti compensationem pro expensis, sed potius veluti veram largitionem fidelium favore Ecclesiae. Unde fundationes huiusmodi ad eam legatorum speciem reducendae videntur, quae complectuntur simul Missarum celebrationem et eleemosynas elargiendas. Iamvero de huiusmodi legatis docet Bened. XIV. *I. c. n. 23* potius pia opera reducenda esse quam Missas, nisi forte aliter iudicandum sit ex verbis testatoris. Quando enim constat testatorem eodem voluntatis fervore intendisse tam suffragia Missarum, quam alia pia opera, uti in themate ex

ipsis fundationum tabulis et communi fidelium praxi constare videtur, reductiones eadem proportione faciendae sunt in Missis et in piis largitionibus, seu in iuribus fabricae, iuxta *Bracharen. Reduci. 3 Sept. IS 18.* Eo vel magis quod reditus huiusmodi pro fabricis, singulatim sumpti, plerumque minoris momenti sint, et ipsa Constitutio *Nuper* Innocent. XII, in dubiis a S. C. C. solutis *21 Junii 25 1625 ad VII,* permittat, ut deficientibus aliis reditibus, qui casus non raro hic verificatur, cum non infima pars redituum ecclesiarum in fundationum fallentiis consistat, etiam ipsarum eleemosynarum portionem retineant ecclesiae, ratione expensarum quas subeunt in Missae celebratione. »

2. Quoad missas cantatas, quae maiorem fundationum partem constituunt, ex praxi S. C. C. et doctrina Bened. XIV *I. c. n. 34j,* quando omnes legati reditus non sufficiunt pro adimplendo onere missae cantatae, erogari debent in celebrationem tot Missarum lectarum. Iamvero non semel verificatur casus, quo haeredes omnino respuunt huiusmodi reductionem, dum e contra facile admittunt, ut numerus ipse missarum cum cantu reducatur. Quorum voluntati deferendum videtur, cum ipsi personam testatoris repraesentent, et ne a piis fundationibus deinceps deterreantur fideles: eo vel magis quod in plerisque paroeciis non inveniantur fundationes nisi missarum cum cantu, et missae lectae alibi celebrari saepius debeant. »

« 3. In reductione autem missarum lectarum alia occurrit difficultas. Iuxta doctrinam Bened. XIV *I. c. n. 35* reductio Missarum perpetuarum componi debet *ad manualem* ut aiunt. Iamvero saepius a fidelibus sponte offertur pro missa manuali eleemosyna missae perpetuae: ita ut sacerdos, qui omnibus missarum oneribus, perpetuis ac adventitiis, simul satisfacere non posset, cum proprio detrimento teneretur missas perpetuas ad taxam manualem in ecclesia fundationis celebrare dum alteri missas adventitias ad taxam perpetuam celebrandas traderet. Cui dificultati forsan eo modo succurri posset, ut prudenti arbitrio Episcopi vel in

reductione missarum statuatur taxa perpetua iuxta morem Dioecesis, vel in locis quorum sacerdotes eleemosynis missarum non carent, si fundatorum descendentes vel consentiant vel non supersint, missae ad manualem reductae in aliis ecclesiis celebrandae tradantur, docto semper coram Episcopo de fundationis adimplemento : uti concessum est Rmo Ep. *Engolismen.* per rescriptum S. C. C. *Facult. condón, et reduc, onera 18 Aug. 1888.*

« Ultimo tandem notandum est, in aliquibus paroeciis dioeceseos fundationes reductione non indigere, sed potius translatione. In iis enim, fidelium largitionibus, tam excrevit missarum fundatarum numerus, ut si iis omnibus in ipsa ecclesia velit satisfieri, deficiente clero, iam non suppeditaret dies pro celebrandis missis exequiarum, vel aliis huiusmodi, quae omnino in propria ecclesia celebrari debent. Unde accidit, ut parochi missas antiquarum praesertim fundationum, de quibus certo constat, fundatorum descendentes in parochia non superesse, vel consentire, aliis sacerdotibus celebrandas tradant: non autem perpetuo id est semel pro semper, sed' singulis annis maiorem vel minorem missarum numerum, prout id necessitas exigit. Quae agendi ratio, etsi necessitate imposita, minus tamen aequitati canonicae consonat, qua prohibetur missarum perpetuarum translatio, inconsulta S. Sede.

« Itaque ut haec omnia iuxta ordinem a canonibus praescriptum ac circumstantiarum exigentias definiri possint, nec fastidioso labore obruatur S. C. Concilii, Episcopus orator humillime postulat : »

« I. Ut reductionum omnium hucusque absque venia Sedis Apostolicae peractarum, etiamsi forsan reductae fuerint iterum fundationes iam antea reductae, Sanctitas Vestra sanationem, quatenus opus sit indulgere dignetur: dummodo omnia ad ss. Canonum tramites peracta reperiantur; iuxta rescriptum S. C. C. in *Herbipolen. et Ord. S. August. Commutat, vol. et ab sol. 23 Martii 1889 ;* et nullo imposito novo onere.

« II. Ut sibi concedatur ampla facultas, ad quinquennium proximum tantum, condonan di quoad praeteritum, et reducendi quoad futurum, vel in casu necessitatis suspendendi ad tempus, fundationum onera quaecumque, etiam Missarum cum cantu in minorem numerum missarum iterum cum cantu, quoties id iuxta exposita, ipsi Episcopo necessarium visum fuerit ; servato fabricis ecclesiarum reditu proportionali cum numero missarum iuxta Dioecesis morem et superius exposita; taxata tandem eleemosyna missarum reductarum ad taxam missae perpetuae, vel, si eleemosyna minor quandoque praefìnienda visa fuerit, facta rectoribus ecclesiarum potestate earumdem missarum celebrationem alibi procurandi. »

« Servatis de cetero regulis traditis a Benedicto XIV in suo memorato opere *De Synodo* et speciatim in casu, quo ex culpa administratorum deperdita vel alienata fuerint bona legatorum, imposito fabricae onere, ea pro viribus redintegrandi; »

« Ad tramites concessionum S. C. C. in *Tolentinaten. Comm. vol. 24* Martii 1888 et citata *Engolismen.* (1). »

« III. Ut liceat parochis, qui iuxta exposita omnibus missarum oneribus in propria ecclesia satisfacere minime possunt, missas, de quibus supra, aliis sacerdotibus celebranda tradere, onerata eorum conscientia super fideli onerum adimplemento; ad tramites memoratae concessionis in *Engolismen.;* praevia absolutione super translationibus bona fide hucusque factis. »

Quibus adductis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re discussa sub die 29 Martii 1890, censuit respondere: *Episcopo pro gratia sanationis quoad praeteritum, quatenus opus sit, et quoad reliqua iuxta preces, facto verbo cum SSmo.*

(1) Recolé Vol. XXI, 127, 352.

ORTON.EN.

BINATIONIS

Die 29 Martii 1880.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sodalitas SSmi Sacramenti erecta in ecclesia S. Crucis loci *Tollo,* sacerdote caret, qui in ea ecclesia diebus festis, post divini officii recitationem, coram confratribus missam celebret, quum Sacerdotes illius loci debeant onera implere propria erga Ecclesiam paroecialem. Non possunt autem sodales, utpote mediis destituti, sacerdotem e longinquo vocare qui sacrum in dicto oratorio offerat; quapropter humiliter postulant ut parocho loci *Tollo,* qui et moderator pii sodalitii est, facultas fiat secundam missam pro confratribus in ecclesia S. Crucis celebrandi.

Archiepiscopus administrator Dioecesis ortonensis ad rem rogatus haec respondit : « Circa adiunctas preces reponendum censeo, vera esse omnia supplici in libello exposita et ad tramites Const. Benedicti XIV s. m. *Declarasti Nobis* adesse saltem in casu proposito aequipollentes circumstantias, si non easdem, quas eadem ipsa requirit Constitutis. Eo vel magis quod ipsemet Archipresbyter fuerit a sodalitate SSmi Sacramenti electus spiritualis eiusdem director qui tenetur propria in paroecia diebus Dominicis aliisque festis pro populo celebrare. Qua igitur de re preces ipsas clementiae Leonis PP. XIII pro postulata gratia enixe commendamus. »

Disceptatio Synoptica.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. Et revera pro concessione aliqua congruentiae et pietatis ratio militat: siquidem sodales qui in suo oratorio seorsim a paroeciali ecclesia ad recitationem divini officii congregantur, si nullus sacerdos per sacri celebrationem eis succurrat, in hac versarentur conditione, ut aut antea aut postea accurrere ad paroecialem ee-

clesiam deberent, ibique festivo praecepto satisfacere. Porro nemo non videt hanc conditionem esse gravosam, et sensim forte ad id etiam conducere, ut divini officii recitatio in ecclesia S. Crucis obsolescat. Videretur itaque causam pietatis inter fideles fovendae, et rationem divini cultus servandi atque augendi plane consulere ut dispensatio a positiva ecclesiastica lese concedatur.

Quod eo vel firmius retineri potest si consideretur canonica lex communisque DD. sententia in hac re, videlicet iterationem sacri prohibitam quidem esse, ast non absolute, sed, ceu monet *cap. Consuluisti 3 De celeb. mis.*, dumtaxat « nisi aliter causa necessitatis suadeat. » Idest, ut explicat ibi Glossa, nisi aliter suadeat « causa honestatis vel utilitatis, » dummodo res sit non de utilitate celebrantis, sed missam audientis, DD. apud Lucidi *tom. 2 nov. edit. p. 632.* Atqui in themate ageretur non de utilitate celebrantis, sed missam audientium.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Verum ex altera parte pensare oportet causam honestatis et utilitatis non esse adeo extendendam, ut pro quolibet utili, honestoque motivo dispensatio a gravissima lege concedatur. Notum est enim Benedictum XIV *const. Declarasti nobis* facilitatem iterandi sacrum profligasse dicendo « theologos morales nimis indulgenter plures casus excogitasse; et ideo monuisse sacri iterationem non licere nisi 1. aut parochus duas paroecias vel duos populos ita seiunctos habeat, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum distantiam; vel *2.* quando una tantum sit ecclesia, in qua missa celebratur, ad quam insimul universus populus convenire nequit; in utroque casu autem « dummodo alius sacerdos nullo modo inveniri possit. »

Et quamvis notum sit ob aequipollentes etiam rationes sacri iterationem permitti; in themate tamen, nedum causae in benedictina constitutione enunciatae, sed ipsae etiam aequipollentes deesse videntur.

Ex aequipollenti enim ratione gratia iterationis permit-

titur, quoties magna pars populi sine hoc indulto missae sacrifìcio privaretur. Unde S. C. de Propaganda Fide anno 1832 Episcopo Nicolitano in Bulgaria significavit « Sedem Apostolicam dictam facultatem binandi concedere in bonum spirituale fidelium, *desiderio ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere facile possint.* » Et in const. *apostolicum ministerium,* nuper pro Anglia data, declaratum est , missam iterari licere cum talis exhibeatur necessitas « ut nisi alicui sacerdoti duas missas eadem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato plures non satisfacerent. »

Porro in themate iteratio missae non petitur ex hac necessitate et ob hanc utilitatem ad impediendum scilicet ne plures fideles divino sacrificio careant; sed potius ut id commodius habeant, et ne sodales nimium graventur, et hac de causa psalmodiam in suo oratorio recitare fastidi ant. Iamvero neminem fugit, quod si huiusmodi causae ad gravissimam communem legem dispensandam valerent, legis observantiae gravissimum vulnus infligeretur, nam innumeri similes casus possent proponi, et ex analogiae titulo dispensatio in iis quoque expeti.

Accedit etiam quod parochus diebus festis pluribus onerosisque officiis fungi debet: nam praeter poenitentiae sacramenti administrationem, sacris functionibus tum mane tum vespere, evangelii explicationi, et doctrinae christianae explanationi vacare ex conscientia debet. Porro si praeter haec in confratrum ecclesia onere secundae missae obligaretur cum humanae vires limitibus praefinitae sint, labor ad hoc ulterius officium adimplendum exantlatus in dispendium quam facillime cederet aliorum maiorumque parochialium munerum

Hisce aliisque productis quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, ré discussa sub die 29 Martii 1890, censuit respondere: *Non expedire.*

MARSORUM.

REDUCTIONIS ONERUM ET ABSOLUTIONIS

Die 19 Maii 1890.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Collegiata ecclesia loci *Avezzano,* quae olim undecim numerabat canonicos, in praesentiarum, gubernii iniuria suppressa, tribus dumtaxat , praeter parochum, constat capitularibus, iisque morbis et senectute confectis. Ex his unus libellas 880 alter libellas 872 , tertius libellas 600 loco praebendae habent: quisque autem ex communi massa libellas 124 desumit. Sed cuique onus incumbit celebrandi in annum plures functiones, quibus consulant per incerta quae lucrantur, quum Fabrica omnino destituatur reditu.

In hoc rerum statu tres canonici haec humiliter exponunt : causa parvioris numeri sese dereliquisse quotidianam praesentiam in choro, implendo tantum quotam missae conventualis et legatorum, qui ex turno sibi obveniunt ; sed posthabendo missam quotidianam conventualem, et missas *pro benefactoribus* et legata propria aliorum canonicatuum vacantium. Qua de re iidem canonici cupientes propriae conscientiae et Ecclesiae necessitatibus consulere, expetunt : 1. Sanatoriam quoad omissionem quotidianae praesentiae in choro. 2. Sanatoriam quoad omnes Missas non celebratas. 3. Sanatoriam quoad missas *pro benefactoribus* non applicatas in praebendis vacuis. 4. Sanatoriam et dispensationem quoad quotam legatorum ad vacuos canonicatus spectantium 5. Dispensationem totalem ab interessentia in choro , vel indultum quo reducatur ad dies festos tantum; et pro diebus ferialibus assignationem numeri missarum *pro benefactoribus,* qui respondeat proprio turno, quae celebrari possint sine cantu, et privatim.

Episcopus autem qui in sua ultima Dioecesis visitatione auctor fuit, ut canonici ad S. Sedem supplices venirent, eorum "postulata commendat, et ut exaudiantur exorat.

Disceptatio Synoptica.

QUAE PETITIONIBUS ADVERSANTUR. Canonicos ad residentiam et praesentiam in choro, ut voce et cantu chorale servitium persolvant, quotidie teneri, salvis dumtaxat vacationibus iuxta canonicas ecclesiarum consuetudines, singulis capitularibus concessis, re perspicua est, et ex innumeris constitutionibus, ipsoque Tridentino *cap. 12 sess. 24 De Ref.* probata ac praescripta.

Itemque missam conventualem quotidie celebrari debere, ceteris missis, plane edocet Benedictus XIV *const. Cum semper oblatas.* Quin suffragetur quod unus vel alter canonicus moriatur et capitularium numerus coarctetur ; nam onus missae conventualis integrum ce tum gravat, ceu habetur ex *Terracinen. 5 Septembris 1627* et *Senen. 12 Maii 1759* et *9 Februarii 1760:* et ideo si quis deficiat", alter eius loco succedit eumque supplet, ita ut numquam S. Sacrificii oblatio pro ecclesiae benefactoribus intermittatur.

Idem forte dicendum occurrit quoad onera legatorum et alias nonnullas missas pro benefactoribus, de quibus in 3 et 4 numero oratores loquuntur, quaeque pariter integrum cetum magis quam singulos afficere et gravare videntur : siquidem oratores dispensationem et absolutionem deprecati non essent de iis quae suppressis ac vacantibus canonicatibus spectant, nisi huiusmodi onus ipsi capitulo magis quam singulis incumberet.

Quapropter extra controversiam est, canonicos loci *Avezzano* male egisse, cum, nutu et arbitrio suo , servitium chorale intermiserunt, et missas conventuales aliaque onera ad ratam praesentis numeri reduxerunt.

QUAE PETITIONIBUS FAVENT. Verumtamen huiusmodi agendi ratio licet damnatione et reprobatione digna sit, quippe quae ex arbitrio suscepta est, nihilominus non huiusmodi videtur, ut de ea absolutio non sit danda nec consona provisio sumenda.

Etenim ratione senectutis et infirmitatis remissionem choralis servitii indui geri a S. C. C. solere innumera sunt documenta. Satis sit consulere Lucidi *De visit. SS. Lim. tom. 1 cap. 3.* Quod si id fieri licet in omnibus capitulis, a fortiori id permittendum videtur in hoc de quo agimus , quod exinanitioni est proximum, et hoc ipso gravius servitii onus singulis infert.

Item dicendum de missa conventuali. Nam ipse Pontifex Benedictus XIV in sua const. *Cam semper oblatas* postquam de gravi missae conventualis quotidie celebrandae officio singulos perstrinxerit; ita demum monet ac statuit : « Si vero designatam a Concilio viam, providendi capituli inopiae.... nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congr. Concilii recursum habere, cuius erit, perspecto etc.... quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere. »

Nec aliud iudicium ferendum videtur quoad legatorum onera. Etenim imminutis reditibus, iustitia et aequitate duce, quidquid nonnulli in contrarium dicant, locum etiam esse onerum reductioni, S. C. C. semper tenuit, iuxta civile ius in *IJ. ult. ff. De commod. JJ. Quod servias ff. De condit, caus. dat.* et canonem ecclesiasticum *[n parochia cap. 16 q. 1,* cum Glossa in *cap. 2 De rescript.*

Quibus praeiactis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio C. re discussa sub die 10 Maii 1890 censuit respondere: *Pro gratia sanationis quoad praeteritum', et quoad futurum reductionis onerum legatorum inhaerentium praebendis canonical ib tes , iuxta preces facto verbo cum SSmo: quoad reliqua dilata et exquirantur informationes ab Episcopo.*

APPENDIX II.

In qua pfura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis ; et per quam explicit appendix V addenda collectioni a Gardellini peractae.

LEA VENWORTHIEN.

Rmus Dnus Ludovicus Maria Fink hodiernus Episcopus Leavenworthien. Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione demississime subiecit, nimirum :

Ex decreto ipsius Sacrae Congregationis diei 10 Septembris 1880 Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et ceterarum Dioeceseos Leavenworthien. Ecclesiarum quotannis agitur Dominica tertia Octobris sub competenti ritu Duplicis primae classis cum Octava. Quaeritur num etiam cum Octava recolendum sit in iis Dioeceseos Ecclesiis quae tantum benedictionem, non vero consecrationem receperunt ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeraemoniarum Magistris, ita proposito Dubio rescribendum censuit:

Affirmative, h. e. celebrandum esse ineundis Ecclesiis, etiam non consecratis sub ritu Duplici primae classis cum Octava.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 29 Aprilis 1887.

CONGREGATIONIS
SSMAE CRUCIS ET PASSIONIS
D. N. I. C.

Hodiernus Redactor Kalendarii in usum Congregationis SSmae Crucis et Passionis D; N. I. C. de mandato Rmi Patris Praepositi Generalis eiusdem Congregationis, insequentia Dubia pro opportuna solutione S. Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum :

Dubium I. An in Suffragiis, quae fiunt in Officio votivo Sanctorum Angelorum, Commemoratio S. Michaelis Archangeli fieri debeat in iis locis ubi S. Archangelus est Titularis Ecclesiae, et quatenus affirmative, quaenam Oratio sit dicenda?

Dubium II. An infra Octavam privilegiatam, quae admittit Festa duplicia 1. et 2. classis tantum, recitari debeat IX Lectio Sancti, cuius Officium est simplex vel sim. plificatum.

Dubium III. An cum Festum Patroni Civitatis vel Dioeceseos pluries in anno celebratur, Regulares teneantur ad singula Officia, vel ad unum tantum ?

Dubium IY. An ubi Ecclesia dicata est Iesu et Mariae faciendum

sit duplex Officium de Ssmo Nomine Mariae.

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative, si infra Octavam privilegiatam fiat Officium de eadem Octava, vel de Dominica infra illam Octavam.

Ad III. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad IV. Affirmative.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 14 Mai 1887

ROMANA.

Accademia liturgica Romana in altero ex suis conventibus pertractavit quaestionem an Altare in quo Feria Y. in Coena Domini Augustissimum Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium adorationi exponitur, quod vulgo ***Sepulchrum*** nominatur, dici potest et haberi tamquam Christi sepulcrum repraesentans. Accademiae Censores, perpensis quae ad rem habentur in Caeremoniali Episcoporum, Missali Romano et in Decretis editis a Sacrorum Rituum Congregatione, unanimi voto censuerunt eiusmodi Altare habendum et esse revera repraesentativum, non sepulturae Domini, sed institutionis Augustissimi Sacramenti, Placuit vero hanc sententiam iudicio Sacrorum Rituum Congregationis subiicere, ac simul ab ea edoceri quid sentiendum sit de certo modo exornandi praedictum Altare, qui in aliquibus locis in usu est. Quamobrem praefatae Academiae moderator suo atque Academicorum nomine Sacrae Congregationi humillime sequentes proposuit quaestiones :

1. An Altare in quo Feria V Maioris Hebdomadae publicae adorationi exponitur Augustissimum Sacramentum, licet in capsa reconditum, sit repraesentativum sepulturae Domini, an potius institutionis eiusdem augustissimi Sacramenti ?

2. An quoties Decreta S. R. C. nominarunt sepulcrum vel locum sepulcri idem Altare, designaverit illud esse repraesentativum Dominicae sepulturae, an potius vulgari tantum denominatione uti voluerint?

3. An, praeter lumina et flores, liceat ad exornandum praedictum Altare adhibere Crucem cum panno funereo, vel Christi demortui effigiem, vel séricas decorationes, statuas, picturas, nempe Beatissimae Virginis, S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae, et militum custodum, arbores aliaque eiusmodi?

Sacra vero Congregatio ad relationem Secretarii, rebus mature perpensis, et inhaerendo Decretis, iam alias editis in Lauden, die 21

Ianuarii anni 1662, in Alben. Die 8 Augusti anni 1835, in Narnien. diei 7 Decembris anni 1884 et in Salten, die 26 Septembris anni 1868, et consideratis quae deducta fuerunt ab altero ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris in Salten., respondendum censuit :

Ad I. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.

Ad III. Negative, et flores non disponendos esse ac si altare esset in viridario.

Atque ita declaravit et servari mandavit. Die 14 Mai 1887.

NANNETEN.

Hodiernus Rector Gymnasii sic nuncupati ***Puerorum Nannetensium*** in Civitate ac Dioecesi Nannetensi, exponens eidem Gymnasio adiectum esse publicum Oratorium consecratum sub nomine S. Francisci Salesii Episcopi, Confessoris ac Ecclesiae Doctoris, S. Rituum Congregationi insequentia Dubia de consensu Reverendissimi Ordinarii pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum :

Dubium I. Utrum s. Franciscus Salesius ut verus Titularis habendus sit a viris ecclesiasticis Gymnasio ***Puerorum Nannetensium*** quocumque titulo adscriptis, et ideo Oratorio pro vice sua inservientibus, ita ut festum illius sancti Doctoris sit ab ipsis celebrandum die fixa 20 Ianuarii, sub ritu duplici primae classis cum Octava, et Commemoratio sit addenda tum in suffragiis communibus, tum in Oratione ***A cunctis f***

Et quatenus affirmative :

Dubium II. Utrum, ut mos apud eos fuit hucusque, illius festi solemnitas possit transferri in diem Dominicam proxime sequentem non impeditam (consequenter iuxta indultum Emi Cardinalis Caprara pro festis Patronorum et Titularium) , pro Alumnis Gymnasii, qui nonnisi diebus Dominicis Missae gregatim intersunt ?

Et quatenus affirmative :

Dubium III. Utrum die translationis possit haec Missa Sancti Doctoris etiam simpliciter legi, quum mos non sit Missam coram Alumnis cantari ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit. Die 14 Maii 1887.

ANCONITANA.

Il Capitolo della Chiesa Cattedrale di Ancona implora dalla S. V. T indulto di far celebrare la Messa

Conventuale in canto dopo Nona, in tutti i giorni festivi di precetto e negli altri non festivi di precetto quando vi sia l'assistenza del Vescovo. La ragione si è che questo sistema tornerebbe meno incomodo ai Canonici, i quali attualmente devono attendere che il Vescovo deponga i paramenti, ed accompagnarlo alla sua residenza per tornare indi in Coro a recitar Sesta e Nona ; ma specialmente perchè ritardando alquanto la celebrazione della Messa Conventuale si avrebbe maggior concorso di Fedeli. Nelle feste poi dell'Avvento e della Quaresima il popolo che viene alla predica, e non arriva in tempo per ascoltare la Messa, e dopo la medesima deve attendere la recita di Sesta e Nona prima della predica.

Che ecc. »

Sacra rituum Congregatio ad relationem Secretarii his precibus sic rescribere rata est: Nihil innovandum, et Episcopum comitentur in reditu ad suam residentiam nonnulli tantum Canonici.

Atque ita rescripsit. Die 17 Iunii 1887.

LÜCER1NA.

Extat in loco vulgo dicto ***S. Bartolomeo in Galdo*** intra fines Dioeceseos Lucerinae Sodalitas Confratrum Tertii Ordinis S. Francisci, penes Ecclesiam Ordinis Minorum Reformatorum inde ab anno 1739 canonice erecta, cuius Moderatores ad Apostolicam Sedem nuper recursum habuerunt quoad ius praecedentiae in Processionibus. Quum vero altera Sodalitas adsit ibidem (nuper ad dignitatem Archiconfraternitatis erecta) a Ssmo Sacramento et Immaculata Deiparae Conceptione nuncupata, atque anno 1781 rite approbata, quae eiusmodi praecedentiae ius sibi vindicare contendit ; Moderatores Confratrum Tertii Ordinis ad suum ius confirmandum , gravibus suffulti rationibus, ac praesertim generali Decreto Sacrorum Rituum Congregationis diei 28 Maii superiore lato eidem Sacrae Congregationi sequens Dubium discutiendum humillime subiecerunt, scilicet ;

Num praefatum Sodalium Tertii Ordinis praecedentia gaudeat in dicto loco super ceteras Archiconfraternitates et Sodalitates et Sodalitates laicas, nec ne?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, auditoque Rmo Dno Episcopo Lucerino, omnibus in casu mature perpensis, ita proposito Dubio rescribendum censuit :

Praecedentiam spectare privative ad Confratres Tertii Ordinis.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 4 Iulii 1887.

PATAVINA.

Rmus Dnus Iosephus Callegari Episcopus Patavinus exponens in

Ecclesiis Parochialibus sibi commissae Dioeceseos usum invalescere ut in exequiis, vel quibusdam Festis ecclesiasticis, quibus laicae sodalitates intersunt, harum respediva vexilla in templum afférantur etsi mere civilia sint neque benedicta, ad omnem animi sui anxietatem removendam, insequenlia Dubia italico idiomate expressa, Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum :

I. È lecito ammettere nella Chiesa in occasione di solennità, funerali ecc. le Bandiere non benedette di Corpi, in qualche modo appartenenti allo stato, come Municipio, Università, Ginnasi, Istituti ecc. ?

Dubium II. È lecito ammettere nelle stesse circostanze le bandiere non benedette di Società private, come quelle dei Reduci delle patrie battaglie, dei Volontari del 1849, di mutuo soccorso tra membri di certe classi di cittadini, anene quando tali Società facciano comparsa in manifestazioni anlicattoliche, onorino uomini frammassoni ed irreligiosi, e si temano in qualche modo affigliate alla Massoneria?

Dubium III, E dato che la risposta al I. e II. o ad uno o al- r altro dei proposti dubbi fosse negativa, è lecito al Parroco toilerare la presenza di tali bandiere nelle Chiese quando chiedendo che restino fuori ed opponendosi al loro entrare, teme possa darsi occasione a conflitti a disordini a più formale ed evidente disprèzzo della legge divina ed ecclesiastica?

Dubium IV. Se non è [lecito tollerare la presenza di tali bandiere nelle circostanze esposte al Dubbio 3, deve il Parroco in quei ca s¡ dopo fatta 1' intimazione sospendere le sacre funzioni, e ritirarsi ove non venga obbedito ?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Non licere admittere, nisi vexilla religiosa, et pro quibus habetur formula benedictionis in Rituali Romano,

Ad II. Provisum in primo,

Ad III. et IV. Intimatione facta antecedenter iuxta mentem Sacrae Congregationis, Parochus se abstineat.

Atque ita rescripsit et servari mandavit,

NEAPOLITANA

Emus et Rmus Dnus Card. Gulielmus Sanfelice Archiepiscopus Neapolitanus S. Rituum Congregationi insequentia Dubia declaranda proposuit, nimirum :

I. An Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Missam in Pontificalibus celebranti extra Urbem et

extra locum suae iurisdictionis liceat, praeter tres sacros Ministros altaris, habere Diaconos paramentis indutos, sibi in Cathedra seu throno adsistentes ?

II. An in eiusmodi casu Clerus quoque sacra paramenta iuxta Ordinum gradus deferens, illi adsistere possit ac debeat?

III. An Sanctae Romana Ecclesiae Cardinali celebranti aut in cathedra seu throno adsistendi, vel quovis alio in casu etiam extra cathedram seu thronum adstanti, habitu tamen cardinalitio induto, debeatur ab omnibus genuflexio, sicuti Ordinario in propria Dioecesi?

Et quatenus negative ;

IV. An Ordinario loci potestas sit huiusmodi honorem concedendi?

Sacra porro eadem CongTegatio, ad relationem Secretarii, hisce Dubiis rite expensis sic rescribendum censuit :

Ad I. et II. Affirmative.

Ad III. Affirmative si in cathedra seu throno assideat ; secus Negative.

Ad IV. Provisum in praecedenti.

Atque ita declaravit et rescripsit. Die 14 Iulii 1887.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS.

Inter densas errorum et scelerum tenebras, tamquam spes certa orituroe salutis iam fulget excitata ac reviviscens in christianis gentibus per sacri Rosarii frequentiam erga magnam Dei Parentem pietas et fiducia, quae omni aevo Ecclesiae ac societati praesidium fuit potentissimum ad terrenorum infernorumque hostium vires conferendas. Verbum Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII per Eius Apostolicas Litteras, praesertim ***Supremi Apostolatus officio i*** Septembris 1883, ad cunctas mundi regiones prolatam, divini seminis instar cadens in terram bonam, ubique ***fecit fructum centuplum,*** quamvis alibi prae nimia cordium duritie, cadens, ***super petrosa*** et ***in spinis,*** hactenus conculcatum fuerit et suffocatum. Ubique ter» rarum fideles suis coadunati pastoribus Rosarii festa mensemque in laetitia et fervore celebrantes, a solis ortu ad occasum pro errantium salute, pro Ecclesiae et societatis prementibus calamitatibus Mariam invocabunt, quae « sicut lumen indeficiens, radios evibrans misericordiae suae, omnibus indifferenter sese exorabilem, omnibus clementissimam praebere consuevit, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. ***(S. Thomas Episcopus Valentin.) »*** Neque spes [confundit obtinendi victoriam ex eo maxime, quod per admirabilem Marialis Rosarii orandi ritum splendidissimus Deo exhibetur religionis cultus et plena fidei christianae confessio. Rosarium enim cum omnia Christi Virginisque Matris mysteria suo circuitu

involvat, fidem totam complectitur. Iamvero ***haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra*** (1 Io. V).

Beatissimus Pater de his vehementer laetatus, eo enixius omnes Ecclesiae Pastores et universos Christifideles hortatur ferventiori pietate et fiducia perseverare in inceptis, ab augustissima Regina pacis postulantes, ut qua gratia apud Deum pollet, praesentium malorum horrendam tempestatem, everso satanae imperio, depellat, triumphatisque religionis hostibus, exagitatam Petri mysticam navem optatae tranquillitati restituat. Ad haec, quaecumque superioribus annis, ac postremo per decretum Sarorum Rituum Congregationis 26 Augusti 1886 de mense Octobri caelesti Reginae a Rosario dicando, decrevit, indulsit et iussit, iterum decernit, praecipit et concedit.

Cum vero festus dies solemnitatis sacratissimi Rosarii singulari iam populorum honore et cultu agatur, qui cultus refertur ad mysteria cuncta vitae passionis et gloriae Iesu Christi Redemptoris nostri, eiusque intemeratae Matris; ad hanc succrescentem pietatem magis fovendam, et ad publicae venerationis incrementum, quod iam pluribus particularibus Ecclesiis concessit, solemnitatem praedictam et Officium Deiparae a Rosario primae Octobris Dominicae adsignatum, ecclesiastico ritu duplici secundae classis in universa Ecclesia in posterum celebrari mandavit, ita ut non possit transferri ad alium diem, nisi occurrente Officio potioris ritus : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

De hisce autem praesens praefatae Sacrorum Rituum Congregationis Decretum expedire iussit.

Die 11 Septembris anni 1887, Sanctissimo Mariae Nomini sacra.

BASILEEN.

« Bme Pater,

Fridericus Episcopus Basileensis provolutus ad pedes S. V. humiliter implorat authenticam interpretationem Apostolici Decreti quoad preces recitandas a Sacerdote finita Missa ; quaestio nempe ita se habet : Utrum preces praescriptas (3 ***Ave, Salve Regina*** etc.) in quibusdam casibus, nempe vel alicuius parvae functionis vel communionis distribuendae, peracta demum adnexa Missae caeremonia recitare liceat ; vel an subsequi Missam ipsae semper immediate debeant? »

Et Sacra Rituum Congregatio proposito Dubio sic rescripsit : Preces a SSmo D. N. Leone Papa XIII praescriptae, recitandae sunt immediate expleto ultimo Evangelio. Atque ita rescripsit Die 23 Novembris 1887.

LITTERAE Sanctissimi Patris Leonis XIII ad Archiepiscopum rhodiensem Episcopum melitensem: quibus dolet de procaci licentia ephemeridum melitensium contra suum Pastorem et Apostolicam Sedem.

Graviter admodum molesteque tulimus, prout Te iam docui Dilectus Filius Noster Cardinalis a publicis negotiis Administer, procacem quorumdam Melitensium ephemeridum scriptorum licentiam, qui Te, Pastorem suum, indignis contumeliis impetere et hanc Apostolicam Sedem pari iniuriae genere lacessere ausi sunt. Nec minus improbandi sunt ausus huiusmodi quod eorum petita fuerit occasio ex quibusdam documentis in vulgus editis quae ad consilia spectabant ultro citroque collata circa negotia quaedam ecclesiastica istius insulae inter Sedem Apostolicam et Gubernium Serenissimae Anglorum Reginae. Illud sane miserimi quod opinationes quaedam, utut a Nostris alienae, iis comprehensae litteris ansam praebere potuerint ad incendendos populares animos, qui eo facilius inflammari solent, quo callidius iis faces verborum admovent homines nequam, quibus ea res expedit ad conflandam vulgi invidiam adversus eos quibus praecipuus habendus est honor. Plane eo intendit haec animorum concitatio ut corrumpat quod optimum est, eaque discindatquae fuerant coniunctissima. Novimus enim quanta in populo Melitensi sit sua vitas ingenii et morum, quantum catholicae religionis studium quod iis magni gentium Apostoli praesentia et voce inditum fuit, quanta nobilitas rerum a maioribus gestarum, quanta in hanc supremam veritatis Cathedram observantia et fides. Quin etiam ex recentibus testimoniis, quum sacerdotii Nostri natalem quinquagesimum ageremus perspecta habuimus summa erga Nos Melitensium studia et officia. Quare illos singulari caritate complectimur, et omni qua valemus ope non modo spiritualem illorum curare salutem contendimus, sed et rationibus civilibus favere quo prosperioribus rebus utantur. At quo impensius eos diligimus eo dolemus acerbius dum versatur ob oculos imago hominis inimici, qui pietatem in patriam praetexens superseminat zizania tritico lectissi-

mo, diffidentiam excitat, dissidia serit, factorum veritatem pervertit, recta hominum consilia male explicando detorquet in laevam partem, atque ita legitimae auctoritati Ecclesiae non modo debitum detrectat obsequium, sed etiam iniuriam infert, avertitque ab ea fidelium animos avita pietate addictissimos. Porro haec de qua querimur calumnia et fraus inimici hominis satis in aprico erit, si sedato animo respiciatur Romanorum Pontificum in rebus agendis consuetudo, eaque expendantur quae nuper de Melitensibus negotiis inter Nos et Regium Gubernium Britannicum convenere. Testatur historia Sanctam hanc Sedem in parandis atque ineundis conventionibus cum civili potestate iugiter populorum commodis et rationibus studuisse, quo factum est ut saepe in offensiones incurrere!, simultates susciperet, discrimina obiret, irae potentium fieret obnoxia. Porro quoties de rebus agitur quae ad religionem pertinent, quarum, mandante Deo, tutelam gerit prae primis et iudicia exercet, nulla cupiditate aut studio rerum humanarum obscuratam mentem ad eas advertit illudque spectat unice quod gloria Dei postulet et animarum salus, quodque magis ad bonum publicum, ad gentium pacem et tranquillitatem expediat. Eodem et Nos spectavimus in conventione ineunda cum Britannico Gubernio, qua nihil derogatum est de Ecclesiae iuribus et libertate, imo ea firmius adserta sunt et constituta. Dumtaxat quaedam ecclesiasticae disciplinae capita, usu iam recepta, accuratius definita sunt utriusque supremae potestatis consensu, huius pactionis ope. Iamvero dum haec agentes ea quoque curaremus quae usui et decori erant futura ephebeo ecclesiastico Melitensi, ubi instituunturJEcclesiae administri, quos lucem mundi et salem terrae esse iubet divina vocatio, Nos praeterire non poterat quid ipsa posceret natura loci quae incolas simul consociat Melitenses et Anglos. Scilicet e re Nobis visum est curare ut ampliore aptioreque cultura alumni expoliantur, quo commodius et efficacius Clerus iste tuus sacrum ministerium obire queat operamque conferre ad Melitensium aeque ac Anglorum salutem, non minus sacerdotii dignitate gravis quam auctoritate doctrinae. Id vero haud officit quominus impense studia excolantur patrii idiomatis aliarumque disciplinarum quae decent exornantque ecclesiasticos viros.

Itaque Tibi vehementer commendamus et fore confidimus ut iuvenis clerus, in quo laeta spes Ecclesiae succrescit, tum

pietate floreat, tum instructu severiorum scientiarum et bonarum artium quo illustrior fit et utilior sacri ministerii perfunctio. Iunctum autem doctrinae vigeat studium ecclesiasticae disciplinae, ut ex isto fiorenti plantario egregii prodeant administri caritatis et pacis qui ceteris exemplo sint et quam de se excivere in Nobis sustineant expectationem. Cleri similes fideles e populo sint, qui solidati in fide concordiam diligant, subsint ultro auctoritati legitimae, pie matrem Ecclesiam colant, caveant autem imprimis *ne excidant a propria firmitate errore traduca* et "fraude pravorum hominum, qui religionem simulantes -et caritatem patriae, adiutricem praebent operam sectis Ecclesiae infensis, eoque intendunt per maledicta et probra typis vulgata ut viris ac rebus infamiam inferant, queis omnis debetur honos, atque unitatem proscindant quae disciplinae et obedientiae nexibus continetur.

Equidem haud ambigimus quin pro pastorali zelo et prudentia tua curam operamque omnem sis collaturus, ut discutiantur nubes quae offusae sunt veritati, atque ita gratulari possimus invicem, quod cumulate assequuti fuerimus quod erat in utriusque votis.

Pignus interea Nostrae dilectionis habeto Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, Ven. Frater, clero et fidelibus tuae curationi commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 27 Iulii anno 1890. Pontificatus Nostri decimo tertio.

EX 8. CONGREGATIONE CONCILII

ACERNEN.

PRAECEDENTIAE

Die 22 Februarii 1890.

Sess. 25 cap. 22 de Reform.

COMPENDIUM FACTI. In oppido *Montecorvino Rovella* paucis ante annis duae solummodo aderant sodalitates, altera a *SSrno Rosario* dicta, quae erecta erat in matrice ac colle-

giata oppidi ecclesia; altera vero nuncupata a *S. Philippo Neri* seu etiam a Virgine Perdolente, quae in succursali ecclesia s. Petri sedem habebat. Duae huiusmodi sodalitates iam pridem de praeeminentia et antiquitate dimicabant, cum D. Salomone salernitanus Archiepiscopus et Dioecesis acernensis administrator ad diuturnas lites finiendas ac pacem restituendam in sacra Visitatione die 9 Iulii 1868 hoc tulit decretum :

I. Praecedentia in processiones, aliasque solemnes functiones alternetur in annum.

II. Eadem adhibeatur provisio pro associatione cadaverum, quoties utraque a familia invitetur defuncti...

III. Annus incipit a prima die Ianuarii 1869 cum praecedentia favore Sodalitii B. V. Mariae perdolentis; die vero prima ianuarii 1870 praecedentia erit favore Congregationis a SSmo Rosario, atque ita alternatim in futuro.

IV. Congregatio quae contra eiusmodi nostri decreti dispositiones ibit, ipso facto suspensa erit a quocumque officio spirituali.

Quonam modo post huiusmodi decretum negotia inter duas sodalitates processerint, non bene liquet: certum tamen hoc est, quod post aliquot annos, cum nonnulli fideles eiusdem oppidi tertiam quamdam sodalitatem sub invocatione *S S fiiî Corporis Christi* in ecclesia S. Eustachii erigere aut restituere voluerint, iurgia et dissidia iterum graviusque ob praecedentiae aemulationem efferbuerunt. Siquidem nova haec sodalitas in ius veteris cuiusdam sodalitii eiusdem nominis successisse contendebat, et hac de causa utrique alii confraternitati praecedere debere; et conflictatio adeo excrevit ut in festo Corporis Domini civilis auctoritas intervenire debuerit sacramque supplicationem prohibere.

Quibus rebus ad Archiepiscopum delatis, ipse singulas sodalitates ad deducenda sua iura in metropolitana curia invitavit; et post haec die 10 Aprilis 1888 decretum tulit, quo relate ad duas sodalitates Rosarii et S. Philippi Neri servari iussit disposita per Archiepiscopum Salomone: quoad

vero sodalitatem ss. Corporis Christi, haec, iuxta Bullam *Exposcit* Gregorii Papae XIII, nequit sibi irrogare praecedentiam super alias duas, quia hae ab immemorabili saccum detulerunt in sacris functionibus et processionibus; dum sodalitas a SSmo Corpore Christi, paucis abhinc annis, coepit saccum induere, idest ex tempore quo sese redintegravit, postquam eumdem reliquerat per longissimum tempus. Sodalitas tamen a SSmo Corpore Christi ius habet praecedendi in processiones, quibus defertur ss. Sacramentum, quoties tamen eadem sese obliget interesse processionibus aliis, in quibus concedere debebit praecedentiam praefatis Sodalitiis.

Age vero, duae sodalitates SSmi Rosarii et s. Philippi Neri aequo animo novum huiusmodi decretum receperunt, et ad acquiescendum paratae erant. At non ita sodales a SSmo Sacramento; qui imo ad S. C. C. recursum habuerunt; dum eodem tempore Ordinarius rem quam citius definiri postulabat, eo vel magis quod interim pax restituta videbatur, et in supplicatione in die natali SS. Apostolorum Petri et Pauli fratres trium Sodalitatum numerosi adfuerunt et contenti loco, per decretum diei 10 aprilis cuique assignato.

Rescriptum itaque fuit *Ponatur in folio* et monitae sunt de more partes. At duae sodalitates ssmi Rosarii et s. Philippi Neri statim ac cognoverunt litem a tertia confraternitate coram S. C. C. institutam esse, intra propositae controversiae terminos non se continuerunt, nec unice de praecedentia sibi contra sadalitium SSmi Sacramenti asserenda contentae fuerunt; sed maioris victoriae spe unaquaeque adiecta, sua iura experiri decrevit, et praecedentia prae aliis omnibus sibi vindicare unaquaeque praesumpsit. Latum autem fuit super his quoque precibus decretum *Uniatur*, et ideo in praesentiarum tres adstant actores singuli de maiori praecedentia contendentes.

Ast hac in re singulare hoc accidit, quod Sodalitas a SSmo Sacramento quae litem prima promoverat a peculiari patrono sibi eligendo abstinuit; dum aliae duae confraternitates oratorem sibi coram S. C. C. constituerunt.

Disceptatio Synoptica.

IURA SODALITII SSMI SACRAMENTI. SSmi Sacramenti confraternitas, praeter primum appellationis libellum, nil aliud in sui defensionem deduxit. In hoc autem enarrat, ex quadam bulla Pontificia die 9 Maii 1559 constare, in ecclesia s. Eustachii iam tum extitisse sodalitatem a SSmo Christi Corpore, quam deinde Paulus III S. Pontifex pluribus privilegiis auxit. Paulo post a Procuratore generali PP. Praedicatorum bulla diei 22 Octobris 1576 in eadem ecclesia sodalitium a SSmo Rosario institutum quoque fuisse: ast brevi utrumque sodalitium in unum corpus conflatum esse, ceu constat ex bulla acernensis Episcopi diei 6 Octobris 1591 et ex litteris Cardinalis Fabrizi Signaturae papalis praefecti sub die 3 Iulii 1713. Huiusmodi autem sodalitium sic unitum sub duplici suo nomine extitisse usque ad finem elapsi saeculi, comprobant sodales ex duobus decretis a tribunali mixto Concordatario latis, in quibus decretis mentio fit de sodalitate a SSmo Sacramento et a SSmo Rosario erecta in paroeciali Ecclesia s. Eustachii. Haec decreta signantur diebus 3 Iulii 1766 et 7 Maii 1788. Admittunt deinde sodales initio huius saeculi, ob passam bonorum confiscationem, sodalitatem sensim evanuisse ; at simul contendunt, quod, cum fuerit ex parochi et fidelium pietate inde ab anno 1881 restituta, in ius antiqui sodalitii quasi ex postliminio succedere aut esse suffectam. Quin possit obiici praescriptio; nam, iuxta notissimum adagium, *contra non valentem agere, praescriptio non currit.*

Age vero, prosequuntur, ex constitutione *Exposcit* Gregorii XIII cautum est, ut inter sodalitates eae praecedant, quae prius saccis usae sunt : se autem prae aliis duahus saccos induisse; nulla enim ex his originem saeculo XVI anteriorem praesumere potest : ergo concludunt, se debere praecedere.

Ita summatim sodales a SSmo Sacramento. Quae tamen quanti essent facienda remissum fuit iudicio EE. PP. defi-

nire. Licet enim quae de origine et evolutione antiqui sodalitii a SSmo Sacramento et Rosario afferuntur vera undequaque essent; tamen contra novum aut restitutum SSmi Corporis Christi sodalitium plura militant. Siquidem in *Dianen, Praecedentiae* acta primum die 27 Martii 1886, ac secundo die 24 eiusdem anni (1) S. C. C. negativo responso dimisit quamdam sodalitatem a Rosario, quae semel extincta, dein restituta, ius praecedentiae praesumebat contra aliud sodalitium a Virgine Perdolente, tempore intermedio exortum.

Et merito quidem; nam. si societas aliqua extinguatur, nil amplius iuris retinere valet. Non entium enim nullae sunt qualitates, nec iure postliminii, aut cuiuslibet alterius rei frui non entia valent. In themate autem de absoluta sodalitii extinctione dubitari non potest; nam ipsi interesse habentes hoc prorsus admittunt. Et aliunde notum est, quod « societas solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione: ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas. » *L. Verum est 63, § 10 ff. Pro socio;* cui concordant *L. societatem 4* et *L. Actione 65; ff. eod. tit.* nec non *Inst. De societ. § 4 seq.* Atqui antiqua sodalitas a SSmo Christi Corpore nedum ex uno, sed ex omnibus simul his titulis soluta mansit.

Accedit quod nova sodalitas eadem undequaque non surrexit, ac antiqua, sed sin minus variato seu dimidiato nomine.

Demum principium, quod ex Const. *Exposcit* Gregorii XIII desumunt nostri sodales, non est praecisum. En sane quae Pontifex disposuit: « Decernimus quod quicumque ex... confratribus confraternitatum praedictarum, inter quos lites et causae praemissarum occasione, nempe ob praecedentiam, ortae iam sint, seu oriri contigerit in futurum, *qui in quasi possessione praecedentiae ac iuris praecedendi sunt positi,* quibuscumque reclamationibus... postpositis, in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praece-

(1) Relata fuit Vol. XIX, 319,

dentiae huiusmodi,... inter confratres, inter se litigantes, ii qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. »

Merito itaque a praecedentiae iure huiusmodi sodales exclusisse Archiepiscopus videtur, imo excepto casu delationis SSmi Sacramenti; nam tunc ex peculiaribus ss. Canonum dispositionibus cautum utique est, sodalitatem a SSmo Sacramento ceteris praecedere debere, iuxta suam, ut aiunt, *an firmitatem.* Ferraris *v. con frater, ar. 6, n. lo seq.* Lucidi *De visit. tom. 2 nov. edit. p. 408.*

Et haec quidem quoad sodalitatem a SSmo Sacramento. Sed maior est controversia infer duas alias Congregationes, a Rosario scilicet et a s. Philippo. Utraque enim primum locum sibi vindicat, nedum contra sodalitium Corporis Christi, quod imo veluti incontroversum supponit, sed etiam contra aliam aemulam Congregationem.

IURA SODALITII S. PHILIPPI. Atque in primis sodalita s. Philippi per suum patronum recolit, originem suam repetere ex episcopali bulla anni 1640, regio assensu statim munita. Et quamvis exinde ob praecedentiam aliaque iura dimicare saepius acriusque debuerit cum sodalitate a Rosario; nihilominus ad ultimum victoriam de adverso sodalitio reportasse.

Siquidem post concordatum anni 1818 S. Sedem inter et utriusque Siciliae regem et subsequam civilem diei 21 Martii 1818, quoad sodalitates in eo regno hoc ius vigebat, nempe illas haud posse subsistere, si Gubernii approbatione destitutae aut saltem *sanatoriam* quam vocant, non obtinuissent; insuper eam Congregationem inter plures esse praeferendam, quae prior a Gubernio regium assensum quoad fundationem ac regulas obtinuisset: nullamque demum vim habere pactum inter sodalitia initum, sed iudicium in his quaestionibus super praecedentia aliisque rebus ad Gubernium definitive spectare.

Atqui, controversiis inter duas sodalitates perpensis, Gubernium die 8 Iulii 1857 haec decrevit : praecedentiam com-

petere Sodalitio s. Philippi Neri, eoquod civilem assensum obtinuerit anno 1760, dum Sodalitium a Rosario assensum obtinuit anno 1762.

Exinde sodalitas a Rosario, licet iudicati pertaesa raro processionibus interfuerit, nihilominus quoties adfuit, semper tenuit locum sibi assignatum per Gubernii responsum an. 1857 ceu plures oppidani Montis Corvini testantur. Itaque lata per Gubernium sententia qua inferior locus sodalitio a Rosario indicebatur, acceptata quoque fuisse videtur, et in rem iudicatam transiisse. Et cum res iudicata pro veritate accipiatur ex *L. 208 ff. De reg. ius.*, et « quidquid illa statuerit, verum iustumque praesumendum sit; neque possit indirecta via ullo modo labefactari » iuxta *decis. S. Signat, in Perusina appell. 3 Sept. 1829 cor. YanniceV.i § 8;* hinc sequitur in praesentiarum sodalitatem a Rosario contra rei iudicatae dispositum insurgere haud posse, nec primum locum praesumere.

Quin possit obiici, concordatum anni 1818 modo in vigore amplius non esse, quandoquidem respondet orator cum S. Rota in *Anconitana Colini,* diei 16 ianuarii 1818 *cor. Passio § 12* « vetitum esse iudici ne praeteritis consumptisque negociis novas leges aptet, quae futuris tantum regulam statuere possunt, prout videre est in *L 3 Cod. Tlieod. De const. princ, i. 7 Cod. de leg.* »

Et quin etiam opponatur decretum anni 1868 ab Archiepiscopo Salomone lato, quo alternativa inter duas sodalitates statuebatur, quodque hodiernus Archiepiscopus salernitanus confirmavit. Etenim in primis dubitari potest, an in potestate Archiepiscopi Salomone esset contra Concordati Sanctionem insurgere, aliudque decernere. Cui accedit, controversum decretum evulgatum seu publicatum non esse, et insuper ne fuisse quidem acceptatum. Plures enim oppidani Montiscorvini haec asseverant : decretum existere quia a nonnullis lectum fuit: sed numquam communicatum partibus, interesse habentibus, et spatio 19 annorum numquam fuisse observatum. Atqui de substantia cuiusque legis est promul-

gatio, ceu cum communi observat s. Ligorius *De act. hum. n, 96:* ac pariter lex, non acceptata a maiori et saniori parte populi, non obligat ratione taciti vel expressi consensus superioris, ceu idem s. Ligorius *cit. I. n. 138* et Gury *tom. 1 c. 4 n. 99* recte observant; nam quamvis etiam peccaverint priores legem non acceptantes, alii tamen culpa vacant ob praesumptum superioris consensum. » Ad effectum autem non acceptationis traditur sufficere decennium, « quo elapso, ait Ferraris *v. Lex art. 2 n. 14,* habet locum contra eam (legem) praescriptio, et non amplius obligat, sive sit lex civilis, sive canonica. » Cum vero in themate non decem, sed undeviginti anni lapsi dicantur sine legis observantia, hinc prorsus praescripta videtur.

Quod eo magis sustinendum contendit patronus in materia de qua agimus. Siquidem quoad praecedentiam cautum est, eos manutenendos esse, reclamationibus quibuslibet postpositis, qui in quasi possessione praecedendi sunt. Hoc sane decrevit Gregorius XIII *cit. sup. Const. Exposcit,* hoc omnes DD. retinent et confirmant. Atqui, pergit patronus, in themate hanc quasi possessionem favore sodalitii s. Philippi non deesse ex testimonio eorumdem oppidanorum comprobatur.

Demum vero primum locum eidem sodalitio ob id maxime vindicandum esse quia sodalitium s. Philippi erectum canonice fuit episcopali Bulla anni 1640 ad acta relata; dum, iuxta patronum, congregatio a Rosario mere laicalis est, et canonica erectione destituta.

IURA SODALITII A ROSARIO. Sodalitas a Rosario vicissim per suum procuratorem recolit, sex abhinc saeculis, nempe ab anno 1274, quo ipsa matrix et collegiata s. Petri ecclesia erigebatur, se originem ducere, ceu ex capituli regestis luculenter evincitur. Cui antiquissimae origini tribuendum est si canonicae erectionis instrumentum perierit. Ceterum canonicam sodalitii fundationem per aequipollentia documenta adstrui et comprobari optime posse. Siquidem ex tabulario sodalitatis constat, die 5 Aprilis 1638 in matrice S. Petri ecclesia coram Episcopo Galbiato congregataci fuisse sodali-

tatem a Rosario et ad officialium electionem processisse: itemque scimus, anno 1692 Episcopum nonnullos ratiocinatores - ad revisionem locorum omnium piorum oppidi Montis Corvini, ac speciatim administrationis sodalitii SSmi Rosarii deputasse. Et alia similia documenta non desunt pro annis 1612 et 1703. Quapropter de antiquissima eaque canonica sodalitii erectione dubitari non posse procurator censet. Nec defuit regius assensus, quin imo sodales a Rosario reporta,-verunt die 31 Martii 1762, paucis scilicet mensibus, postquam adversa S. Philippi congregatio illum obtinuerat.

Quae de cetero iuxta eumdem procuratorem magis quam defectum canonicae erectionis aliis exprobrare, sibi consulere deberet; nam de ipsa quidem huiusmodi defectum praedicari posset. Siquidem quae proponitur erectionis bulla, aliud prorsus videtur ac religiosae sodalitatis constitutio. Inscribitur enim « bulla erectionis oratorii S. Philippi Neri, profecturis huius civitatis Montis Corvini cum indulgentiis confratribus concessis. »

His forte de causis factum est, ut post diutinas disputationes tandem die 15 Februarii 1761 inter duas sodalitates coram tabellione Budetta conventio inita sit, qua sarta tectaque praecedentia sodalitio a Rosario fiebat.

Imo, prosequitur orator, paucos annos post huiusmodi conventionem sodalitatem S. Philippi extinctam penitus fuisse, quin ante annum 1820 restitueretur. Porro ex hac extinctione, prosequitur orator, iura, si quae habebat, adversa sodalitas prorsus amisit; unde plane intelligitur quanta iniuria civilis auctoritas anno 1858 hanc novam sodalitatem veteri atque antiquissimae a Rosario praeposuero. Simulque etiam comperitur, Archiepiscopum Salomone, dum alternativam sanxit decreto diei 9 Iulii 1868 iustitiam sodalitati Rosarii debitam haud undique reddidisse.

Quod si autem, hoc non obstante, sodalitas a Rosario decretum illud, sicut et aliud ab hodierno Archiepiscopo nuperrime latum, acceptare visa est, id nonnisi ex obsequio

erga Ordinarium et pacis ac concordiae studio se fecisse sodalitas asseverat.

At in praesentiarum cum quaestio de praecedentia ad iuris tramites definienda sit, contendit sodalitas sibi prorsus absoluteque praecedendi iure competere.

Regula enim, qua non vulgatior alia, in his materiis est, quod « qui prior est tempore potior est in iure » *ex cap. 54 iur. in VI* cum communi Doctorum. Accedit quod constitutio *Exposcit* Clementis XIII, aliaeque plures SS. CC. resolutiones, quas orator enumerat et expendit, hoc prorsus constabilierint principium, quod praecedentia inter sodalitates iis attribuenda sit, quae prius saccis usae sunt, aut in quasi possessione praecedendi existunt. Utrumque autem iuxta superius dicta suo sodalitio favere procurator autumat.

Quibus animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An et cui competa! praecedentia in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita sub die *22* Februarii 1890, censuit respondere : *Affirmative ad formam archiepiscopalis decreti diei 10 Aprilis 1888.*

BONONIEN.

MATRIMONII

Die 10 Maii 1890.

Sess. 23 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Sub die 30 Maii 1865 comes Antonius Zucchini, duodeviginti annos natus, nuptias rite inibat cum comitissa Anna Gozzadina Gozzadini, quae pariter in aetate duodeviginti annorum constituta erat.

Quinque annos simul sponsi convixerunt: quonam tamen auspicio facile dictu non est; nam felices ab initio eos fuisse atque concordes nonnulli asserunt: contrarium vero alii sustinent. Verum quidquid de hoc sit, in probatis est,

quod post quinque annos, seu 1 Maii 1870 dum vir Florentiae versaretur, uxor cum quodam suo amasio, Bononia fugit, maritales lares deseruit, et Parisios se contulit.

Re cognita Antonius, ut tantum dedecus quod suo nomini imminebat propulsaret, iudicialem separationem a sponsa a civili magistratu petiit, ac die 27 Iunii 1870 facile obtinuit. Atque ex eo die in posterum utraque pars seorsim vixit, pax inter eos numquam potuit restitui, imo, tempore procedente, variis de causis mutua aversatio ad invicem crevit.

Interim anno 1882 mortuo Antonii patre, et mortuis deinde etiam Gozzadinae parentibus, comes Antonius supplici libello die 9 Maii 1889 oblato, suum matrimonium, qua subvi et ex coactione patris initum, accusavit, et a S. C. C. petiit ut, praevio processu in Bononiensi Curia perficiendo, nullum ex hoc capite declararetur.

Rescriptum illico fuit Emo Archiepiscopo ut processum fieri curaret: eoque perfecto, coram S. C. C. assueto more causa acta fuit.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VIRI. Patronus, quem sibi elegit actor, in primis attentionem EE. PP. revocat ad agendi rationem quam uxor, in causae processu tenuit. Siquidem invenitur primum exceptionem coram Archiepiscopo proposuisse quasi declinatoriam fori, veluti si ecclesiasticum tribunal in matrimonialibus causis videndis haud competens esset. Deinde tamen apud iudicem comparuisse, ast declarando « se non comparere veluti actricem, vel ad litem contestandam, sed tantummodo in testimonium ab iii. defensore vinculi rogatam. » Hoc peracto, in matrimonii tutelam contra actorem, testes proposuit; ac demum peculiarem patronum coram S. C. C. sibi constituit, matrimonii validitatem per eum aperte tuendo.

Iam vero actoris orator dum hanc Gozzadinae agendi rationem qua abnormem ipsique Gozzadinae noxiam redarguii, simul ac maxime dolet Bononiensem Curiam ac maxime vinculi

•defensorem haec permisisse ac probavisse. Ceterum, addit, de nimio studio vinculi defensoris ad matrimonium tuendum et ad partes Gozzadinae gerendas luculentum testimonium praebet ipse iudex. Siquidem sacramenti vindex quadam die cum in interrogationes urgendas ferventius prosiliret, iudex hanc notulam actis inseri iussit « Verba iii. defensoris vinculi in ultima sua quaestione nuper relata esse prorsus gratuita, imo suggestiva, proindeque tam interrogationem quam responsionem nullius roboris esse habendas. »

At non obstante immodico huiusmodi studio defensoris vinculi ad matrimonium tuendum, plena adesse argumenta q_uae sacramenti nullitatem evincant, orator autumat, si parumper attendantur circumstantiae in quibus nuptiae initae sunt. - Antonii pater necti nescius omnia sibi fiecti et omnino voluerat semper et viderat, ceu plures testes enarrant. Idque maxime in nuptiarum negotio. Nam, teste comite Massei, receptum erat penes familiam Zucchini, ut matrimonii componendi cura parentibus magis quam filiis credita esset, et ipsemet Antonii pater similem perniciem fuerat expertus: unde nil mirum quod non perhorresceret, imo aliis vellet inferre quod ipse pertulerat.

Accedit quod comes Caietanus erga filium suum rigidum et asperum se praebebat, ut plures testantur. Filius autem arctissimae subiectioni ita assuetus erat, ut paternae voluntati nunquam contradicere vel repugnare ausus fuisset.

Cum haec itaque esset patris et filii conditio atque natura, contigit ut Ferdinandus Zucchini, unus ex Caietani nepotibus, in tam aerumnosam rerum et negotiorum conditionem descenderit, ut comes Caietanus, ut ei succurreret, aes alienum contrahere debuerit, et fideiussionem nepoti praestare. Quanta huius aeris alieni vis fuerit hodie evinci nequit, ait patronus; attamen actor fatetur aeris alieni vim , centum quinquaginta nummorum millia superasse. Et testes addunt comitem Caietanum eo temporis momento iii tam anxiam rei domesticae angustiam prolapsum fuisse, ut ne ad modicum quidem mutuum contrahendum fidem Bononiae in-

veniret. Et ex hoc in tantam sollicitudinem incidisse ut multo gravius, quam casus exposceret, pertimescere ac domesticam ruinam expectare videretur.

Porro familia Gozzadini ex creditoribus eius erat et, ut alter ex testibus habet, comes Caietanus difficili negotio aes alienum extinguere valuisset, nisi Gozzadini familia ei opem tulisset. Qua de causa obaerato corniti matrimonium unici sui filii cum unica Gozzadinorum prole optimum consilium videri debebat. Vicissim vero comites Gozzadini filiam in matrimonium honeste collocare quam citius volebant, quippe quia, iuxta unum alterumque testem, murmur non modicum erat in civitate de ea, quae aetatis suae illecebris iam nimium indulgere videbatur. Iuvenem comitem Antonium, nuper e collegio egressum, tunc temporis viderat , sibique placuerat; ideoque principissam Simonetti rogarunt, ut (ceu ipsa habet) matrimonium componeret. Annuit principissa Gozzadinorum votis; et sic inter parentes filiorum nuptiae constabilitae sunt.

At Antonius iam ab aliquo tempore aliam nobilem puellam eximiam forma, licet magnis divitiis haud instructam, deperibat, ceu principissa Simonetti, canonicus Bonucci, Antonii institutor, aliique plures testes ipsaque germana Laurae soror uno veluti ore enunciant. Ideoque statim ac pater alias a se praeordinatas nuptias filio proposuit, hic contra omnium expectactionem patri quoad potuit restitit. Sed ipsius conamina ac paternae voluntati resistentiam in irritum cessisse, referunt Aloysius Grandi, comitis Antonii famulus, Canonicus Bonucci institutor et famulus Petrus Melossi.

Nec satis : nam Philippus Brunetti, principissa Simonetti et Josepha Zucchini Monti commemorant iurgia inter duos sponsos extitisse, et haec ab Antonio promota fuisse, ut hac saltem ratione invisas nuptias a se avertere posset.

At maiora adhuc habentur et iussionibus minae succedunt. Testes enim Iosephus Zucchini, famulus Melotti, Constantia Zucchini, Canonicus Bonucci et Doctor Brunetti deponunt, comitem Caietanum exhaeredationem nullitatum fuis-

se, et huiusmodi minas tam ante, quam post matrimonium in filium saepe protulisse.

Nec regeratur vanas huiusmodi minas fuisse, nam respondet comes Massei patrem solitum fuisse minas executioni demandare. Quod et confirmat doctor Brunetti.

Hactenus dicta matrimonii antecedentia respiciunt. Sed cum in causa timoris et coactionis ea etiam, quae nuptias comitata sunt aut successerunt, attendere valde conferat, actoris patronus ad rem haec alia facta recenset, quod scilicet teste canonico Bonucci, Antonius in die nuptiarum cum ad Ecclesiam pergeret, serio exclamaverit: *Andiamo pure a prendere (puesta zuccata.* Quae verba in bononiensi vernáculo iuxta patronum idem sonant, ac « pergamus ad ruinam. »

Maria vero Morelli , postquam narrasset quod pater suus iam pridem conatus erat comitem Caietanum a suscepto nuptiarum proposito revocare, sed frustra, addit, quod idem pater die nuptiarum, de hoc matrimonio cum quodam advocato Agnoli inter epulas sermonem habens, haec verba protulerit: *loderemo il fine.*

Post nuptias demum quae evenerint heic repetere non vacat: unum tamen heic meminisse iuvabit, quod nempe corporum coniunctio rara fuit etiam initio, ac necessitatis et officii causa : perbrevis quoadusque necessitas duravit. Idque tam ex Antonii depositione quam ex Gozzadinae confessione manifestum fieri.

Quod quidem factum, etsi alia argumenta deessent, ex se uno sufficeret ad evincendam confirmandamque altam inter sponsos animorum disiunctionem iam ab initio extitisse. De cetero testes non desunt qui notarunt et ad acta deposuerunt inter Antonium et Gozzadinam vehementem illum amorem haud estitisse, qui inter neonuptos locum habere solet, et Gozzadinam de Antonii frigiditate saepe quaestus movisse.

Haec in facto. In iure vero patronus commemorat quod « ad matrimonium maius et perfectius voluntarium requiri-

tur, quam ad alios contractus civiles » ex *c. Si q. 2 § 13.* Quod « ubi metus incutiens habet interesse in contractu celebrando... solus metus reverentialis dicitur sufficiens ad rescindendum contractum » ex Barbosa *vot. dec. lib. 2 vot. 16 num. 30.* Quae conclusio multo magis procedit quia dictus vir aliam mulierem adamabat... : velle enim nubere alteri mulieri, erat nolle nubere dictae Eleonorae » ex eodem Barbosa /. *c. num. 14* cum Rota *cor. Ludovisi decis. 326 num. 8* Atqui in themate comes Zucchini aliam puellam, Lauram Malvezzi, adamabat, eique nubere volebat.

At ulterius iuxta Rotam *loc. sup. cit. num. 13* considerand a est etiam in patre magna illa indignatio, quam concepit... ex eo quod nolebat suae voluntati obedire, quae indignatio plurimum conducit ad incussionem metus. » Quae imo, iuxta Sánchez *De matr. I. 4 d. 6 num. 14,* constituit timorem cadentem in virum constantem. « Quis enim (ait) vir constans aut prudens non reputabit grave malum semper coram oculis habere infensum patrem? »

Quod si huic paternae indignationi minae de filio sine auxiliis eiiciendo, ac de exhaeredando iungantur; si praeterea consideretur, quod in mutuis contentionibus vox illa patris ad filium continuo resonabat « *ti accomoderò io* » (de quibus rebus Ioseph Zucchini aliique quatuor testes fidem unanimiter faciunt); vim et coactionem ad nuptias in dubium revocari non posse, et consequenter etiam nullitatem contracti matrimonii denegari minime posse patronus concludit.

Quin dicatur filium non potuisse sin minus pingui materna haereditate, eidem iam relicta, privari. Quandoquidem in primis paterna saltem privari potuisset: et hoc, iuxta dicta, satis erat ad gravem metum inducendum. At ulterius universam defunctae uxoris sortem comes Caietanus in cumulum una simul cum suis bonis posuerat : porro filius non adhuc quadrilustris, cui non omnia, quae ad bonorum administrationem pertinebant, bene perspecta erant, equidem potuit, ex hoc ipso, plus aequo ex paternis minis timere. Atqui « invalidum esse matrimonium quod initum est metu

carceris, privationis officii, *gravis damni in rebus* vel alterius vexationis iniustae ad nuptialem consensum extorquendum incusso » docet Schmalzgrueber *tom. 4 jp. 1 tit. 1 § 493.* Et amissionem maioris partis bonorum, aut etiam privationem magni lucri metum gravem inducere « cadentem in virum constantem » cum communi tradit Rota *cor. E mer ix decis. 870 n. 3.*

Tametsi, et si hucusque exposita ad violentiam filio factam probandam non sufficerent , adstat ultimo loco ipsa dolorosa patris confessio. Statim ac enim ille cognovit Gozzadinae fugam, expergisci ferme e somno visus est, suum errorem cognovit et quum primum filium adiit clamavit : infelix filii mi, in quam ruinam ego te conieci, vel, ut alii volunt : parce mihi Antoni : ego unus tuae ruinae causa fui. Et exinde cum de tristi hoc negotio cum amicis loqueretur, dolens aiebat: infelix Antonius! ego ipsum perdidi. Porro quanti haec verba sint facienda nemo non videt: ideoque nedum ex testibus, sed ex ipsa patris confessione illatae coactionis veritatem hauriri orator autumat.

Ad difficultates diluendas gradum deinde » faciens patronus, invenit in primis obiici, clientem suum ante nuptias consuevisse domum Gozzadinorum saepius adire, eo convenire puellam, ibi amanter et iucunde versari, sicut cum ipsa Gozzadina unus vel alter ex productis testibus refert, et nonnullae matris Gozzadinae litterae describunt. Gui respondet orator, ea fieri et hac ratione filium se geri patrem iussisse et idcirco posita necessitate ex metu, quidquid ea causa factum est, libertati adscribi non posse. Barbosa *I. cit. n. 87 seq.* At insuper teste Panimollio *decis. 102 ann. 1 p. 375:* « Probatio spontaneae voluntatis fere impossibilis est : unde plus creditur duobus testibus deponentibus de metu, quam mille de spontanea voluntate. »

Pariter metui patris adscribendum putat orator, si Antonius in sponsalibus matrimonio praeviis, cum a parocho rogaretur utrum libere ac sponte ad has nuptias consentiret, utique respondit.

Post nuptias vero quae de laetitia sponsorum habent -comes Alvise da Schio, et Calzoni, et siquis alius, ea pariter necessitati esse tribuenda, nihilque esse facienda. Perseverante enim metus praesumptione nullum contubernium, nullam laeti-ac iucundi animi speciem attendi posse, definivit Rota *dec. 392 cor. Ladovisi n. 3.*

Quo vero ad epistolas in actis existentes, quibus mutuus sponsorum amor concordia, studium ad sidera extollitur, respondet actoris patronus, non agi proprie de litteris sed de litterarum facinus; unde ipsemet Bononiensis iudex dum ea recepit, haec in actis adnotata voluit :

« Professor (Cappellini) tradidit 15 fragmenta epistolarum scriptarum sibi ab iii. comitissa Theresia (Gozzadinae matre). » Porro ex his laciniis plenum tutumque de litterarum sensu iudicium efformari non posse. Insuper latere utrum haec authentica sint ; et in tanto tuendi matrimonii studio, quo adversa pars flagrai, omnia esse pertimescenda.

Ultimo tandem loco ad obiectionem de tam serotina causae introductione respondet patronus, clientem suum, vivente patre, eum in iudicium vocare, violentiae accusare, reumque facere, tum ex reverentia, tum ex timore tum ex amore abhorruisse; imo ne cogitasse quidem : mortuo vero patre adhuc per aliquot annos ab introducenda causa abstinuisse, ne afflictam iam nimis Gozzadinae patris canitiem, ultimo graviori ictu feriret. Attamen cum matrimonium notoria vi et metu initum esset, et insuper sponsi animo et contubernio divisi seorsim viverent, nullitatem matrimonii nullo temporis lapsu abstergí ac purgari posse orator contendit. Ac proinde hanc quoque obiectionem prorsus labefieri concludit.

DEFENSIO MULIERIS. Verumtamen ex altera parte praeprimis observatum fuit, quod ad matrimonii valorem contra actorem tuendum.. dimicant hinc ex officio vinculi defensor, illinc ex electione peculiaris Gozzadinae patronus; qui quidem quamvis suis propriis distinctisque copiis ac sub diversa forma aciem instruant, ad eumdem tamen finem prorsus intendunt, et eadem

etiam substantialiter proponunt et urgent argumenta. Hinc satis superque esse huiusmodi argumenta summatim colligere. In primis vinculi defensor nihil reprehendendum invenit si Gozzadina praesenti iudicio intersit: interest enim ac praesens est, quia iudex eam vocavit: iudex autem, illam advocavit, quia uxor est. Quod si ab initio paululum forte delectavit, non ideo tamen a iure suo exercendo, imo potius ab officio obeundo, decidisse videtur.

Hac preoccupata obiectione, ad causam metus investigandam accessuri, cum Sánchez *De matr. lib. 4 dis. 12 n. 13* recolunt quod « hac in re est quaedam conclusio certissima apud omnes, nempe quoties metus non sit incussus ad extorquendum matrimonium, sive proveniat a causa naturali sive libera, quantumvis gravissimus sit, non reddit irritum matrimonium. »

Iam vero perpensum fuit ex phalange testium ab Antonio inductorum *unum tantum.* Petrum Melossi, eiusdem Antonii *Famulum* de propria scientia narrasse saevitias, quas pater Antonio fecisset, ineundi matrimonii gratia. Alium vero Antonii famulum nempe Aloisium Grandi esse testem de relato et eadem repetiisse, quae a Petro audierat.

Porro tum sacramenti vindex, tum Gozzadinae patronus observant has famulorum attestationes magna cum cautela esse accipiendas : siquidem in primis de famulis agitur; at insuper eorum verba ita concinnata et composita apparent, ut aliud dicere et aliud intelligi famuli studere videantur; et interim dubium non aspernabile ingerunt, an expulsio filii ex convivio, reapse matrimonii causa contigerit. Prior enim ait « *ho potuto argomentare,* etc., alter vero subdit ab initio sibi diverbii causam ignotam fuisse.

Verumtamen neque expedit his immorari; nam sacerdos Bonucci, Antonii institutor, et comitis Caietani amicus, interrogatus, num comes Caietanus vim adhibuisset, ut filium suum ad matrimonium cum Gozzadina ineundum adigeret, respondit violentias quidem extitisse, sed prorsus ignorare, utrum a patre intentatae fuerint eum in finem, ut filium ad matri-

monium cum Grozzadina ineundum adstringeret. Imo addidit Antonium die quadam, ob nullius momenti verba, a patre e mensa eiectum fuisse. Itaque non matrimonii contrahendi causa, sed potius aeducationis ergo a patre filium e convivio eiectum fuisse.

Idem commemorat etiam Philippus Brunetti, qui licet testis ab actore inductus, ex conscientia tamen confiteri debuit: sibi haud constare exhaeredationis minas ac violentias, patrem hac intentione adhibuisse , ut scilicet filium induceret ad matrimonium cum Gozzadina contrahendum. Et rei fastigium imposuit, denegando omnino filium a patre ad huiusmodi nuptias inductum fuisse.

Si itaque quaeratur quomodonam contigerit, ut tot ac tam graves minas unico suo filio pater intentaret, hanc Gozzadinae patronus dat responsionem, nempe quia iste filius plus aequo aleis indulgens, saepius ad contractus foeneratorios confugere adigebatur. Et hoc deduci nedum ex depositione comitissae Gozzadinae, verum etiam ex testimonio comitis Massei, actori addictissimi, asserentis Antonium solitum fuisse pecuniam mutuam sumere.

At demum quod minae patris in filium ad matrimonium -cum Gozzadina ineundum nullo modo essent directae, id plenissime conficit, ex eo quod quotquot habentur testes qui de his minis et dissidiis patrem inter et filium loquuntur, ferme omnes addant etiam post initum matrimonium easdem minas, easdem patris in filium exprobrationes audiisse. Hoc sane refert canonicus Bonucci, actoris amicus, eius olim institutor, nunc vero testis ab eo inductus. Hoc ipsum asserit comitissa Malvasia Antonii consubrina. Hoc ipsum tandem Philippus Brunetti pro rei veritate confirmat. Ceterum, ait vinculi defensor , luculentum de spontanea et libera Antonii voluntate argumentum ad has nuptias ineundas praebet factum, quod Gozzadina particulatim describit, asserens ipsum in Sabbato Sancto coram genitrice sua locum habuisse.

Age vero, prosequitur vinculi defensor, factum, tot minutis circumstantiis suffultum, merum inventum et periuram

confìctionem dicere animus non audet: eo vel magis quod ipse actor hac in re titubare inveniatur, et, dum a quacumque responsione studiose abstinet, factum ferme confiteri videatur.

In eodem sensu accipienda esse ait, nedum quae professor Salvini, comes Dantes de Serego Alighieri ac professor de Meis {proferunt et asseverant, se vidisse sponsos ante nuptias in maxima familiaritate, atque ita laetos, ut felices omnibus apparerent; sed etiam ea, quae sponsae mater sponsalitio contractu vix inito consobrino scribebat; quod sciliscet sponsi aegre ferentes matrimonium differri usque ad mensem septembris, adhibita prece, a parentibus obtinuerunt ut illud mense maio exeunte, celebraretur.

Tandem in eodem sensu accipiendam esse arguit confessionem die 6 Maii ab Antonio emissam. Cum enim iuxta morem in Bononiensi ecclesia vigentem ante bannorum publicationem sponsi examini subiici soleant, eorumque verba scriptis mandari: Antonius, absente patre, a parocho inter alia compellatus, num directe vel indirecte coactus fuerit ad matrimonium cum Gozzadina contrahendum? Antonius respondit, se sponte ac libere eam in uxorem ducere.

Imo, quod maius est, cum idem parochus, hodie Episcopus, in iudicio rogaretur an aliquod oscitantiae vel haesitationis signum in Antonio animad vertisset dum hanc responsionem praebebat, retulit Antonium nullum sive oscitantiae sive haesitationis signum praebuisse.

Verum, parochus, nedum nihil haesitationis et repugnantiae. advertit, cum Antonius verba *de futuro* protulit ; sed nihil omnino ad vertisse subdit, cum in actu solemni celebrationis matrimonii verba de praesenti pronunciavit ; etsi ipse matrimonii celebrationi adsisteret, imo verba , quibus consensus a sponsis exquiri solet, Sacerdoti ad id delegato suggereret. At non modo @x adiunctis, matrimonium antecedentibus, non modo ex concomitantibus, verum etiam ex consequentibus manifestum apparere, patronus asserit, Antonium sponte et libere, imo Iubenti animo matrimonium con-

traxisse. Quandoquidem tum ex epistolis a sponsae matre sive consobrino, sive professori Cappellini tempore haud suspecto scriptis, tum ex depositionibus comitis Friderici de Serego Alighieri eiusque fratris Dantis, nec non Alvisis da Schio, professoris Salvini et equitis Calzoni liquet neonuptos indubia laetitiae, benevolentiae et amoris signa sibi iugiter et ubique exhibuisse. Imo professorem Salvini testari corniti Antonio nihil magis cordi fuisse, quam ut uxor sua gauderet, laetaretur et ceteras nobiles mulieres cultu et ornatu superaret, et hac de re ipsum maximopere delectari.

At vero cum in coactionis materia ad id etiam oporteat intendere quod inferrendae huius coactionis dicitur causa; et cum in themate affirmetur, Antonii patrem ideo praesertim has nuptias filio indixisse , quia oeconomicae suae conditioni, in arcto iam positae, levamen ac praesidium afferri sic sperabat; vinculi defensor ac Gozzadinae patronus animadvertunt, ipsum actoris advocatum fateri quod « quanta huius aeris vis fuerit hodie evinci nequit: » actorem vero ipsum deponere: se nihil scire de vera aeris alieni summa, sed credere illud lib. 150, 000 superasse. Verum hoc debito etiam admisso, nihilominus non ideo oboeratum haberi posse comitem Zucchini, asserit doctor Brunetti et confirmat advocatus ac rerum gestor Pancaldi. Ceterum de rebus suis timere haud poterat comes Caietanus Zucchini , quia praeter suum patrimonium, dotem et bona defunctae uxoris ad 600 vel 800 millia libellarum aestimata, iuxta Pancaldi, Brunetti aliorumque testimonium, praesto habebat.

Verum haec omnia dicta oratores volunt in hypothesi, quod aes alienum comitis ad 150, 000 libellarum reapse adscenderet. Ast eques Alphonsus Calzoni et Angelus Capuri non 150 millium libellarum, sed 5 millium dumtaxat scutatorum aes alienum comitis fuisse asseverant. - Quin regerere iuvat hos viros Gozzadinae servitio esse addictos. Quandoquidem sacramenti vindex meminit eos famulos non esse, sed rerum gestores, quo munere primitus ac per plures annos in ipsa Zucchini familia functi sunt. At ulterius ii re.

ligionis ac honestatis laude a suis parochis prosequuntur, et quod magis est ad documenta publica appellant. Quapropter eorum assertionem praecisam et in talibus adiunctis prolatam anteferendam prorsus esse incertis aliorum affirmationibus, quae studiose expiscatae videntur, uterque orator concludit.

Post haec uterque ad quaedam factorum adiuncta declaranda, et ad adversarium in iis revincendum descendunt.

Atque in primis perpendunt exhaeredationis minas, quales demum hae fuerint, noa ita veritum esse Antonium, veluti eius orator praedicat. Siquidem Dr. Brunetti refert comitem Antonium haud latere ius super materna haereditate sibi competere. Et advocatus Pancaldi addit medietatem simplicis proprietatis latifundi *D io p,, a* , vivente patre, ad Antonium pertinuisse, eiusque valorem summam lib. 800, 000 attigisse.

Ulterius verba, ab actoris patre prolata, quum primum filium invisit post scelestam Gozzadinae fugam, aliaque similia, sacramenti vindex in dubium revocat; nam de iis nil scire fatetur canonicus Bonucci, qui quidem utpote tanta cum comite Caietano vinctus amicitia ea ignorate nequiverat.

Quae de dilatione instituendae causae, ne scilicet viventem patris personam filius offenderet, minime cohaerere cum eo quod ipsemet Antonius enarrat, nempe patrem penes filium suum usque ad mortem institisse, ut huius matrimonii solutionem ab auctoritate ecclesiastica peteret: nec cum facto, de quo doctor Brunetti cum aliis fidem facit, nimirum patrem ipsum matrimonii solutionem ab auctoritate ecclesiastica pontificia quaesivisse, sed defecisse, quia nullum iustum titulum proposuerat.

De cetero ob oculos EE. PP. quaedam processus verba versari vinculi defensor postulat. Ex iis enim manifestum erumpere autumat, Antonium ratum indolis disparitatem inter coniuges causam canonicam constituere matrimonium dissolvendi capacem, iudicium ecclesiasticum hac super re instruere meditatum fuisse. Verum ab eximio viro instru-

ctum indolis disparitatem inter coniuges matrimonii nullitatem haud inducere, tabellam evulgare coepisse, se non sponte ac libere, sed a patre coactum matrimonium cum Gozzadina celebrasse.

Quoad vero Antonii effatum: *Andiamo pure a prendere questa zuccata,* vinculi defensor hanc dat explicationem, scilicet haec verba Antonium protulisse quasi ad canonici Bonucci reprobationem : ex eo quod laudatus canonicus hisce discipuli nuptiis cum Gozzadina contrarium usque ab initio se ostenderat, easque aerumnosas dixerat.

Demum quae de Antonii amore in Lauram Malvezzi proferuntur, veram difficultatem non facere inquit : notum est enim quanta levitate iuvenes ex uno ad alium amorem ferantur.

Pariter quae advocatus Pancaldi de nuptiarum exitu in ipso matrimonii die praevidit, non a coactione, sed ex aliis causis, nempe ex perspecta puellae indole aliisque similibus, repetenda esse censet.

Hisce tum in facto, tum in iure perpensis, propositum fuit diluendum sequens

Dubia

A.71 constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, omnibus maturo examini subiectis, sub die 10 Maii 1890 respondere censuit: *Negative.*

Ex quibus colliges I. Maiorem fidem mereri duos testes de metu, quam mille de spontanea voluntate deponentes, ex eo quod probatio spontaneae voluntatis fere impossibilis est.

II. Ad matrimonium maius et perfectius voluntarium requiri, quam ad alios contractus civiles.

III. Et posita necessitate ex metu, quidquid ea causa factum est, libertati adscribi non posse.

IV. Unde, perseverante metus praesumptione , nullum

contubernium, nullam laeti ac iucundi animi speciem attendi posse.

V. Magnam patris indignationem in filium, ex eo quod nolebat suae voluntati obedire, vel amissionem maioris partis bonorum, aut etiam privationem magni lucri metum gravem inducere cadentem in virum constantem, ideoque matrimonium irritum reddere.

VI. Verumtamen metum, etsi gravissimum, sive proveniat a causa naturali sive libera, matrimonium irritum haud reddere, quoties ad illud extorquendum incussum fuisse non demonstretur.

VII. In themate vero matrimonium validum renunciatum fuisse ex eo quod demostratum haud fuit , metum a patre incussum et exhaeredationis minas contra filium prolatas, ad matrimonium extorquendum directas fuisse.

FOROIULIEN. ET NICIEN. .SEU AQUEN. (1)

LEGATI

Die 29 Maria 1890.

Sess. 25 cap. 5 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Tertio redit haec causa. Proposita primum die 15 Decembris 1888 sub dubio: *an sustineatur sententia arbitr ament alis aquensis Curiae, seu oti us legatum, de quo agitur adscribendum sit Seminario niciensi in casu,* dimissa fuit hac responsione : « Traditis 15 obligationibus Ordinario niciensi pro dotatione paroeciae Briançonnet, reliquae maneant penes Seminarium Foroiuliense cum onere solvendi 400 libellas annuas Seminario niciensi, quoties in eo aderunt alumni, unus vel plures e Seminario grassensi, iuxta mentem testatoris. »

Iterum acta quaestione potissimum ad sensum praece-

(1) Confer Vol. XXII, 3 , quo ample relata fuit quaestio haec.

dentis rescripti determinandum, die 7 Septembris 1889 ad dubium: *an et quomodo rescriptum diei 15 Decembris 1888, intelligendum sit; ita nempe ut inter omnes alumnos Seminaria grassensis praeferantur alumni locorum Briangonnet et Saint Auban; seu potius ut, his deficientibus, nihil debeatur.* S. C. C. respondebat: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Hac resolutione gravatus niciensis Episcopus per suum advocatum beneficium novae audientiae, intra utile tempus^ postulavit. Et deinde, paucis interiectis diebus, novum dedit supplicem libellum, in quo profitebatur se a prima S. C. C. resolutionem non appellasse eo quod alium sensum eidem subesse putaverat ac S. C. C. in comitiis die 7 Septembris declaravit. Cognita itaque EE. PP. mente, ducere non tam ab interpretatione quam ab ipsa prima sententia quae huiusmodi sensum induere declaratum est, sibi esse appellandum: ideoque, se petere ad impugnationem utriusque resolutionis,, decreti nempe diei 15 Decembris 1888 et subse^uae interpretationis diei 7 Septembris 1889, una simul admitti. Super his novis precibus rescriptum fuit: « Proponatur, citata parte, reservato tamen merito novae instantiae plenariae Congregationi. »

Noviter adducta a partibus exhibita fuerunt Emis Patribus, et propositum fuit diluendum

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C Concilii, re tertio discussa sub die 29 Martii 1889, censuit respondere: *Recedendum a decisis in primo et secundo loco et sortem legati tradendam esse Episcopo niciensi.*

PARISIEN.

MATRIMONII

Die 15 Iunii 1890.

Sess. 24 cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 20 Iulii anni 1886 in ecclesia s. Vincentii a Paulo, Parisiis, iustas nuptias inibant Paulus Gosselin et Dyonisia Millet. Ut nonnulli asserunt, haud spontaneo animi motu ad has nuptias Paulus consensit, sed ut senis ac infirmi patris voluntati deferret. Par ferme erat sponsorum aetas, sed non par ingenium: quoniam vir, ceu unanimiter ferunt, pietati et interiori vitae apprime deditus, quidquid illecebrarum saeculi, luxuum ac mundi Vanitatum sapit, ex corde aversatur; mulier e contra ab his non abhorret, imo his indulgere quandoque delectatur.

In his conditionibus sponsi annum et dimidium communem vitam in paternis Dyonisiae aedibus duxerunt, eodem cubiculo ac lecto sunt usi; quin tamen amore, benevolentia mutuoque studio eorum animi unquam calèrent. Narrant imo et iuramento affirmant, se matrimonialibus iuribus nunquam usos fuisse: et addit vir, id sibi esse imputandum, qui hac illa ve de causa firmo animi consilio ab uxore abstinendum proposuit, decrevit, idque constanter servavit.

Interim discordia maiores in dies faces virum inter et uxorem inferebat: vir discedendi occasionem quaeritare videbatur: imo bis abrupte discessit, nec ad uxorem rediit, nisi prius matris, dein domini Sartiaux opera et interventu. Ad ultimum vero die 1 Maii 1889 uxori valedixit, abiit nec amplius reversus est.

Tunc Dyonisia eiusque parentes civile divortium petierunt, atque obtinuerunt; et subinde ad SSmum confugerunt rogantes, ut sacramentale coniugium; qua ratum et non consummatum, benigne dispensantur, SSmus commisit ut Parisiensi Curiae processus de more conferretur, et ut, eo peracto et ad S. C. transmisso, penes S. G. C. causa tractaretur sub assueto dubio quod in calce huius folii legitur.

Summatim recolere sufficiat, utrumque sponsum excussum iudicialiter fuisse, eorumque parentes, septimam quoque propinquorum et amicorum manus auditos : dein ad corporalem uxoris inspectionem ventum esse, eaque peracta, duos medicos cognitores iudicium tulisse magis favorabile quam contrarium inconsanimationi: ob mulieris tamen valetudinem de medicorum consilio balneum, quod inspectioni solet praemitti, omissum fuisse: demum in actis, praeter peritorum iudicialium sententiam, insuper duorum aliorum medicorum vota haberi, utraque mulieris integritati et matrimonii inconsummationi suffragantia , alterum a Dr. Brouardel exaratum, dum divortii civilis causa agebatur, alterum vero a familiari mulieris medico conscriptum.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. His itaque innixus patronus mulieris,, quae actrix est, dum vir passive se habet in causa, ad inconsummationem matrimonii evincendam, meminit, iuratas sponsorum depositiones, si consonae, si a probatis, religiosis ac fide dignis personis procedentes, si demum septimae manus suffragio sint suffultae, tanti esse valoris ut iuxta *cap. Laudabilem o De frigid, et male f. LJtterae Vestrae 7 et Super eo 5 De eo qui cognovit* etc. et iuxta ipsam S. C. C. in *Tergestina Matrimonii* 16 Decembris 1876 et 21 Aprilis 1877, in *Viennen. Dispens, matrim.* 15 Decembris 1877 et 23 Martii 1878, in *Parisien. Matrimonii* 28 Martii 1857 atque in aliis, sufficiant ad moralem ac iuridicam persuasionem inducendam de non consummatione matrimonii et ad dispensationem, etiam sine physico virginitatis experimento, impetrandam (1).

Vir, primus ait: quamdiu domi permansi eodem lecto mulieris meae usus sum. Nullum actum interfuit coniugale;, numquam neque loquuti sumus de hoc; mulier mea optime educata fuit. Sed adiecit : characteres vero nostri diversi

(1) Confer Vol. X, 376, quo loco prostat ***Tergestina matrimonii;*** et Vol. XI, 134, ubi relata fuit ***Viennen, matrimonii.***

erant, ego impulsus haud eram ad implendum onus meum et ab eo abstinui. Et mulier ex parte sua nihil petebat. Hinc ego confirmo, me non consummasse matrimonium, et culpa mihi tribui debet, quia numquam matrimonii consummationem petivi aut provocavi. Eodem animi sensu loquitur mulier: nunquam locum habuit ullus conatus... Igitur ipse noluit. Post decem et octo dies a matrimonio ille mihi dixit, sese coactum fuisse ad hoc matrimonium a suis parentibus. Ipse etiam dixit quod, non consummando matrimonium, consulit conscientiae suae.

Quibus verbis sponsi, nedum inconsummationem aperte tuentur, sed et causas reddunt, quibus factum est, ut per totum illud mutui consortii tempus numquam convenerint. Hinc enim obstabat mulieris modestia, et ab initio etiam quaedam rerum maritalium ignorantia: nam Dyonisia, ipsa fatente, eiusque parentibus confirmantibus, super his instructa ante nuptias minime fuerat; illinc vero habebatur firmum viri propositum nuptiis non utendi; quod propositum ex ipso matrimonii initio ob defectum propensionis in uxorem conceptum, ex rigidis conscientiae principiis roboratum, et in dies magis auctum ob magis exploratam utriusque ingenii diversitatem, apprime explicat factum, quod in aliis rerum adiunctis et in lubrica aetate utique haud solet faciliter evenire.

De cetero confessio non consummationis matrimonii nedum in iudicio, sed vel antea, tempore non suspecto, facta perhibetur. Tertio enim post nuptias mense nondum elapso, mater ex filiae ore audivit, nihil adhuc actum esse, et virginitatem suam puellam adhuc integre custodire. Sponsae amica Elisabeth Ploque idem testatur.

Huius soror similes intimas revelationes a Dyonisia habuisse dicit. Aloysia Dupuy, viri materiem, nepotem suum ab uxore iam digressum, et quidem ea die qua sacra de altari libaverat, audivit dicentem, se numquam rei uxoriae operam dedisse. Ac demum Karolus Yatin, eiusdem viri patronus, similiter rem eandem deponit.

Porro constans et consona huiusmodi sponsorum depositio tum in iudicio, tum antea, tempore non suspecto facta vel maiorem sibi vindicat auctoritatem, si deponendum pietas et honestas pensetur. De viro nec loqui vacat, dum de eo Emus. Ordinarius testatur: « Iuvenis maxime religiosus est et dignus qui commendetur »; et dum Albertus Sartiaux vir praeclarus, Dyonisiae quidem propinquus, sed a pluribus annis superior et amicus Pauli Gosselin, de eo ita concludit: ego confirmo quidquid ille dicit verum.

Nec deterius revera est de muliere testimonium ; nam haec quoque ut honesta, religiosa ac fide digna renunciatur a Vicario paroeciali s. Vincentii a Paulo, a socru, a sponsi materiem, atque ab aliis passim. Imo ipse eius vir licet in uxore propensionem ad mundana alioquin licita reprehendat, nihilominus de ea fateri debuit: uxor mea optime educata fuit.

Duo itaque elementa habentur, quibus sponsorum depositioni credatur, consona nempe et constans eorum assertio , et eorumdem pietas et conscientia. Nec tertium deest elementum, nempe septimae manus suffragium. Universi enim quos iudex vadatus est, uno veluti ore aut ex perspecta sponsorum honestate, aut ex praecognita factorum historia, aut ex utroque simul motivo testati sunt, se vera credere quae partes enarrar uni. Atque ita morale de inconsummatione argumentum numeris omnibus absolutum haberi patronus concludit. Nec physicum deesse putat. Siquidem ex duobus iudicialibus peritis, qui Dyonisiae corpus examinarunt concludit pro statu integrae virginitatis.

Quin obiici possit balnei omissio. Nam Dyonisiae valetudo et cronicus eius gutturis morbus exigebat, ut ea ab hoc ritu absiineret, sicut eius medicus familiaris eidem consuluit, ipsique periti iustum invenerunt. Aliunde cognitores iudiciales professi sunt, etiam, hoc medio praetermisso, se optime posse de mulieris integritate et de matrimonii inconsummatione in casu iudicare: et S. C. S. Officii in sua istructione edocet, adhibendum prius esse balneum « si necessarium physici iudicaverint. »

Pariter, inspectionem directe per medicos fuisse factam, non nocere censet patronus. Nam quod inspectio per obstetrices fieri iubeat ur, hoc magis ad modestiam pertinet, quam ad factorum ac veritatis cognitionem: aliunde S. O. C. explorationem per medicos habitam non semel probavit, ceu videre est in alia *Parisien,* diei 1 Aprilis 1887. (1)

Ideoque peritorum sententiae tute stari posse orator censet : eo vel magis quod ea consona sit nedum iudicio Dr. De Lavaur medici familiae Millet, qui ante causae initium Dyonisiae corpus exploravit et professus est, Dyonisiam Gosselin praeseferre cuncta virginitatis signa; sed maxime quia conformis est sententiae praeclari Dr. Brouardel, qui in sua relatione, civili tribunali in causa divortii insinuata, fidem facit, eandem mulierem defloratam non fuisse.

Cum igitur ex saniori anatomicorum schola receptum sit, virginitatis signa certa esse, nec expertos medicorum oculos fallere posse, et cum exploratum sit, ceu fert notum adagium apud Zacchia *Quest. med. leg. lib. 4 tit. 2 q. n. 8.* quod < ex centenis mulieribus membranam circularem virgineam seu hymenem habentibus, vix una defiorata: e converso ex totidem, virginitatis signo carentibus, vix una virgo inveniri potest; - iam concludit patronus, dubitari haud legitime posse in themate, Dyonisiam adhuc virginem esse eiusque matrimonium dumtaxat ratum.

Quo, ut prae requisito, dispensationis fundamento posito, deinde ad causas dispensationis proponendas gradum facit orator. Et inter causas primum recenset nimium viri studium ad pietatem ac ad coelibatum : hinc advocatus Pluche miratus est quod matrimonium contraxerit, dum reputaverit quod religiosum statum amplecteretur. Idemque sentiunt et alii; ut D. Sartiaux, Aloysia Vatin, Elisabeth, et Ploque. Imo « sibi in votis esse in posterum vitam coelibem ducere » idem Paulus in iudicio professus est, ceu Archiepiscopus in suis litteris commemorat. Atqui ad meliorem statum eligendum rato matrimonio valedicere licet.

(1) Consule Vol. XX, 71.

Alia causa est aversio animorum ex diversitate ingenii nata, et ex denegata tamdiu matrimonii consummatione aucta: et cui denique nulla, ne remota quidem, spes est medendi, tum quia virum inter et mulierem eadem semper manet morum studiorumque distantia, tum quia eos inter iam intercessit civile divortium, tum demum quia Dyonisia in praesentiarum aliis studet amoribus, aliasque nuptias iam paratas inhiat. Unde uterque sponsus eorum parentes et amici unanimiter praedicant reconciliationem inter eos impossibilem nunc iam evasisse.

Quapropter dispensatio matrimonii nedum conduceret ad maius viri bonum et ad meliorem statum eidem comparandum, sed etiam ad spiritualem uxoris salutem, et ad inconti nentiae pericula ab ea removenda.

Porro, etiam ceteris missis, ob hoc unum, nempe ad occurrendum aeternae salutis discrimini, quo unus ex contrahentibus implicatur, et ad scandala praecavenda, posse **a** SSmo ratum matrimonium dissolvi cum communi docet Sánchez *De Matr. lib. 2 disp, 16 n. 1* et ipsa S. C. O. in pluribus causis ceu videre est in *Neapolitana Matrimonii* 26 Iunii 1858 aliisque.

Ultimo tandem ad faciliorem dispensationem reddendam id etiam conducit quod ipse vir sit dispensationis obtinendae cupidus, teste ipso Emo Parisiensi Archipraesul, ad S. C. referente: « Igitur maximo cum gaudio audiret, Paulus Gosselin, libertatem concessam fuisse mulieri quam ipse in tam miserabili statu posuit.

ANIMADVERSIONES ADSERTORIS SACRI VINCULI. EX altera parte vinculi defensor in primis recolit inconsummationem iuridice non constare; nam ex duobus medicis peritis unus Dr. Ferrand ita professus est: « Le simple examen nous permet de conclure, que sa configuration (hymenis) est telle que *Y* acte du mariage ne serait pas absolument impossible dans l'état actuel et sans amener de défloration plus apparente. » Et alter Bucquoy concludit : « Il résulte de ces faits que la pénétration d'un corps étranger dans la vagin

est possible et que á la rigueur un membre viril de mediocre volume pourrait y etra introduit sans effraction de T hymen. »

Et quamvis, his non obstantibus, duo medici tradant, ac sustineant virginem integramque se adhuc putare Dyonisiam, et matrimonium non consummatum; nihilominus cum huiusmodi eorum iudicium nullo certo motivo innixum videatur, imo contradicere cum possibilitate consummationis a duobus iisdem medicis paulo ante assertae, idcirco minimi faciendum videtur. Quod vel firmius retineri oportet, si consideretur duos medicos hoc suum de virginitate iudicium haud absolute proferre, sed quasi oscitanter « Il y a tout lieu de penser » ait Dr. Ferrand; - « Il ne semble pas que cette introduction ait eu lieu > pergit Dr. Bucquoy.

Cui accedit, duos peritos cetera quae, praeter hymenem de virginitate proferri solent iudicia, de quibus fuse loquitur Zacchia in *lib. 4 tit. 2 q. 1,* considerare et referre omisisse; solumque hymenem observasse.

Abnorme insuper est, duos viros mulieris corpus inspexisse, dum lex et honestas per obstetrices id fieri iuberent. Ac demum, ceteris missis, hoc maxime offendit, quod duo medici una simul mulieris corpus inspexerant; ex quo maxima collusionis possibilitas inducitur, et testimonium medicorum non duplex, sed unum et quasi ab una eademque persona prolatum videtur; et idcirco etiam cessat prima ac potissima veritaíis detegendae cautio ex duarum distinctarum depositionum collatione promanans.

Quapropter nullum nulliusque valoris ad controversi matrimonii inconsummationem probandam defensor renunciat peritorum iudicium. In pari imo in inferiori censu esse quoque ponendam peritiam medici Brouardel et alterius, qui actricis familiam curat. Nam praeterquam quod eorum examen haud iudiciale fuit, insuper eorum relatio informis omnino est. Ideoque nullum certum physicum argumentum de inconsummatione proferri defensor concludit.

Nec pluris morale aestimandum. Siquidem licet duo spon-

si ingenio dispares sint, pares tamen maximeque concordes sunt in sui matrimonii dissolutione exoptanda: unde de collusione suspecti sunt: quo casu unanime eorum testimonium parvi faciendum esse, docet Sánchez de *matr. lib. 2 disp. 45 n. 33* Menochius *De arbitr. iudic. lib. 2 c. 2 eas. 103 n. 8* et Schmalzgrueber *tit. 15 lib. 4 n. 69.* « Confessio enim cum sit in confitentium favorem nihil probat. »

Nec grandi huic defectui supplere septima manus videtur; quandoquidem uno alteroque teste excepto, ceteri omnes de intimis sponsorum relationibus nil scivisse, nil tempore suspecto audiisse professi sunt. Una Dionysiae mater est, quae a filia, durante adhuc maritali consortio, didicisse deponit : verumtamen cum actricis mater sit, hoc ipso suspecta testis est.

Verumtamen dato etiam quod matrimonii inconsummatio plene evinceretur; cum tamen initum sacramentum sine causis a Pontifice resolvi non soleat, nec possit; et cum in themate, iuxta matrimonii vindicem, huiusmodi causae desint; idcirco ex hoc uno actricem refici oportere ille concludit. Sane una quae ad hunc effectum proferri potest causa, et ad quam ceterae omnes reducuntur, est sponsorum discordia, diversumque ingenium. Inde repetenda inconsummatio, inde dissidia, inde tandem divortium. At vero, ait defensor, haec discordia cessavisset et Dyonisiae indoles sensim cum mariti indole convenisset, si e funesto parentum influxu uxor subducta fuisset, quod vir semel tentavit, et in eo erat ut ad exitum perduceret, nisi iterum Dyonisiae matris opera et ars succurrisset. Ceterum cum dissensus uxoris a viro voluntarius sit, nec ullo gravi motivo suffultus, huic morem non esse gerendum, defensor concludit, sed potius actrici indicendum evangelicum D. Pauli praeceptum in *1. ad Corinth. cap. 7 v. 10 seq.* expressum, nempe: « Iis qui matrimonio iuncti sunt praecipio non ego , sed Dominus, uxorem a viro suo non discedere: quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.... Mulier alligata est. legi quanto tèmpore vir eius vivit. »

Quibus praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita sub die 14 Iunii 1890. censuit respondere : *Affirmative.*

LEOPOLIBN.

SUSPENSIONIS ET PRIVATIONIS PAROECIAE

Die 14 Iunii 1890.

Sess. 21 cap. 6 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Stanislaus Stojatowski, adhuc iuvenis, Societatem Iesu ingressus, et inter eius sodales cooptatus, ibi tredecim vitae annos exegit et sacerdotio initiatus fuit. Vertente anno 1875, cum sextum aetatis suae lustrum excessisset petiit et obtinuit ut inde discederet, et ad suum locum natalem, Leopolim, penes patrem suum , infirmum, ad inopiam redactum et numerosa prole gravatum, in subsidium veniret. Dimissus a societate fuit, hoc a P. Kautny die 11 Iunii 1875 signato testimonio: « R. D. Stanislaus Stoiatowski excellebat amore et studio piorum exercitiorum, magna assiduitate, nec non haud exigua facilitate scribendi verbumque Dei praedicandi. Deerant tamen ei aliquae virtutes homini religioso necessariae, nempe paupertas, obedientia et prudentia in conatibus, quos non semel praeter scientiam et voluntatem superiorum suscipiebat. »

Stanislaus, statim ac egressus e societate Iesu, Leopolim venit, dum optaret ecclesiastico aliquo pastorali munere donari, etiam ut certo proventu, quo tute ac honeste vivere posset augeretur, vicariiJofEcium primum in oppido Grodecensi, dein Leopoli, obtinuit. Cum vero anno 1879, vel 80, parochia *Kulikow* suo pastore viduata mansisset, Stanislaus

a patrono laicali eam obtinuit. Illico vero difficultates adversas eundem enatae sunt, quasque enarravit appellando ad S. Sedem. In suo supplici libello Stanislaus dicit inimicos viros, qui invidia in eum tabescebant, mulierem pessimam invenisse, quae inhonestae vitae ipsum accusaret. Stanislaus Ordinarium adit, et ut iudicialis inquisitio fieret, extemplo petit. « Mulier accusans, inquit ipse, ad iuramentum trahitur, et mira Dei dispositione, post paucos dies subitanea morte e vivis eripitur. Magna fit consternatio ! Disquisitio super oblata accusatione intra paucos dies absolvitur eo exitu: declaratur mihi, quod accusatio per demortuam mulierem facta, auditis aliis etiam testibus, veritate carere comperta est.

Rem etiam Ordinarius in longissima sua relatione saepius commemorat, atque recolit inhonestas relationes, cuius tunc temporis Stanislaus criminabatur fuisse cum quadam Maria Skazowa uxore cuiusdam viri Leopoli commorantis, quae, una cum filiis Kulikowiam saepe veniebat et ibi diu confidenterque penes parochum moras trahebat.

Paulo post per decanum ecclesiastici districtus Zothieviensis, canonica visitatione ex Ordinarii mandato instituta, plura irregularia in paroeciae administratione, et in specie familiaritatem cum Maria Skazowa adhuc perdurare inventum est.

In sequelam exhibitae per decanum relationis die 21 Februarii 1882 litterae Stanislao mittebantur, quibus suorum officiorum monebatur, et spiritualia exercitia per sex dies eidem indicebantur. Ipse ad Archiepiscopum Olomucensem, delegatum in secunda instantia iudicem pro archidioecesi Leopoliensi, recurrit; sed reiectus, adhuc iussa facere distulit; usque dum, mense Martio sequentis anni 1883, suspensione eidem interminata ni pareret, tandem spiritualibus exercitationibus operam dedit.

Vertente anno 1884 cum in sacra quadam concione contumeliis affecisset quemdam Ludovicum Doschly, in ius raptus, a iudice saeculari ad carcerem per quatuor dies dam-

natus fuit. Quam tamen poenam ex Imperatoris gratia, commendante Ordinario, effugit et, in mulctam 200 florenorum commutatami habuit.

Anno 1885, haud prudentior factus, iubet, qua de causa non liquet, e pariete ecclesiae amoveri lapidem memoriae cuiusdam defuncti Mathiae Sobota dedicatum. Inf remit familia, et parochum ad tribunal civile trahit. Tribunal tereentis florenis aut carcere per 30 dies parochum mulctat. Parochus poenam luit, sed lapidem non restituit. Familia Sobota ad Ordinarium confugit. Et hic iteratis litteris dierum 3 Martii, 17 Aprilis, 20 Septembris ac tandem 29 Novembris 1887 sub suspensionis comminatione, nisi intra 30 dies pareat, lapidem restitui iubet. Sed parochus adhuc non cedit ; et Curia, eo non obstante elapsisque licet fatalibus, silet.

Cum vero, sub initium anni 1878, eadem archiepiscopalis Curia Stanislaum acriter pluribus ex capitibus redargueret, hic illico postulavit, ut strictae iudiciali indagationi subiiceretur. At curia non censuit huic petitioni morem tunc esse gerendum. Veram durius iam iam instabat contra parochum iudicium.

Siquidem variis de causis, contigerat ut aes alienum parochi, paullatim crescens, tam ingens tandem fieret, ut teste Ordinario, 20 millia florenorum, 45,000 lib. pertingeret. Instante itaque quodam advocato, die 28 Aprilis 1888 concursus creditorum a tribunali indictus fuit et decoctio parochi declarata. A tribunalis decreto ad appellationis curiam Vindobonensem Stanislaus illico provocavit ; sed antequam Vindobona responsum veniret, Leopoli, in foro ecclesiastico^ contra parochum maiora decernebantur.

Die 24 Maii, Vicarius Generalis et coadiutor Episcopus nomine Puzyna, Kulikowiam ad visitationem peragendam venit; et cum plura abnormia audierit atque invenerit, hoc duxit ferre decretum.

« Te suspendimus ab officio et ita suspensum te renuntiamus et declaramus, donec aliud disposuerimus, reservato

Nobis iure contra te ad alias poenas graviores procedendi, si tali modo suspensus Missam celebrare, praedicare, Sacramenta administrare aliaque officia parochialia exercere auderes. Interea curae animarum providebit R. Ladislaus Haidukiewicz cooperator ad ecclesiam parochialem rit. lat. Kulikowiensem. »

Decretum huiusmodi ab ipso Vicario continuo nunciatum est universae plebi in parochiali ecclesia Kulikowiensi undique congregatae. Qua de causa Stanislaus territus Leopolim statim proficiscitur, Archiepiscopum coram alloquuturus; a quo tamen receptus non fuit.

Litteras scripsit veniam et absolutionem petens, et adpromittens se amoturum suspicionis causam, removendo famulam Magdalenam; de qua circumstantia, quam reus confitetur, verbum non fit in suspensionis decreto.

Iunio desinente, Vindobona in patriam redux Stanislaus, trepidus diu atque anxius adlaboravit, verens ne ob suam decoctionem iuxta legem imperii in custodiam, usque dum causa finita esset, in carceribus mitteretur.

Tunc Ordinarius sub die 12 Augusti decretum tulit de iudiciali processu contra parochum instituendo quod transmittebatur administrator^ paroeciae Kulikowiensi , ut illud Stanislao denunciaret.

Interim, et antequam id fieret, contigit ut sacerdos deesset in Kulikow, qui in die 15 Augusti, B. M. V. in coelum assumptae sacra, missam litaret. Iuxta Stanislaum tercenti in ecclesia praesentes erant: viginti aut triginta iuxta Curiam: Stanislaus ibi aderat, sed suspensus ; subito tamen consilio abreptus missam coram his celebrare, imo quorumdam etiam confessiones audire, et sacram synaxim ministrare ausus est.

Die 23 Augusti, ceu statutum erat, commissarius , assessor et actuarius Kulikowiam reapse veniunt, et adeunt in suis aedibus Stanislaum, ut iudiciali indagationi eum submittant. Parochus declaravit, se ad nullam, a Commissario delegato dandam interrogationem, responsurum esse, quum

ut asserebat, immediate ad S. Sedem A. insinuaverit appellationem.

His acceptis, commissarius iudex parochiales aedes incontinenti relinquit, in municipalera cancellariam se confert, ibique testes aliquos convocat, et interrogat.

Curia sub die 29 Augusti parocho notifìcavit: quod insinuatae per ipsum appellationi ad S. Sedem A. tam a latis quam a ferendis sententiis, tum delatae pariter ad S. Sedem A. exceptioni et exclusioni Curiae archiepiscopalis a dignoscendis et diiudicandis quibuscumque causis ipsum spectantibus, qua frivolae et in iure canonico nequaquam fundatae, non deferatur. Sub una praefigebatur novus, pro inchoanda et prosequenda decreta, contra ipsum, iudiciali indagatione *perenipto^ius ter min us,* dies 4 Septembris , de quo dictus parochus certior reddebatur, hac cum expressa clausula, quod si in praefixo termino non comparuerit, vel comparendo ad propositas per delegatum commissarium interrogationes respondere noluerit, conformiter legibus canonicis, *contumax declarabitur et qua talis iuxta rigorem iuris canonici tractabitur.* »

Verum dum die 4 Septembris commissarius iudex cum assessore et actuario Kulikowiam inquisitionem instituturus veniebat, Stanislaus in proximum pagum abiit, nec reversus est antequam curiae officiales discessissent.

His stantibus, Curia, die G Septembris, contumacem formali decreto declaravit parochum Stoiatowski , defensorem ex officio ei constituit, idque dum parocho nunciavit, simulque eumdem monuit, eum a residentiae lege minime esse exemptum.

Statutum deinde fuit iudicialem inquisitionem haud amplius in Kulihow, sed ipsamet in archiepiscopali Curia esse a commissario peragendam, ideoque testes huc accersere oportuit.

Clauso processu, accidit quod iudicium differreretur, quia interdum decoctio parochi denuntiata fuit; et iuxta leges civiles in vinculis ille coniectus fuit.

Interim processus civilis perficiebatur, in quo curatus ac-

cusabatur de crimine malversationis, defraudationis, peiurii ac culposae decoctionis ; sed convictus fuit tantum de crimine aeris alieni. Hac de causa damnatus fuit ad vincula per 35 dies : sed ope cautionis mille florenorum liberatus fuit e carceribus, pendente iudicio, quia fiscus appellaverat ad superiorem civilem curiam.

Attenta parochi liberatione, censuit Antistes tempus advenisse ut iudicium contra parochum tandem concluderetur. Reassumptis itaque actis auditus fuit ex officio defensor, dein et promotor fiscalis: ac demum ipsemet Archipraesul, commissario iudice Vicario generali aliisque circumdatus, auditis quae hinc inde afferebantur, ad parochi destitutionem deveniendum esse decrevit, sub die 16 Septembris 1889 ob crimina quae sequuntur idest : ob neglectam aut malam sacramentorum administrationem in sua paroecia, ob ruinosam beneficii administrationem, ob deviam piarum oblationum applicationem, ob inhonestam cum feminis conversationem et concubinatum, ob suspensionis violationem, ob illicitam missae iterationem quandoque factam, ob decoctionem et subsequam parochi infamiam, ac demum ob irreverentiam et iniuriosos libellos contra Ordinarium ac maxime contra Vicarium generalem conscriptos. Damnavit etiam ad peragenda, propriis sumptibus in claustro Minorum Conventualium, exercitia spiritualia, seu recollectiones per sex hebdomadas; quibus rite peractis a censura suspensionis absolveretur.

Parochus ad SSmum, datis litteris, appellavit.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CURIAE. Ceu ex sententiae verbis plane liquet, in hoc privationis paroeciae iudicio suspensionis decretum, primitus contra parochum irrogatum, saltem implicite ratum habetur et renovatur. Siquidem nedum inter privationis paroeciae motiva suspensionis violatio recensetur, sed insuper in parte dispositiva sententiae additur, Stanislaum a suspensionis poena relevat um non iri , nisi postquam « exercitia

spiritualia seu recollectiones per sex hebdomadas » peregerit. Quibus stantibus, et cum insuper parochus, usque ab initio , contra inflictam sibi suspensionem reclamaverit, et vicissim Curia huius provisionis iustitiam tuita sit, abs re non erit etiam in hoc puncto nonnulla speciatim recolere.

Atque in primis favore Curiae et decretae ab ea suspensionis stat quod iuxta communem sententiam apud Reiffenstuel *tit. 39 lib. 5 num. 12 et 24,* cum Emo D'Annibale *Summ. t. 1 De censuris etc.* suspensio, qua censura ad frangendam contumaciam, monitionibus praeviis, ferri iuridice potest. Atqui in themate parochus Stojatowski, quamvis iterum iterumque monitus pervicax tamen perstiterat, et lapidem Mathiae Sobotha suo loco restituere obstinate recusaverat. Ideoque Vicarius generalis ad hanc contumacem inobedientiam frangendam et corrigendam, eum ab officio suspendere, sicut suo decreto diei 24 Maii 1888 egit, iure merito poterat. Imo mirandum est quod Vicarius ad hanc unam provisionem devenerit, nec ulterius processerit. Siquidem cum iam a die 24 Novembris 1887 Ordinarius eidem parocho lapidem restitui iniunxisset « sub poena suspensionis nisi intra 30 dies a die rescripti recepti computandos '» pareret; hinc Vicarius generalis obvie tutiusque poterat ab omni negotio se expedire declarando, eumdem parochum in suspensionis censuram iamdiu et a pluribus mensibus irretitum existere, imo et addere, eumdem ob violatam suspensionis censuram irregulärem esse factum.

Quapropter, iuxta haec, parochus magis quam se gravatum hac censura dolere, contentus esse deberet se poena iusto minore fuisse multatimi. Et hoc quidem relate ad suspensionis decretum. Relate vero ad privationis paroeciae sententiam eo minus insurgere forte potest parochus sive meritum causae inspiciatur, idest crimina quorum arguitur, sive forma iudicii et processus ordo spectetur.

Desunt quidem authentica inquisitionis acta; -adest tamen eorum compendium: quod cum ab Archipraesul in sua ad S. C. C. relationem confectum sit, magna profecto gaudet

auctoritate. Et primum in hac relatione exhibetur quidquid deprehensum fuit per iuratos testes et fide dignos quoad abusus et negligentias huius parochi in administratione sacramentorum, idest in administratione sacramenti poenitentiae, Eucharistiae et baptismi.

Expositis his, quae testes de abusibus parochi Stanislai Stoiatowski circa administrationem sacramentorum Baptismi, Poenitentiae et Eucharistiae deposuerunt, violationes legum sive iuris communis, sive particularis, quorum parochus Stanislaus Stoiatowski sese reum reddidit *circa multa matrimonia per eius parochianis contracta.*

Archiepiscopus commemorat libros, in quibus bannorum publicatio et matrimoniorum celebratio recensetur, male esse gestos, nominum inscriptionem tam negligenter esse factam, ut quandoque cognosci nequeat quinam sit qui sub signato nomine veniat, viri paternitas ipsumque sponsae nomen non semel sit omissum: quod grave ob id praesertim dicit, quia iuxta Imperii leges impugnandae matrimonii validitatis in civili foro motivum sic praestaretur: addit demum se reperisse eumdem parochum in feria 3 Pentecostes et die 2 Novembris publicationes matrimoniales fecisse.

Gravamina contra dictum parochum producta circa cultus divini exercitium, ait Praesul, respiciunt vel ordinarium vel extraordinarium cultus divini exercitium.

Quod attinet ordinarium cultus divini exercitium, omnes examinati testes uno ore deposuerunt, praescriptas per statuta dioecesana diebus Dominicis et festivis devotiones parochiales, non stato tempore, sed arbitrarie et pro lubitu parochi Stoiatowski celebrari, ita quidem, ut incoeptae circa horam 12 meridianam finiantur circa 3 post meridiem.

Intuitu extraordinarii cultus divini exercitii tria .praesertim contra parochum Stoiatowski notanda sunt gravamina , per testes probata; quod non obstante expressa ex parte archiepiscopalis Consistorii seu Curiae prohibitione in Aula praedii Mohylany, ubi illegaliter residebat, unum cubile ad instar sacelli adaptaverit, ibique, praeter diversas functiones

sacras, etiam Missae sacrificium celebraverit; quod habitando in Mohylany diebus Dominicis et festivis binas Missas, unam nempe in cubili aulae Mohylanyensis, alteram in Ecclesia parochiali Kulikowiensis celebrare praesumpserit; quod denique, propria auctoritate, SSmum Eucharistiae Sacramentum pro nocturna adoratione ab aliqua, propria auctoritate, constituta confraternitate peragenda saepius exponeret.

Introducta hac extraordinaria et insolita devotione initio, praeter iuvenes et puellas rusticanas e Pnemiwolki, participabant in decantandis litaniis, hymno et Officio parvo de SSmo Sacramento etiam natu maiores parochiani. Quum tamen ipsis innotuerit congregatos pro nocturna adoratione iuvenes et puellas in aedibus plebanalibus a nemine invigilan, pedetentim magis magisque devotionem istam perhorrescebant , cum et fama de quibusdam, sub respectu morali, excessibus participantium in nocturna adoratione divulgaretur et tandem res eo deducta fuerit, ut congregati pro nocturna SSmi adoratione iuvenes et puellae partes quoque habuerint in choreis et sanationibus, quae occasione celebratarum de scitu et consensu parochi Stoiatowski in domo plebanali per quempiam sodalem sutorium nuptiarum instituebantur.

Progreditur Praesul ad multos delineandus Parochi abusus in praedicatione verbi divini; et negligentiam eiusdem in catechizanda iuventute.

De lege residentiae loquendo Praesul ait, iam supra memini, Parochum Stoiatowski arbitrarie deseruisse sitam penes Ecclesiam parochialem residentiam plebanalem in Kulikow et in aula praedii Mohylanyensis fixisse residentiam, ibique per plures menses annorum 1884, 1885, magno cum parochianorum incommodo resedisse. Frequenter excurrit extra ambitum paroeciae; ita ut consuete sera nocte confessiones sacramentales tempore paschali excipere coactus fuerit a parochianis magno cum eorumdem incommodo.

De peculii ecclesiastici administratione agens Praesul ait: peculium hoc considerari potest vel quatenus pertinet ad dotationem ipsius beneficiati, vel pro fabrica Ecclesiae de-

stinatum est; in specie vero oblationes fidelium pro indigentiis Ecclesiae parochialis; vel denique oblationes pro diversis causis piis factas. In his omnibus administrandis bonis ita male se gessisse, ut civile Tribunal eum debuerit prosequi decreto decoctionis.

Quoad inhonestam parochi conversationem referunt testes pluries scandalum praebuisse, dum transeundo per Ecclesiam petulanter oculos in puellas iuveniles defigeret, facies et ubera ipsarum palparet. Mariam Skazowa uxorem viri cuiuspiam, Leopoli ordinarium domicilium habentis, in domo plebanali Kulikowiensi cum filiis continuo per plures annos commoratam esse ac per totum hocce tempus parochum Stanislaum Stoiatowski et dictam Mariam Skazowa suo sese gerendi et alloquendi modo, tantam ad invicem prae sese tulisse familiaritatem, ut per totam parochiam fama de inhonesta inter ipsum et memoratam mulierem conversatione divulgaretur, dictaque Maria Skazowa communiter qua concubina parochi Stoiatowski haberetur.

Eosdem testes etiam retulisse: quod recessa de domo plebanali Kulikowiensi Maria Skazowa, puellam Magdalenam filiam agricolae e Pnemiwotki, concubinae locum occupavisse, et qua talis non tantum in Kulikowiensi, sed et in vicinis parochiis haberetur. Dictam Magdalenam gravidam esse, antequam ad domum plebanalem recepta extiterit, singulari ex parte parochi Stoiatowski praeferentia verbis et factis per dictum parochum manifestata.

Mulierem hanc tres filios peperisse constare annis 1885, 86, 88 et quoad tertium probatum est per eosdem testes in lucem prodiisse in domo parochi, praesente et iuvante ipso solo parocho.

Grave de lascivia parochi Stoiatowski indicium praebet adductum per testes Stephanum Gotdak et Nicolaum Chudy factum, quo memoratus parochus audiendo in vicina parochia Kosciejoviensi, mense Septembris 1886, in coemeterio, Ecclesiam parochialem circumstante, tempore triduanorum exercitiorum spiritualium, in dicta parochia institutorum 9

sacramentales fidelium confessiones, in specie alicuius puellae iuvenilis a pago Pnemiwotki, extendisse manum suam, illamque ultro citroque super vestimento sub ala istius puellae movisse, ac perinde scandalum praesentibus et aliis etiam parochiae fidelibus praebuisse.

Agendo de inhonesta parochi Stoiatowski conversatione silentio praetermittere non possum, ait Praesul, illud notorium prorsus et per provinciales ephemerides publicatum factum, quod dictus parochus, detentus per Tribunalia saecularia, non erubuerit e carcere mittere scriptas propria manu litteras ad quampiam Hele nam Hempel liberam. Litterae hae incipientes a verbis: « Dilecta et cara Helena ! Interceptae per Tribunal saeculare tempore agitati contra ipsum processus criminalis in aula Tribunalis, ipso praesente publicabantur, ac per ephemerides cum scandalo laicorum et dedecore status clericalis divulgabantur.

Archiepiscopus commemorat violationem censurae suspensionis; contra parochum urget violationem debitae erga superiores obedientiae et reverentiae: demum recenset querelas a diversis personis provenientes de dicitis per ipsum ac non redditis pecuniis.

Cum Concilium Tridentinum *Sess. 24 cap. 6 De reform.* statuat quod « eos parochialium rectores qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant (Episcopi) et castigent, et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant: » in themate plane sequitur ex hac una turpis et scandalosae vitae ratione parochi Stojatowski, canonicum titulum haberi, eumque iustissimum quo hic parochus a paroeciae regimine removeatur. Quod si huic parochi vitio cetera etiam eius crimina iungantur, ac maxime publica infamia, quam ex universa sua agendi ratione, ex decoctione et ex passa demum incarcera tione nactus est, profecto liquebit, utilem ac proficuam amplius esse non posss eius sacerdotis operam in ea parochia. Unde

iterum locum esse parochi remotioni nemo dubitat, qui scit etiam ob *malae* plebis odium et ad scandala vitanda, licet vera ac moralis parochi culpa desit, sacerdotem e loco suo moveri posse, prout Reiffenstuel *tit. De r er. per mut. n. 39* Emus D' Annibale *Summ. tom. 3 p. 58 in nota* cum aliis communiter docent, innixi *cap. Quaesitum De re permut. § fin. et c. 10 tit. 9 De renunc.*

Quapropter si imputata crimina vera sint, in merito, dubitari non potest quominus iudicium de remotione et destitutione parochi iustum quoad substantiam sit et sustineatur. Nec dicatur quoad formam saltem impeti posse. Quandoquidem forma iudicii, sin minus in essentialibus, videtur servata; nam citatus fuit reus, eidem peremptorius terminus indictus, et, cum ipse nedum non comparuisset , sed , ne iudici sisteret, ex condicto effugisset, contumax declaratus est: nihilominus defensor ex officio ei datus fuit, testes plures ex officio electi, et unus, ab eomet defensore expeti-' tus, examini subiectus est ac tandem causa rite discussa, sententia prolata. Porro instructio S. C. EE', et RR. diei 11 Iunii 1880, *Quoad modum oeconomice procedendi in causis disciplinaribus criminalibus clericorum* haec docet sub *n. 10.* « Quum procedi oporteat criminaliter , sive infractionis praecepti, aut criminum communium , vel legum ecclesiae violationis causa, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus. » (1)

Quin in dubium revocetur sacerdotis Stojatowski contumacia. Respondet namque Schmalzgrueber *tit. XIV De contumace, n. 40,* contumaciam haberi « quando reus sese malitiose absentât aut procurat per se, vel per alium, ne citatio ad ipsum pervenire possit; nam qui dolo facit ut aliquid non habeat, quod eum habere oportet, pro eo habetur ac si acceperit. » Et citata S. C. EE. RR. instructio addit *n. 24:* Si (reus) in iudicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus eique si-

ti) Adest Instructio haec Vol. XIII, 324.

gnificatur quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax, et pro tali in facto aestimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento istam quoque posthaberet intimationem. » Atqui in themate habemus, quod lato inquisitionis instituendae decreto, dies 23 Augusti 1888 parocho ad comparendum indicebatur: verum ea die commissario iudici, qui Kulikowiam in parochi domum se contulerat, parochus declarabat, se ad nullam interrogationem responso-^ rum. Iterum die 4 Septembris, ut ultimo peremptorio termino eidem parocho assignato, ipse ipsas vadatorias litteras recipere abnuit. Ergo de contumacia parochi Stojatowski haud dubitari posse videtur.

Porro in his adiunctis et cum de parochi contumacia constet, rege rere non iuvat, litem contestatam non fuisse, accusationes non communicatas, aliaque nonnulla omissa. Etenim Glossa in *cap. 14 de accus,* docet: « Si vero infamatio contumax fuerit, et non comparet, iudex nihilominus contra eum testes accipiat, etiam lite non contestata, et eum puniat. » Et Schmalzgrueber *I. c. n. 57* addit: « Quando adversus criminosum per viam inquisitionis , ex mero et puro officio iudicis, praecedente publica diffamatione, proceditur; nec libellus afferi, nec litis contestatio fieri debet: sed statim si citatus contumax fuerit, receptis testibus sententia condemnatoria ferri debet. »

Gravius forte est, appellationes ad S. Sedem saepius a parocho factas, dilationes iudicii ab eodem expetitas , exceptionesque declinatorias fori semel atque iterum propositas, spretas ac posthabitas a Curia semper fuisse.

Verum ad Curiae excusationem attendendum est quale ageretur iudicium: de parocho enim turpiter et scandalose vivente res erat, et processus hac ipsa de causa expeditiori seu summario modo fieri oportebat ceu habet *Clement. Dispendiosam 2 De iudic,* et cit S. C. EE. et RR. instructio. Porro in his conditionibus *Clement. Quia contingit* imperat « ut iudex, cui talem causam committimus.... litem quantum poterit faciat breviorem, exceptiones, appellationes

dilatorias et frustatorias repellendo. » Idem eruitur ex *cit. sup. Tridentini cap.* verbis « exemptione et appellatione quacumque remota. »

Unde tandem, iuxta hactenus exposita, nedum quoad substantiam, sed etiam quoad formam Leopoliensis sententia subsistere videtur.

DEFENSIO PAROCHI. At ex altera parte quoad suspensionem in mentem revocare expedit, suspensionem irrogari posse aut qua censuram ad frangendam contumaciam , aut qua poenam. Et qua poena ferri censetur quoties irrogetur in delictum omnino praeteritum, idest quod nullum (ceu dicunt) habet tractum successivum, aut etiam quoties feratur in perpetuum, vel in diem, vel ad beneplacitum irrogantis, vel nulla comminatione praemissa. Berardi *I. 4 dis. 3 ad tit. De sent. excom. etc.* Engel *eod. tit. n. 2,* S. Alphonsus *lib. 7 n. 52 tit. mor.* cum communi. Affe vero si ad examen revocetur latum in themate suspensionis decretum, plane liquet huiusmodi suspensionem irrogatam esse, ex parte, ob crimina omnino praeterita, nempe propter quandam irreverentem epistolam die 16 Maii Archiepiscopo directam, et propter aes alienum temerarie conctractum et subsequam parochi decoctionem; ex parte vero, ob delicta quae tractum successivum quidem habent - ut est renuentia restituendi lapidem Mathiae Sabotha, et forte etiam obsequentiae defectus in die S. Visitationis -, attamen non proprie ad frangendam contumaciam et ad inobedientiam corrigendam ; sed potius in vindictam; et quod magis est, ad beneplacitum irrogantis - *donec aliud disposuerimus:* - ergo uno verbo potius ratione poenae quam ratione censurae.

Et quod ita revera sit ex subsequis etiam firmatur; nam cum parochus, huius sententiae terrore ictus, ad Archipraesulem iterum, tum coram, tum litteris, venisset, veniam petiisset et inter alia spopondisset, lapidem Mathiae Sobotha se esse restituturum, hic preces respuit.

Quin dicatur, quidquid demum sit de hoc suspensionis decreto die 24 Maii 1888 lato, in vim alterius decreti ve-

ram suspensionis censuram eumdem sacerdotem iamdiu incurrisse. Fatetur namque Ordinarius, se rescripto diei 24 Novembris 1887 eidem parocho restitutionem lapidis iniunxisse sub poena suspensionis, nisi intra 30 dies pareret : terminum effluxisse: at illum non cessisse ; ideoque iam tum suspensum mansisse. Cui idem parochus respondet : « Rescriptum hoc non recepi, unde spatium 30 dierum hucusque non effluxit. » Ita ille : et quanti haec assertio sit facienda EE. PP. aestimabunt. Interim tamen animadversum fuit, ipsam agendi rationem archiepiscopalis Curiae dubium aliquod circa controversum rescriptum diei 24 Novembris 1887 utique ingerere: siquidem si latum et indictum reapse parocho fuisset huiusmodi rescriptum, mirum atque abnorme appareret, quod Curia, lapsis 30 diebus fatalibus , nullius rei sategerit, parochum non vocaverit, non monuerit , a missae celebratione non impedi veri t et cum eo passim communicaverit; sed praeterea inexplicabile prorsus fieret novum suspensionis decretum diei 24 Maii latum ab eomet Vicario generali, qui quidem constito de contumacia parochi non eumdem suspendere, sed suspensione iamdiu irretitum, imo et irregulärem ob suspensionis violationem declarare potius debuisset.

Omittendum tamen haud est quod si parocho Stojatowski rescriptum diei 24 Septembris 1887 indictum non sit, iam novo argumento confirmari videretur, quod suspensio eidem parocho inflicta, magis rationem poenae quam censurae habeat. Siquidem censura sine praemissa comminatione *ab homine* ferri non potest; Suarez *De leg. lib. 4 cap. 5 n. 6* cum communi.

Atqui si suspensio in casu nostro poena fuit, non censura, eius violatio irregularitatem non peperit, ceu vulgatum est apud omnes, ac refert S. Alphonsus *th. mor. lib. 7 n. 314, 317;* Emus D' Annibale *Comm. in Const. Apost. Sedis n. 16,* sed dumtaxat peccatum, propter inobedientiam et praecepti violationem.

Verum huc quaestione perducta, iam quaeri legitime pot-

•est, utrum quantique sit facienda haec inobedientia. Emus D' Annibale in *Summ. tom. i tit. 2 De cens.* § *387* tradit quod « qui suspensum a divinis inducit ad celebrandum, cum graviter peccare *contra claves et obedientiam ecclesiae* docet vel ipse Suaresius: nisi forte omnis contemptus, scandalum et admiratio absint et gravis necessitas urgeat. » Porro pensentur oportet adiuncta in quibus parochus Stojatowski missam litavit: dies erat solemnis B. M. V. sacra, plures, 300 iuxta parochum, 30 aut 40 iuxta curiam , divinis misteriis adsistere, nonnulli insuper sacris sacramentis refici cupiebant, expectabant, nullus aderat sacerdos, murmur in ecclesia movebatur: « dictamine itaque conscientiae, quod *lex divina maior sit lege humana* formato » parochus, ceu ipse habet, ad celebrandum accessit.

Hinc si retineatur suspensionem in themate poenam fuisse, non censuram, necessario sequitur, irregularitatem quae contra parochum urgetur reapse non dari, et ideo corrigi debere sententia in ea parte in qua exigit, ut idem parochus de hac irregularitate absolutionem impetret ac reportet. - Secundo, si violatio censurae et sacramentorum ministratio a parocho facta in die assumptionis B. M. V., ob peculiaria adiuncta de quibus supra grave crimen non censeatur, iam inter causas sive motivas sive impulsivas ad paroeciae privationem connumerari non potest.

Missa quaestione de suspensionis violatione, duae adhuc sunt potissimum accusationes quae contra parochum moventur , nempe de aerumnosa ac perversa negotiorum administratione et subsequa infamia et incarceratione, et de Incontinentia.

Quoad 1. ad parochi excusationem satis sit recolere quod cum in pluribus accusatus fuerit in processu civili, tamen convictus fuit tantum de temeritate in debitis contrahendis.

Quae cum ita sint, imputatio ex hoc capite parocho Stojatowski facta imminuenda videtur, et magna ex parte e processu canonico eliminanda, sicut in civili ordine factum

est, eo vel magis etiam quod beneficium parochiale Kulikowiense pingue valde sit et ad huic aeri alieno 20 millium florenorum satisfaciendum capax ultro dicatur.

Post haec gradum faciendo ad aliam inter omnes gravissimam imputationem, incontinentiae scilicet, inventum est, hunc hominem qui tot ac tantis accusationibus obruitur e societate Iesu iam sacerdotem et 32 annos natum, exiisse hoc bono testimonio.

Invenitur idem sacerdos e societate Iesu anno 1875 egressus, extemplo atque indesinenter in promovendo honore Dei et animarum salute curanda toto studio se dedisse. Exemplo sint ephemerides ab eo per plures annos redactae, ut populum religione ac pietate imbuere!, et libelli plures « devotionales ab eo editi. Exemplo etiam sint tot peregrinationes ab eodem promotae, ipsaque assidua participatio ad eucharisticus quos vocant congressus in Gallus, ceu defensor ex officio meminit. Quin imo plura quae criminis ac culpae parocho vertantur, sunt potius argumentum religionis et zeli eiusdem Sacerdotis.

Iamvero quomodo haec pietas, huiusmodi zelus consistere possit cum obscoena vita, cuius parochus Stojatowski accusatur, difficile cogitatu est: siquidem sacerdotem, optimo beneficio provisum et in turpitudinum coeno immersum, dum opibus et vitiis frui pacifice potest, laboribus potius pro gloria Dei et animarum salute diu noctuque vacare, naturale non est fermeque repugnat.

Et repugnantia crescit, si haec omnia contraponantur cum iis gravissimis criminibus quorum arcessitum, obscoena confidentia cum quibuslibet feminis ac puellis, adultera damnataque conversatione primum cum Maria Skazowa, dein cum famula sua Magdalena, tantaque demum abiectionis miseria ut suae concubinae partus ipse suis manibus levaret: et maxime crescit, si consideretur non deesse in ea paroecia fideles, qui dum tot ac tanta in parochi caput cumulantur, interim tamen ipsi libellos in parochi favorem ad Archiepiscopum conscribant.

Praesumptio itaque aliqua non aspernabilis habetur, quod criminationes in ordine morum contra parochum motae invidorum et malevolorum sint. Non desunt sane exempla et documenta quibus monstretur, quam saepe ac temere obiectiones huius generis contra parochos moveantur.

Inde est quod iuxta *can. 2 q. 7* « laicus contra clericum in causa criminali regulariter ferre testimonium prohibetur; nam laicos oppido clericis esse infestos ipsa tradit antiquitas » ceu Reiffenstuel ad tit. *Be test. n. 160* habet.

At vero ex huiusmodi genere fertur fuisse homines, quos iudex ad testificandum contra parochum SfojatowsM vadatus est. Siquidem defensor ex officio haec habet: « Supra enumeravi quomodo sodales dissolutae confraternitatis, factione sibi acquisita, parocho insidias struere coeperint, omnesque instantias suis querelis impleverint. In omnibus istis querelis et accusationibus fere iidem homines subsignati inveniuntur, quorum plures ad confraternitatem suppressam pertinebant, imo superiores in ipsa erant. »

Nec regerere iuvat, hos homines honestos ac fide dignos a Decano renuncian; nam licet huiusmodi essent, nihilominus utpote inimici a iure excluduntur. Insuper decanus is est qui adsessor iudex electus ab Archiepiscopo fuerat, et contra quem tamqum sibi prorsus adversum parochus Stojatowski exceperat. Quapropter eius auctoritas ex duplici titulo hac in re labefit.

Post haec animadversum fuit, testes quoad accusationes parochi turpitudinum, ut plurimum de relato loqui, neminem vero de visu ac directe deponere nisi quoad aliquas minores circumstantias, idest quoad familiaritatem, nimiam forte ac imprudentem parochi sive cum famula sua sive cum aliis mulieribus. At vero familiaris iste usus, non una ratione explicari potest. Exemplo sit quod evenit cum Maria Skazowa. Haec filia erat cuiusdam Vogel, qui Stanislaum e societate Iesu egredientem, et domicilio carentem domi suae excepit. Vogel mortuo, Stanislaus, sicut adpromiserat, in suam tutelam iuvenem Mariam excepit, usquedum cuidam.

Tiro nomine Skaza, nupsit. At sicut prius sic et post matrimonium, ceu naturale erat, Stanislaus non destitit benevolentia et protectione sua eandem mulierem prosequi. Porro invidis ac malevolis, quos huiusmodi circumstantiae latebant, amicitia parochi cum Maria turpis ac suspecta videri poterat. Atqui verosimile haud est quod sacerdotem, uxoris assentatorem ac maritalis secreti corruptorem, maritus aequo animo tolleret, ame t atque aestimet. Quapropter quae de adultero ac sacrilego parochi commercio cum Maria Skazowa proferuntur, tuta nullatenus videntur. Forsan eadem ratione accipi debent, quae de inhonesta parochi conversatione cum famula Magdalena proferuntur.

De cetero animadversum fuit singulare prorsus videri, unam aliamque mulierem, Mariam nempe et Magdalenam, quae turpium cum parocho insimulantur, in iudicium non esse vocatas, ac pariter eorum parentes et amicos, qui harum rerum apprime conscii esse debebant et cum causae cognitione loqui, fuisse prorsus praetermissos. Et interim eas mulieres, licet inauditas, licet non contumaces una simul tamen cum parocho damnari.

Haec quae hucusque exposita sunt, iudicii substantiam et imputatorum criminum veritatem directe respiciunt, non ita tamen ut et formam processus aliquatenus saltem non attingant. Quae enim de electione quorumdam testium et aliorum exclusione dicta sunt, sicut quae de mulierum criminatarum earumque consanguineorum et amicorum praeteritione, aliaque similia observata hucusque fuerunt, processus formam praeter iudicii substantiam utique arguunt. At vel alia nec forte minora contra processus formam proferri posse videntur.

Parochus Stojatowski conquerebat curiam sibi haud propitiam esse, ac maxime sibi infensum esse Decanum, ideoque exceptionem declinatoriam fori, aut saltem decani exclusivam proponebat. Quod huiusmodi porro exceptiones futiles ac temerariae non essent, ipse per testes ac documenta plene probare posse asseverabat.

Denique ceteris missis, aliud indicium de archiepiscopalis Curia aemulatione ac praeconcepto contra parochum Stojatowski animo, in eo inveniri parochus censet, quod cum post suspensionem suam publice in ecclesia nunciatam, licentiam peteret discedendi et extra paroeciam aliquandiu morandi, huiusmodi licentia nedum denegata ei fuit, sed residentia iniuncta.

Absit porro haec aliaque , de quibus parochus conqueritur, ex adverso unice animo a Curia eiusque officialibus esse patrata: ad id enim faciendum iustis de causis moti utique esse potuerunt. Verumtamen negari non potest quod in his adiunctis Curiae vel quorumdam eius officialium animus suspectus parocho videri poterat et ideo merito exceptionem declinatoriam fori proponere. « Propter inimicitias enim quas iudex gerit erga reum » exceptionem contra personam iudicis posse proponi ac postulari ut alius ad id muneris delegetur, aut sin minus ut superius tribunal de hac exceptione iudicet, ex *tit. De excepi,* et ex DD. apud Reiffenstuel ad *4. tit. n. 9 seqq.* plane consequitur. Iure enim naturae receptum est neminem ab adversario iudicari debere. Cum itaque Leopoliensis Curia huiusmodi exceptionem spreverat formam processus violavisse videtur.

Accedit et aliud. Articulus 43 Instr. S. C. EE. et RR. haec iubet: « Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio ob crimina communia subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis_____1. donec iudicium pendeat aut accusatus detentus sit, prudens est, quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria; 2. expleto tamen iudicio et libero reddito accusato, Curia iuxta exitum informationum procedet ad tramitem dispositionum praesentis instructionis.» Quae sanctio iustissima est, ne scilicet sacerdos civilibus causis distentus, modo ac tempore careat sese utiliter in foro ecclesiastico defendendi. At Leopoliensis Curia huic praescripto minime adhaesisse videtur, ceu patet ex facti specie; imo pendente primo instantiae iudicio, inquisitionem in ecclesiastico foro instituit et ad exitum perduxit.

Imo cum praecedentibus annis, ad accusationes sive decani sive aliorum suorum inimicorum subvertendas, parochus Stojatowski non semel petiisset ut de sua agendi ratione formale iudicium institueretur, et tunc temporis numquam fuisset exauditus: sollicitudo ac festinatio archiepiscopalis Curiae ad instituendum et ad exitum perducendum iudicium eo praesertim tempore, quo supersedere nedum canones sed ipsa humilis ac instans rei conventi petitio consulebant, eo gravior videtur. Parochus enim Stojatowski, ceu in specie facti collegi, petierat ecclesiasticum iudicium ad tres vel sex menses prorogari, intra quod tempus suam causam in saeculari foro explendam esse sperabat. Porro exceptio dilatoria iudicii, utpote in iure fundata et aequitati conformis, facili de causa praetermitti forte non poterat.

Praeterea idem parochus, sive verbis, sive litteris coram iudice commissario ipsoque Ordinario saepenumero ad S. Sedem remitti petierat: potissimum vero contra interloquutoria decreta, quibus exceptiones declinatoriae fori et dilatoriae iudicii reiiciebantur, appellaverat et apostolos quaesierat: ac demum in carceribus iam detrusus acto quidem ecclesiastico processu, sed nondum lata sententia, ad SSmum confugerat.

Porro respectus apostolicae Sedi debitus exigere videbatur, ut inferior iudex paulum supersederet, ac permitteret ut reus suarum exceptionum causam penes superius tribunal ageret. Siquidem ipsum Tridentinum Concilium in *cap. 20, Sess. 24,* licet vetus amplissimum appellandi ius paululum coarctaverit, ac praescripserit ut « in causis visitationis et correctionis sive habilitatis et inhabilitatis nec non in criminalibus____ante sententiam definitivam ab interloquutoria vel alio quocumque gravamine non appelletur > attamen signanter adiunxit, « nisi gravamen huiusmodi per definitivam sententiam reparari.... non possit. »

Nec regerere iuvat in scandalosi parochi remotione Episcopum iuxta idem Tridentinum procedere valere « appellatione quacumque remota. » Nam ex *cap. Pastoralis 53 De*

appell, scimus vi clausulae « appellatione remota » prohibitam solummodo censeri omnem appellationem quae a iure expresse concessa non reperiatur.

Regula, qua non vulgatior alia, est, neminem posse expolian benefìcio, nisi ob crimen expressum in iure et servato ordine iuris. Et quando agitur de poena irroganda, « condemnatum accipere debemus, ceu habet *14 De re iudic.* , eum qui *rite* condemnatus est, ut sententia valeat. » Secus sententia in foro fori non intelligitur , Engel *lib. 5 tit. 32 n. 9.* Paucis, cum Ferraris *v. iudic. n. 21* concludam: « Sententia prolata in iudicio ordinario, non servatis solemnitatibus a iure praescriptis et requisitis, est nulla : valida autem est sententia prolata in iudicio summario, quamvis non servatis plerisque solemnitatibus a iure positivo requisitis, *si sint observatae illae, quae iure 'naturali aut gentium ad legitimam causae decisionem sunt necessariae.* » Quod si hae non serventur nulla profecto erit etiam in hoc casu sententia.

Quibus adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Leopoliensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, praevia gravi discussione sub die 23 Maii 1889 respondere censuit: *Sententiam esse confirmandam, et dentur Ordinario facultates, ut pro suo arbitrio et conscientia sacerdotem Stanislaum Stojatowski absolvat a censuris, ob praemissa incursis et dispenset ab irregularitatibus, ob censurarum violationem contractis.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Suspensionem, qua censura ad frangendam contumaciam, omnino ferri iuridice posse, praeviis monitionibus.

II. Ordinarios paroecia privare posse rectores turpiter et scandalose viventes ex Tridentino patet sess. 21 cap. 6 dd ref.; hi enim prae moneri debent, coarctari et castigan ; et

si in sua nequitia perseverent beneficiis privandi sunt, omni exemptione et appellatione remota.

III. Parochum in themate scandalosam vitam duxisse per plures testes probatum est ; et ideo eius remotionem omnino necessariam censeri.

IV. Ad eiusmodi remotionem satis esse servare formam iudicii in substantialibus iustitiae, quando aliter fieri nequeat; quia bonum animarum id enixe exposcere videtur, ne scandala protrahantur.

V. Ex iure constat puniri posse infamatum contumacem qui malitiose se absentat, aut procurat ne citatio ad eum pervenire possit.

VI. Etenim iterata reo indictione pro termino peremptorio; quatenus absque probato legitimo impedimento non compareat, pro contumaci habetur, et ferri potest sententia condemnatoria in eum absque litis contestatione.

VII. Quando agitur de parocho turpiter et scandalose vivente, summario modo procedi potest ex Clementina *Quia contigit: iudex* dicitur, *litem quantum poterit faciat breviorem exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo.*

SENOGALLIEN.

RETENTIONIS CAPELLANIAE

***Die** 3 **Maii** 1890.*

Per Summaria precum.

COMPENDIUM PACTI. In ecclesia s. Crucis civitatis Senogalliae capellanía adest de patronatu familiae Mastai-Cignani, cuius reditus, proventus, partim ex rustico, partim ex urbano praedio, conscendere dicitur ad 1284 libellas; a quo tamen, deductis oneribus et expensis, supputatis in libellis 752, purgata summa 500 circiter libellarum in beneficiati usum residua manet.

Huius capellaniae possessionem anno 1856 nactus regu-

lariter est quidam Felix Reggiani, clericus, collegii Urbinatensis alumnus. At cum hic paulo post ecclesiasticae militiae nuncium mittere, et ad secularia vota transire proposuisset, petiit ut fas sibi esset eamdem capellaniam in statu laicali possidere : idque primum obtinuit rescripto diei 16 Septembris 1861 ex audientia SSmi concesso , per decennium et cum onere satisfaciendi per alium capellaniae obligationibus, et docendi super his Episcopum.

Huiusmodi gratia die 23 Iulii 1877 ex audientia SSmi denuo per alium decennium prorogata est, imo et ampliata: nam nedum in laicali sed et in coniugali statu licentia capellaniae retinendae oratori concessa est, atque insuper indulta missarum reductio. Cum enim tum usque 124 libellae expenderentur ob missarum stipendia ad ratam libellae 0,75- pro singulis, permissum est ut numerus missarum adeo reduceretur ut eleemosynae ad unam libellam pertingerent.

Hoc etiam secundo decennio elapso, die 13 Ianuarii 1888- iterum supplex adstitit Felix Reggiani, novamque indulti prorogationem exoravit; imo petiit ut ad vitam usque id protraheretur. Addebat autem, se in praesentiarum uxore viduatum iam esse.

De more Episcopus et interesse habentes interrogati sunt. Et Episcopus quidem oratorem, utpote pium ac religiosum virum, qui capellaniae oneribus exacte hucusque satisfecit,. apprime commendavit; at ex interesse habentibus non una eademque fuit sententia. Siquidem, cum iuris huius patronatus *semissis* ad comitissam Annam Mas tai-Augusti, *triens* ad comitissam Christinam Mastai-Bellegarde, *sewtans* ad quatuor filios defuncti Herculis Mastai spectet, - comitissae Anna et Christina oratoris precibus assentiri, dummodo ad decennium gratia concederetur, Episcopo professae sunt. At ex filiis Herculis Mastai duo consensum praebere non posse declararunt; Hieronymus vero nomine etiam alterius sororis Mariae Piae Episcopo significavit, se ad S. C. C directe responsurum; sed revera nec ad S. C. C. unquam, nec ad Episcopum, licet per litteras iterum iterumque rogatus, am-

plius quidquam respondit. Refert autem Ordinarius: « Hodie ex littera oratoris Reggiani.... constat comitissam praedictam, Mariam Piam, uti dementem reclusam fuisse in quodam mulierum conservatorio, et comitem Hieronymum non adhuc respondisse, nec respondere velle, quia sibi ratum fixumque est capellaniam, de qua in precibus, a fisco emancipare vi legis vigentis. »

Cum enim Felix Reggiani hoc beneficio fuerit prout de iure investitus, et coram lege civili nunc vigente a iure fruendi capellanía adhuc non exciderit, etsi habitu et tonsura non incedat; huic capellaniae sors sarta tectaque hucusque mansit ex ipsa lege civili.

Quidquid sit, Episcopi votum est « oratoris precibus esse annuendum, praevia sanatione super redituum perceptione a die expirati postremi indulti, non obstante defuncti Herculis Mastai filiorum dissensu. Cum enim consensus habeatur comitissarum Annae et Christinae, quibus quinque partes (10/12) dotis capellaniae competunt, non videtur obstare dissensus eorum, qui solum sextantem (2/12) habent. »

Disceptatio Synoptica.

Ex Officio animadversum fuit, gratiae concessioni obstare in primis communem Ecclesiae legem, quae iubet beneficia et capellanías non laicis sed clericis tribui et servari; et obstare etiam dissensum filiorum comitis Herculis Mastai, qui sextantem iuris patronatus habent, ideoque voto in capellaniae provisione gaudent; imo ne ad vitam usque oratoris capellaniae retentio concedatur, obstat et ceterorum patronorum voluntas; quippe quoniam duae comitissae Anna et Christina professae sunt, se ad decennium dumtaxat capellaniae rétention! assentiri.

Verum ex altera parte habetur quod huiusmodi indultum iterum iterumque, etiam in difficilioris status coniugali conditione, concessum est. Ideoque in statu minus improprio, viduitatis, maior facilitas minorque repugnantia concessioni seu prorogationi videtur.

Imo in praesentiarum ad assentiendum peculiarissima circumstantia concurrit, nempe ut capellaniae sors a divisione, dispersione et confiscatione salvetur, aut saltem eius excidium differatur. Nec refert de dissensi! patronorum. Siquidem in primis S. Sedes licentia patronorum non indiget ut clerico, beneficio aliquo investito, veniam exuendi ecclesiasticas vestes largiatur, eique permittat, ut in laicali statu idem beneficium ob peculiares causas retineat: et non est nisi ex congruentia si illos hac super re interroget et audiat. Praeterea cum ex patronis unus saltem iniqua intentione dissentiat, ideo scilicet ut occupandorum et usurpandorum bonorum libera sibi pateat provincia ; hinc eo minus de eius dissensi! satagendum est: quin imo piaculum ferme videretur criminosis eius cupiditatibus ac tristi ingluviei obicem non opponere, et ex negata gratiae prorogatione faciliorem sternere viam.

Quibus animadversis quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 10 Martii 1890, censuit respondere: *Praevia sanatione quoad praeteritum, pro gratia ad aliud decennium, facto verbo cum SSmo.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

De status libertate ante nuptias probanda. Instructio ad Orientales locorum Ordinarios.

Ut sua christifidelium nuptiis stet unitas, utque in iis contrahendis nullitas vitetur, Suprema Congregatio Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisiturum, auctorante SSmo D. N. Leone XIII, sequentem Instructionem exarandam et cum Episcopis Orientalibus communicandam mandavit, quae inter difficultates, quibus undique premuntur, magno illis usui et adiumento foret ad probandam status libertatem eorum, qui matrimonio iungi desiderant.

1. Status libertas triplici via detegi et iuridice probari potest; I° publicationibus in Ecclesia faciendis; 2° documentis; 3° examine testium.

2. Publicationes faciendae sunt in loco domicilii, vel quasi domicilii. Expedit etiam, ut fiant in loco originis, si contrahentes ibidem morati fuerint post adeptam aetatem ad matrimonium contrahendum idoneam; atque insuper in locis ubi saltem per decem menses commorati fuerint, nisi iam a pluribus annis domicilium fixerint in loco, ubi matrimonium contrahendum est.

3. Testium examini si in civitate episcopali fiat, praesit Vicarius generalis, si in aliis locis Dioecesis, parochus. Interrogationes vero, et responsiones scripto diligenter mandentur, praemisso singulorum testium iuramento de veritate dicenda.

4. Ad testimonium ferendum in hac materia etiam feminae possunt admitti, et recipiuntur magis consanguinei, nempe parentes, fratres, sorores etc., quam externi, quia praesumuntur melius informati; et cives magis quam exteri.

5. Fides, aliaque documenta quae a partibus, vel de partibus producuntur munita sint sigillo non parochi tantum, sed potissimum Ordinarii illius Dioecesis, unde manarunt. Semper autem attente providendum erit, ut fides, seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

6. Si post probatam status libertatem duo, aut tres menses transierint, quin matrimonium fuerit celebratum, regulariter novus processus pro hoc temporis spatio fieri deberet; ast pro casuum varietate res relinquitur prudenti arbitrio Ordinariorum.

7. Si quis ex contrahentibus fuerit in articulo mortis, intra quem probabiliter tempus non suppetat instituendi diligentias necessarias, processus praescriptus poterit omitti, ita tamen, ut si infirmus convaluerit, debeant fieri diligentiae, seu processus antequam simul conveniant.

8. Si contrahentes sint vagi non concedatur licentia contrahendi, nisi doceant per documenta Ordinariorum suorum se esse liberos; quod si fides singulorum Ordinariorum, in quorum Dioecesibus per aliquod temporis spatium, annum non excedens, commorati sunt, haberi non possit, Ordinarius loci, in quo matrimonium est contrahendum, eos ad iuramentum

suppletorium admittere poterit, pro illis tantum locis,ex quibus fides authentica haberi non poterit. Insistendum tamen erit semper ut contrahentes inducant testes fide dignos in respectivis locis examinandos. Si tamen id difficulter admodum fieri possit, admitti poterunt in Curia loci ubi contrahitur matrimonium, testes fide digni, qui status libertatem tempore vagationis concludenter probent ; et si Ordinario opportunum videatur, admitti etiam poterit sponsus ad iuramentum suppletorium, constito tamen sibi ipsum esse fide dignum.

9. Quod si dubium circa status libertatem contrahentium oriatur vel ex matrimonio, catholico modo, a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis aut schismaticis iuxta diversarum sectarum statuta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; aut ex contracto inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus declaratus fuerit, standum Instructioni huius Supremae Congregationis Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis datae die 20 Septembris 1883 art. 4. (1)

10. Testis examinandus moneatur de gravitate iuramenti in hoc negotio ferendi, ac deinde interrogetur de nomine, cognomine, patre, patria, aetate, conditione, et habitatione: tum an sit civis vel exteras; et quatenus exteras, a quo tempore sit in loco, in quo deponit. An ad examen accesserit sponte vel requisitus. Si dicat se accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax; si requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes. An sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine. An cognoscat contrahere volentes, ipsorum indolem, mores, conditionem, et a quo tempore, in quo loco, qua occasione. Si responderit negative, testis dimittatur, si vero affirmative, interrogetur, an iidem sint cives, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi , donec per litteras Ordinarii ipsorum doceatur de eorum libero statu, pro eo tempore quo in eius Dioecesi morati sunt.

11. Ad probandum vero eorumdem statum liberum pro tempore reliquo, scilicet usque ad tempus, quo volunt con-

ti) Adest Instructio haec Vol. XVIII, 344.

trahere, admitti poterunt testes idonei, qui si concludenter probent rationem reddendo propriae scientiae, necesse non erit deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contracturi moram duxerint. Si vero responderint eos esse cives, interrogentur sub qua Parochia hactenus habitaverint vel habitent, an sciant alterutrum vel utrumque quandoque matrimonio copulat um fuisse, aut professum in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus, cui adnexa sit lex caelibatus, vel alio impedimento matrimonium dirimente esse obstrictam. Si ad haec negative responderint, interrogentur de causa scientiae, et an sit saltem possibile ut alteruter habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, quod ab ipsis testibus ignoretur. Si responderint affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus contrarium concludenter probetur. Si vero responderint negative, interrogentur de causa scientiae, ex qua deinde colligere poterit, an huiusmodi testibus fides sit adhibenda. Si responderint, nupturientes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos, interrogentur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo et unde sciant eos fuisse coniunctos et respectivam eorum uxorem vel maritum esse mortuos. Si respondeant mortuos esse in aliquo hospitali, vel se vidisse eos sepeliri in aliqua certa ecclesia, aut coemeterio, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae aut coemeterii, in quo humata fuerunt eorum cadavera. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, non excluduntur aliae probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes. Interrogentur insuper, an post mortem alterutrius coniugis ad secunda vota transierint; et quatenus negative, an fieri potuerit, ut aliquis ex illis transierit ad secunda vota, quae ab ipsis testibus ignorentur; et quatenus affirmative supersedeatur a licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero negative, interrogentur de causa scientiae, qua perpensa, iudex poterit iudicare an sit concedenda licentia, necne.

Datum Romae die 29 augusti an. D. 1890.

R. Card. MONACO.

LETTERA Enciclica del Papa Leone XIII ai Vescovi, al Clero e al Popolo d'Italia.

Dall' alto dell' Apostolico seggio, dove la Provvidenza divina Ci ha collocato per vegliare alla salvezza eli tutti i popoli, il Nostro sguardo sovente si posa sopra l'Italia, nel cui seno Iddio per atto di singolare predilezione ha posto la sede del suo Vicario, e dalla quale peraltro Ci vengono al presente molteplici e sensibilissime amarezze. — Non ci contristano le personali offese, non le privazioni e i sacrifìci impostici dall'attuale condizione di cose, non le ingiurie e i dileggi, che una stampa procace ha piena balìa di lanciare ogni giorno contro di Noi. Se si trattasse solo della Nostra persona, se non fosse la rovina alla quale vediamo andare incontro l'Italia minacciata nella sua fede, porteremmo in silenzio le offese, lieti di ripetere anche Noi ciò che diceva di sè uno dei più illustri Nostri Predecessori: *Si terrae meae captwitas per quotidiana momenta non excrescere^ de despectione mea, atque irrisione laetus tacerem* (1). — Ma oltreché dell' indipendenza e dignità della Santa Sede, trattasi della stessa religione e della salute di tutta una nazione, e di tal nazione, che fin dai primi tempi aprì il seno alla fede cattolica e conservolla in ogni tempo gelosamente. Sembra incredibile, ma è pur vero: siam giunti a tanto da dover temere per questa nostra Italia la perdita della fede. — Più volte abbiam dato 1' allarme perchè si avvisasse al pericolo: ma non per questo crediamo di aver fatto abbastanza. Di fronte ai continuati e ognor più fieri assalti, sentiamo più potente la voce del dovere, che ci sprona a parlare di nuovo a Voi, Venerabili Fratelli, al vostro Clero e al popolo Italiano. Come non fa tregua il nemico, così non conviene rimanere silenziosi od inerti nè a Noi né a Voi, che per divina mercè fummo costituiti custodi e vindici della religione dei popoli alle nostre cure affidati, Pastori e scolte vigili del gregge di Cristo, pel quale dobbiamo esser pronti, so fi a duopo, a tutto sacrificare, anche la vita.

Non diremo cose nuove, perchè i fatti, quali accaddero, non si mutano: e di essi abbiamo dovuto parlare altre volte, secondo che Ce ne venne il destro. — Ma qui intendiamo ri-

ti) S. Gregor. M. *Lettera all'Imperatore Maurizio. Begist.* 5-

capitolarli in certa guisa e aggrupparli come in un sol quadro, per ricavarne a comune ammaestramento le conseguenze che ne derivano. Sono fatti incontestabili, accaduti alla gran luce del giorno: non isolati ma connessi fra loro per forma che nella loro serie rilevano con piena evidenza un sistema, di cui sono T attuazione e lo sviluppo. Il sistema non è nuovo; ma è nuova T audacia, l'accanimento, la rapidità con cui si va ora attuando. È il piano delle sètte, che si svolge ora in Italia, specialmente nella parte che tocca la Chiesa e la religione cattolica; collo scopo finale e notorio di ridurla, se fosse possibile, al niente. — Ora è superfluo fare il processo alle sètte che diconsi massoniche: il giudizio è già fatto; i fini, i mezzi, le dottrine, l'azione, tutto è conosciuto con certezza indiscutibile. Invasate dallo spirito di Satana, di cui sono strumento, ardono, come il loro ispiratore, di un odio mortale ed implacabile contro Gesù Cristo e l'opera sua: e fanno ogni lor potere d'abbatterla od incepparla. Questa guerra al presente si combatte più che altrove in Italia, dove la religione cattolica ha gittate più profonde radici, e soprattutto in Roma, dove è il centro della cattolica unità e la Sede del Pastore e" Maestro universale della Chiesa.

Giova riprendere fin dalle prime le diverse fasi di questa guerra.—Si cominciò col rovesciare sotto colore politico il principato civile dei Papi: ma la caduta di esso nelle intenzioni segrete dei veri capi, apertamente poi dichiarate, doveva servire a distruggere, o almeno tenere in servitù, il supremo potere spirituale dei Romani Pontefici.— E perchè non rimanesse alcun dubbio sullo scopo vero a cui si mirava, venne subito la soppressione degli Ordini religiosi, che assottigliò di molto il numero degli operai evangelici per il sacro ministero e per l'assistenza religiosa, come pure per la propagazione della fede tra gl'infedeli. — Più tardi si volle esteso anche ai chierici T obbligo del servizio militare, colla necessaria conseguenza di ostacoli gravi e molteplici, frapposti alla recluta e alla conveniente formazione anche del Clero secolare. Si misero le mani sul patrimonio ecclesiastico, parte confiscandolo assolutamente, e parte caricandolo delle più enormi gravezze, a fine d'impoverire il Clero e la Chiesa, e privar questa dei mezzi di cui abbisogna quaggiù per vivere e promuovere istituzioni ed opere in aiuto del suo divino apostolato. Lo hanno apertamente

dichiarato gli stessi settari. *Per diminuire V influenza del clero e delle associazioni clericali, un solo mezzo efficace è da impiegare: spogliarli di tutti i loro beni e ridurli ad una povertà completa.* — D'altra parte l'azione dello Stato è tutta diretta per sè a cancellare dalla nazione l'impronta religiosa e cristiana: dalle leggi e da tutto ciò che è vita officiale ogni ispirazione ed ogni idea religiosa è per sistema sbandita, quando non sia direttamente osteggiata: le pubbliche manifestazioni di fede e di pietà cattolica o sono proibite o sotto vani pretesti in mille modi intralciate. — Alla famiglia si è sottratta la sua base e la sua costituzione religiosa col proclamare quello che chiamano *matrimonio emite,* e coli' istruzione che ¡si vuole al tutto laica, dai primi elementi fino all' insegnamento superiore delle Università: di guisa che le nuove generazioni, per quanto dipende dallo stato, sono come obbligate a crescere senza alcuna idea di religione, digiune affatto delle prime ed essenziali nozioni dei loro doveri verso Dio. — È questo un mettere la scure alla radice, né saprebbe immaginarsi mezzo più universale e più efficace per sottrarre all' influenza della Chiesa e della fede la società, la famiglia, gl' individui. *Scalzar éj3on tutti i mezzi il clericalismo,* ossia il cattolicismo, *nelle sue fondamenta e nelle stesse sue sorgenti di vita, cioè nella scuola e nella famiglia, è* la dichiarazione autentica di scrittori massonici.

Si dirà che ciò non avviene solo in Italia, ma che è un sistema di governo, al quale gli Stati generalmente si conformano. — Rispondiamo che questo non distrugge, ma anzi conferma quanto Noi diciamo degl' intendimenti e dell' azione della massoneria in Italia. Sì, quel sistema è adottato e messo in uso dovunque la massoneria esercita la sua. empia e nefasta azione; e poiché questa è largamente diffusa, così quel sistema anticristiano è pur largamente applicato. Ma l'applicazione ne addiviene più. rapida e generale e si spinge più agli estremi in quei paesi, i cui governi sono più sotto l'azione della sètta e meglio ne promuovono gli interessi. — E per mala sorte nel numero di questi paesi è presentemente la nuova Italia. Non è da oggi che essa soggiace all' influsso empio e malenco delle sètte; ma da qualche tempo queste, addivenute assolutamente dominanti e strapotenti, la tiranneggiano a loro talento. Qui l'indirizzo della pubblica cosa, per ciò che concerne la religione, è tutto conforme

alle aspirazioni delle sètte; le quali per attuarle, trovano nei depositari del pubblico potere fautori dichiarati e docili strumenti. Le leggi avverse alla Chiesa e le misure per essa offensive sono prima proposte, decretate, risolute in seno alle adunanze settarie; e basta che una cosa qualunque abbia una cotale, sebbene lontana, apparenza di far onta o danno alla Chiesa, per vederla incontanente favorita e promossa. — Tra i fatti più recenti ricorderemo l'approvazione del nuovo codice penale: in cui quello che si è voluto con maggior pertinacia, nonostante tutte le ragioni in contrario, furono gli articoli contro il Clero, che costituiscono per esso come una legge di eccezione, e vanno Ano a considerare come criminosi alcuni atti che sono per lui sacrosanti doveri di ministero. — La legge sulle *Opere Pie,* per la quale tutto il patrimonio della carità, accumulato dalla pietà e dalla religione degli avi all' ombra e sotto la tutela della Chiesa, venne sottratto ad ogni azione ed ingerenza di essa, quella legge era stata già da più anni promossa nelle adunanze della sètta, appunto perché doveva infliggere una nuova offesa alla Chiesa, diminuirne l'influenza sociale, e sopprimere d'un tratto una grande quantità di lasciti a scopo di culto. — Si aggiunse a questo l'opera eminentemente settaria, 1' erezione cioè del monumento al famigerato apostata di Nola, promossa, voluta, attuata coli' aiuto e il favore dei governanti della Framassoneria, che per la bocca degli stessi più autorevoli interpreti del pensiero settario, non arrossì di confessarne lo scopo e di dichiararne il significato : lo scopo fu di far onta al Papato; il significato è che si vuole ora sostituire alla fede cattolica la libertà più assoluta di esame, di critica, di pensiero e di coscienza : e si sa bene ciò che significhi in bocca dei settari un tal linguaggio. — Vennero a mettere il suggello le dichiarazioni più esplicite fatte pubblicamente da chi è a capo del governo, dichiarazioni che suonano appunto così: La lotta vera e reale, che il governo ha merito di aver compreso, è la lotta tra la fede e la Chiesa da una parte, il libero esame e la ragione dall'altra. Che la Chiesa cerchi pure di reagire, di incatenar di nuovo la ragione e la libertà del pensiero e di vincere. Quanto al governo, in questa lotta, si dichiara apertamente in favore della ragione contro la fede, e si attribuisce come compito proprio di far sì, che lo Stato italiano sia T espressione evidente di questa ragione e libertà : triste

compito, che udimmo testé in occasione analoga audacemente riaffermato.

Alla luce di tali fatti e di queste dichiarazioni torna più che mai evidente che l'idea maestra, la quale, perciò che tocca la religione, presiede all' andamento della cosa pubblica in Italia, si è T attuazione del programma massonico. Si vede quanta parte ne fu già attuata; si sa quanto ancora ne rimanga ad attuare; e si può preveder con certezza, che fino a tanto che i destini d'Italia saranno in mano di reggitori settari o ligi alle sètte, se ne spingerà l'attuazione più o meno rapidamente, secondo le circostanze, fino al più completo sviluppo. — La loro azione ora è diretta a raggiungere i seguenti scopi, secondo i voti e le risoluzioni prese nelle loro assemblee più autorevoli, voti e risoluzioni tutte ispirate da un odio a morte contro la Chiesa. « Abolizione nelle scuole di qualsiasi istruzione religio-
» sa, e fondazione d'istituti, in cui anche la gioventù femmini-
» le sia sottratta ad ogni influenza clericale, qualunque essa
» sia; giacché lo Stato, che deve essere assolutamente ateo, ha
» il diritto e il dovere inalienabile di formare il cuore ej lo spi-
» rito dei cittadini, e nessuna scuola deve essere sottratta né
» alla sua ispirazione, né alla sua vigilanza. — Applicazione ri-
» gorosa di tutte le leggi in vigore dirette ad assicurare l'indi-
» pendenza assoluta della società civile dalle influenze clerica-
» li. — Osservanza rigorosa delle leggi che sopprimono le cor-
» porazioni religiose ed uso di tutti i mezzi per renderle eftica-
» ci. — Sistemazione di tutto il patrimonio ecclesiastico, parten-
» do dal principio, che la proprietà di esso appartiene allo
« stato e F amministrazione ai poteri civili. — Esclusione d'ogni
» elemento cattolico o clericale da tutte le amministrazioni pub-
» bliche, dalle opere pie, dagli spedali, dalle scuole, dai consi-
» gli nei quali si preparano i destini della patria, dalle accade-
» mie, dai circoli, dalle associazioni, dai comitati, dalle fami-
» glie; esclusione da tutto, dovunque, per sempre. Invece l'in-
» fluenza massonica deve farsi sentire in tutte le circostanze
» della vita sociale, e divenire padrona e arbitra di tutto.—
» Con questo si spianerà la via all'abolizione del Papato; così
» T Italia sarà libera dal suo implacabile e mortale nemico, e
» Roma che fu in passato il centro della Teocrazia universale,
» sarà neh" avvenire il centro della secolarizzazione universale,
» d'onde deve essere proclamata in faccia al mondo intero la

» Magna Charta della libertà umana. »" Sono altrettante dichiarazioni, aspirazioni e risoluzioni autentiche di framassoni o delle loro assemblee.

Senza esagerar punto, è questo lo stato presente e l'avvenire che si prevede per la religione in Italia. Dissimularne la gravità sarebbe un errore funesto. Riconoscerlo qual è, ed affrontarlo con evangelica prudenza e fortezza, dedurne i doveri che esso impone a tutti i cattolici, e a noi specialmente, che come Pastori dobbiamo vegliar su di essi e condurli a salvezza, egli è entrare nelle mire della Provvidenza, e far opera di sapienza e di zelo pastorale. — Per quello che riguarda Noi, l'Apostolico officio C'impone di protestare altamente di nuovo contro tutto ciò che a danno della religione si è fatto, si fa o si attenta in Italia: difensori e tutori quali siamo dei sacri diritti della Chiesa e del Pontificato, apertamente respingiamo ed a tutto il mondo cattolico denunziamo le offese che la Chiesa e il Pontificato ricevono del continuo, specialmente in Roma, e che rendono a Noi più malagevole il governo della cattolicità, più grave ed indegna la Nostra condizione. Del resto abbiamo fermo neh' animo di nulla omettere per parte Nostra, che possa valere a mantener viva e vigorosa in mezzo al popolo italiano la fede e a proteggerla contro gli assalti nemici. — Facciamo perciò appello, Venerabili Fratelli, anche al vostro zelo e al vostro amore per le anime, affinchè compresi della gravità del pericolo che esse corrono, avvisiate ai rimedi e tutto poniate in opera per iscongiurarlo. Nessun mezzo è da trascurare che sia in poter nostro: tutte le risorse della parola, tutte le -industrie dell'azione, tutto l'immenso tesoro di aiuti e di grazie, che la Chiesa pone in nostra mano, sono da adoperare per la formazione di un Clero istruito e pieno dello spirito di Gesù Cristo; per la cristiana educazione della gioventù, per l'estirpazione delle ree dottrine, per la difesa delle verità cattoliche, per la conservazione del carattere e dello spirito cristiano nelle famiglie.

Quanto al popolo cattolico, è necessario innanzi tutto che sia istruito del vero stato delle cose in Italia in fatto di religione, dell'indole essenzialmente religiosa che ha in Italia la lotta contro il Pontefice, e dello scopo vero a cui costantemente si mira, affinchè vegga coli' evidenza dei fatti in quante guise è insidiato nella sua religione, e si persuada quanto rischio

corre di essere derubato e spogliato del tesoro inestimabile della fede. — Formatasi negli animi tale persuasione, e certi d'altra parte che senza la fede è impossibile piacere a Dio e salvarsi, comprenderanno che trattasi di assicurare il massimo, per non dir unico, interesse che ciascuno quaggiù ha il dovere di porre in salvo innanzi tutto, e a costo di qualunque sacrificio, sotto pena della sua eterna infelicità. Comprenderanno altresì facilmente che, essendo questo un tempo di lotta accanita e manifesta, sarebbe viltà disertare il campo e nasconder si. Il loro dovere è di rimanere al posto, di mostrarsi a viso aperto veri cattolici per credenze ed opere conformi alla loro fede, e ciò tanto a onor di quella e a gloria del sommo Duce, di cui seguono le insegne; come per non aver la somma disgrazia di essere sconfessati nel dì finale e non riconosciuti per suoi dal giudice supremo, il quale ha dichiarato che chi non è con lui é contro di lui. — Senza ostentazione e senza timidezza, diano prova di quel vero coraggio che nasce dalla coscienza di compiere un sacrosanto dovere innanzi a Dio e agli uomini. Con questa franca professione di fede i cattolici devono unire una perfetta docilità e un filiale amore verso la Chiesa, un sincero ossequio ai Vescovi, e una assoluta devozione ed obbedienza al Romano Pontefice. Insomma riconosceranno quanto sia necessario cessarsi da tutto ciò che è opera delle sètte o che dalle sètte ha favore ed impulso perchè certamente contaminato dallo spirito anticristiano che le anima: e darsi invece con attività, coraggio e costanza alle opere cattoliche, alle associazioni ed istituzioni benedette dalla Chiesa, incoraggiate e sostenute dai Vescovi e dal Romano Pontefice.— E poiché il principale strumento di cui si servono i nemici è la stampa, in gran parte ispirata e sostenuta da loro, conviene che i cattolici oppongano la buona alla cattiva stampa per la difesa della verità, per la tutela della religione, e a sostegno dei diritti della Chiesa. E come è compito della stampa cattolica mettere a nudo i perfidi intendimenti delle sètte, aiutare e secondare l'azione dei sacri Pastori, difendere e promuovere le opere cattoliche, così è dovere dei fedeli di sostenerla efficacemente, sia negando o ritirando ogni favore alla stampa perversa; sia direttamente concorrendo, ciascuno nella misura che può, a farla vivere e prosperare : nella qual cosa crediamo che finora non siasi in Italia fatto abbastanza. — Da ultimo i docu-

menti da Noi dati a tutti i cattolici, specialmente neh" enciclica « *Humanum genus* »e nell' altra « *Sapientiae christianae* » debbono essere particolarmente applicati ed inculcati ai cattolici d'Italia. Che se per restar fedeli a questi doveri avranno quali che cosa da patire o da sacrificare, si rincuorino pensando, che il regno dei cieli patisce violenza e che sol con farsi violenza si conquista; e che chi ama sè e le cose sue più di Gesù Cristo, non é degno di lui. L'esempio di tanti invitti campioni, i quali per la fede tutto generosamente in ogni tempo sagrificarono, gli aiuti singolari della grazia che rendono soave il giogo di Gesù Cristo e leggiero il suo peso, debbono valere potentemente a ritemprare il loro coraggio e a sostenerli nel glorioso combattimento.

Non abbiamo considerato fin qui della presente condizione di cose in Italia che il lato religioso, come quello che per Noi è principalissimo ed eminentemente proprio, per ragione dell' officio Apostolico che sosteniamo. — Ma è pregio dell' opera considerare eziandio il lato sociale e politico, affinchè veggano gl'italiani, che non è solo l'amor della religione, ma altresì il più sincero e il più nobile amor di patria che deve muoverli ad opporsi agli empi conati delle sètte.— Basta osservare per convincersene, quale avvenire si prepari all'Italia, nell'ordine sociale e politico, da gente che ha per iscopo, e non lo dissimula, di guerreggiare senza tregua il cattolicismo e il Papato.

Già la prova del passato è per sè stessa molto eloquente. — Ciò che in questo primo periodo della sua nuova vita sia addivenuta T Italia per moralità pubblica e privata, per sicurezza, ordine e traquillità interna, per prosperità e ricchezza nazionale è più noto per fatti di quello che Noi potremmo dire a parole. Quelli stessi che pur avrebbero interesse di nasconderlo, costretti dalla verità, non lo tacciono. Noi diremo solo, che nelle condizioni presenti, per una triste ma vera necessità, le cose non potrebbero andare altrimenti : la sètta massonica, per quanto ostenti uno spirito di beneficenza e di filantropia, non può esercitare che un' influenza funesta : ed appunto funesta perchè combatte e tenta distruggere la religione di Cristo, vera benefattrice dell'umanità.

Tutti sanno quanto e per quanti capi influisca salutarmente la religione nella società. È incontestabile, che la sana morale pubblica e privata fa T onore e la forza degli Stati. Ma è inconte-

stabile egualmente che senza religione non vi è buona morale, nè pubblica nè privata. — Dalla famiglia solidamente costituita sulle naturali sue basi piglia vita, incremento e forza la società. Ora senza religione e senza moralità il consorzio domestico non ha stabilità, e i vincoli di famiglia si indeboliscono e si dissolvono.—La prosperità dei popoli e delle nazioni vien da Dio e dalle sue benedizioni. Se un popolo non solo non la riconosce da lui, rha contro di lui si solleva, e nella superbia del suo spirito tacitamente gli dice di non aver bisogno di lui quella non è che una larva di prosperità destinata a svanire, non appena piaccia al Signore di confondere la superba audacia dei suoi nemici. — La religione è quella, che, penetrando nel fondo della coscienza di ciascuno, gli fa sentire la forza del dovere e lo spinge a seguirlo. La religione è quella, che, dà ai principi sentimenti di giustizia e di amore pei loro sudditi, che rende i sudditi fedeli e sinceramente ad essi devoti, che fa retti e buoni i legislatori, giusti ed incorrotti i magistrati, valorosi fino all' eroismo i soldati, coscienziosi e diligenti gli amministratori. La religione è quella, che fa regnare la concordia e T affezione tra i coniugi, l'amore e la riverenza tra i genitori ed i figli; che ispira ai poveri il rispetto pei beni altrui e ai ricchi il retto uso delle loro sostanze. Da questa fedeltà ai doveri e da questo rispetto ai diritti altrui nasce l'ordine, la traquillità, la pace, che sono tanta parte della prosperità di un popolo e di uno Stato. Tolta la religione, tutti questi beni immensamente preziosi in un colla religione sparirebbero dalla società.

Per T Italia la perdita sarebbe altresì più sensibile. — Le sue maggiori glorie e grandezze, per cui tra le più colte nazioni ebbe per lungo tempo il primato, sono inseparabili dalla religione; la quale o le produsse, o le ispirò, o certo le favorì, le aiutò e diede ad esse incremento. Per le pubbliche franchigie parlano i suoi Comuni: per le glorie militari parlano tante imprese memorande contro nemici dichiarati del nome cristiano, per le scienze parlano le Università, che fondate, favorite, privilegiate dalla Chiesa, ne furono l'asilo e il teatro; per le arti parlano infiniti monumenti d' ogni genere, di cui è seminata tutta Italia ; per le opere a vantaggio dei miseri, dei diseredati, degli operai parlano tante fondazioni della carità cristiana, tanti asili aperti ad ogni sorta d'indigenza e d'infortunio, e le as-

sociazioni, e corporazioni cresciute sotto 1' egida della religione. La virtù e la forza della religione è Immortale, perchè viene da Dio: essa ha tesori di soccorso, ha rimedi efficacissimi per i bisogni di tutti i tempi, e di qualsivoglia epoca, ai quali sa mirabilmente adattarli. Quello che ha saputo e potuto fare in altri tempi, è capace di fare anche adesso con una virtù sempre nuova e rigogliosa. Togliere pertanto all'Italia la religione è inaridire d'un colpo la sorgente più feconda di tesori e di soccorsi inestimabili.

Inoltre, uno dei più grandi e dei più formidabili pericoli che corre la società presente sono le agitazioni dei *socialisti,* che minacciano di scompaginarla dalle fondamenta. Da tanto pericolo l'Italia non va immune; e sebbene altre nazioni sieno più dell'Italia infestate da questo spirito di sovversione e di disordine, non è men vero però che anche nelle sue contrade va largamente serpeggiando quello spirito e ogni giorno si afforza. E tale è la sua rea natura, tanta la potenza della sua organizzazione, tanta l'audacia dei suoi propositi, che fa mestieri riunire tutte le forze conservatrici, per arrestarne i progressi, ed impedirne con felice successo il trionfo. Di queste forze prima e principalissima tra tutte è quella che può dare la religione e la Chiesa^: senza di essa, riusciranno vane od insufficenti le leggi più severe, i rigori dei tribunali, la stessa forza armata. Come già contro le orde barbariche non valse la forza materiale, ma la virtù della religione cristiana, che penetrando nei loro animi, ne spense la ferocia, ne ingentilì i costumi, li rese docili alla voce della verità e della legge evangelica; così contro l'infuriare delle moltitudini sfrenate non vi sarà riparo efficace senza la virtù salutare della religione : la quale facendo balenare nelle menti la luce della verità, e stillando nei cuori i santi precetti della morale di Gesù Cristo, faccia loro sentire la voce della coscienza e del dovere, e, prima che alla mano, ponga freno all'animo e smorzi l'impeto della passione. — Osteggiare pertanto la religione è privare l'Italia dell'ausiliare più potente per combattere un nemico che diviene ogni giorno più formidabile e minaccioso.

Ma non è tutto. — Come nell' ordine sociale la guerra fatta alla religione riesce funestissima e sommamente micidiale all' Italia, così nell' ordine politico l'inimicizia colla Santa Sede e col Romano Pontefice è per l'Italia sorgente di grandissimi

danni. Anche qui la dimostrazione non è più da fare; basta, a compimento del Nostro pensiero, riassumerne in brevi parole le conclusioni. — La guerra fatta al Papa vuol dire per l'Italia, al di dentro, divisione profonda tra F Italia officiale e la gran parte d'italiani veramente cattolici, e ogni divisione è debolezza; vuol dire privarla del favore e del concorso della parte più schiettamente conservatrice; vuol dire alimentare nel seno della nazione un conflitto religioso che non approdò mai a pubblico bene, ma porta anzi sempre in sé stesso i germi funesti di mali e di castighi gravissimi. — Al di fuori, il conflitto colla Santa Sede, oltre che priva l'Italia del prestigio e dello splendore, che le verrebbe infallibilmente dal ¿vivere in pace col Pontificato, le inimica i cattolici di tutto il mondo, le impone immensi sagriflcì, e ad ogni occasione può fornire ai nemici un' arma da rivolgere contro di lei.

Ecco il benessere e la grandezza che apparecchia all' Italia chi, avendone in mano le sorti, fa quanto può per abbattere secondo F empia aspirazione delle sètte, la religione cattolica e il Papato !

Si ponga invece, che, rotta ogni solidarietà e connivenza colle sètte, sia lasciata alla religione e alla Chiesa, come alla più gran forza sociale, vera libertà e il pieno esercizio dei suoi diritti. — Qual felice cambiamento non avverrebbe nelle sorti di Italia! I danni e i pericoli che lamentavamo qui sopra come frutto della guerra alla religione e alla Chiesa, cesserebbero al cessar della lotta : non solo, ma tornerebbero altresì a fiorire sull' eletto suolo dell' Italia cattolica le grandezze e le glorie, di cui la religione e la Chiesa fu sempre altrice feconda. Dalla loro divina virtù germoglierebbe spontanea la riforma de'pubblici e de' privati costumi; si rafforzerebbero i vincoli della famiglia: e in ogni ordine di cittadini sotto F influsso religioso si desterebbe più vivo il sentimento del dovere e della fedeltà nell' adempierlo. — Le questioni sociali che ora tengono tanto preoccupati gli animi, si avvierebbero verso la migliore e la più completa soluzione, mercè la pratica applicazione dei precetti di carità e di giustizia evangelica; le pubbliche libertà, impedite di degenerare in licenza, servirebbero unicamente al bene e addiverrebbero veramente degne dell' uomo : le scienze, per la verità di cui la Chiesa è maestra, e le arti, per F ispirazione potente, che la religione deriva dall' alto, e che ha il segreto

di trasfondere negli animi, salirebbero presto a nuova eccellenza. — Fatta la pace colla Chiesa, sarebbe vie più. cementata la unità religiosa e la concordia civile; cesserebbe la divisione tra i cattolici fedeli alla Chiesa e P Italia;, la quale acquisterebbe così un elemento potente di ordine e di conservazione. Fatta ragione alle giuste domande del Romano Pontefice, riconosciuti i sovrani suoi diritti, e ripostolo in condizione di vera ed effettiva indipendenza, i cattolici delle altre parti del mondo non avrebbero più motivo di considerare 1' Italia come nemica del loro Padre comune: essi che non per alieno impulso, nè inconsapevoli di quel che vogliono, ma sì per sentimento di fede e dettame di dovere, alzano ora concordemente la voce a rivendicare la dignità e la libertà del Pastore supremo delle anime loro. — Che anzi crescerebbe all' Italia rispetto e considerazione presso gli altri popoli dal vivere in armonia colla Sede Apostolica; la quale, come fece sperimentare in particolar modo agl'italiani i benefici della sua presenza in mezzo a loro'; cosi coi tesori della fede che si diffusero sempre da questo centro di benedizione e di salute, fece che si diffondesse presso tutte le genti grande e rispettato il nome italiano. L'Italia riconciliata col Pontefice e fedele alla sua religione, sarebbe avviata ad emular degnamente le avite glorie; e da tutto ciò che è vero progresso dell' età nostra non potrebbe che ricevere novello incitamento ad avvantaggiarsi nel suo glorioso cammino.— E Roma città cattolica per eccellenza, preordinata da Dio a centro della religione di Cristo e Sede del suo Vicario, il che fu cagione della sua stabilità e grandezza a traverso di tante età e di sì svariate vicende, riposta sotto il pacifico e paterno scettro del Romano Pontefice, tornerebbe ad essere ciò che la fecero la Provvidenza e i secoli, non rimpicciolita alla condizione di capitale di un regno particolare, nè divisa tra due diversi e sovrani poteri, dualismo contrario alla sua storia ; ma capitale degna del mondo cattolico, grande di tutta la maestà della Religione e del sommo Sacerdozio, maestra ed 'esempio di moralità e di civiltà ai popoli.

Non sono queste, Venerabili Fratelli, vane illusioni, ma speranze poggiate sul più solido e verace fondamento. — L'asserzione che si va da tempo divulgando, essere i cattolici ed il Pontefice i nemici d'Italia, e quasi altrettanti alleati de' partiti sovversivi, non è che gratuita ingiuria e spudorata calunnia

sparsa ad arte dalle sètte per palliare i loro rei disegni e non incontrare intoppo nell' opera esecranda di scattolicizzare l'Italia. La verità che discende chiarissima da quanto abbiamo detto finora, è che i cattolici sono i migliori amici del proprio paese: e che danno prova di forte e verace amore non solamente verso la religione avita, ma anche verso la patria loro distaccandosi interamente dalle sètte, avversandone lo spirito e le opere, facendo ogni sforzo acciocché l'Italia non perda, ma conservi vigorosa la fede; non combatta la Chiesa, ma le sia fedele qual figlia, non osteggi il Pontificato, ma si riconcili con lui.—Adoperatevi a tutt'uomo, o Venerabili Fratelli, affinchè la luce della verità si faccia strada in mezzo alle moltitudini, sicché queste abbiano finalmente a comprendere dove si trova il loro bene e il loro verace interesse, ed a persuadersi che solo dalla fedeltà alla religione, dalla pace con la Chiesa e col Romano Pontefice si può sperar per l'Italia un avvenire [degno del suo glorioso passato. — Alla qual cosa vorremmo che ponessero mente, non diremo gli affigliati alle sètte, i quali di proposito deliberato s'argomentano di assodare sulle rovine della religione cattolica il nuovo assetto della Penisola, ma gli altri, che senza accogliere sì biechi intendimenti, aiutano l'opera di quelli col sostenerne la politica: e particolarmente i giovani, sì facili a errare per effetto d'inesperienza e predominio di sentimento. Ognuno vorremmo si persuadesse come la via che si sta percorrendo, non possa essere che fatale all' Italia: e se Noi denunziamo ancora una volta il pericolo, non altro Ci muove che coscienza di dovere e carità di patria.

Ma ad illuminare le menti e rendere efficaci i nostri sforzi, è duopo d'invocare soprattutto gli aiuti del cielo. E però alla nostra comune azione, Venerabili Fratelli, vada unita la preghiera, e sia una preghiera generale, costante, fervorosa, che faccia dolce violenza al cuore di Dio, lo renda propizio a questa nostra Italia, sì che allontani da essa ogni sciagura, quella in specie che sarebbe la più terribile di tutte, la perdita della fede. — Mettiamo per mediatrice appresso Dio la gloriosissima Vergine Maria, l'invitta Regina del Rosario, che tanta potenza ha sopra le forze d'inferno e tante volte ha fatto sentire all'Italia gli effetti della sua materna dilezione. — Facciamo altresì fiducioso ricorso ai santi Apostoli Pietro e Paolo che questa

terra benedetta conquistarono alla fede, santificarono colle loro fatiche, bagnarono del loro sangue.

Auspice intanto degli aiuti che domandiamo, e pegno del Nostro specialissimo affetto vi sia l'Apostolica benedizione, che dall' intimo del cuore impartiamo a Voi, Venerabili Fratelli, al vostro clero e al popolo italiano.

Dato a Roma presso S. Pietro, li 15 Ottobre 1890, anno decimoterzo del Nostro Pontificato.

LEO PP. XIII.

(Versio latina)

LITTERAE Encyclicae SS. D. N. Leonis XIII ad Episcopos, Clerum et Populum Italiae.

Ab apostolici Solii celsitudine, ubi Nos ad prospiciendum saluti omnium populorum divina Providentia posuit, in Italia, cuius in sinu Deus Vicarii sui sedem, singularis ac praecipui amoris actu collocavit, et unde nihilominus multiplices Nobis, eaeque gravissimae moeroris causae proveniunt, noster saepenumero se Agit obtutus. Haud equidem personales offensae, privationes, libertatis, quietis atque regiminis sacriAcia, praesent rerum conditione Nobis imposita, Nos contristant, neque iniuriae ac ludibria, quae procacibus scriptis praelo impressis, in Nos quotidie iaciendi plena quisque fruitur potestate. Si de nostra tantummodo Persona ageretur, et nisi ruina prae oculis versaretur, quam Italiae, Fide sancta periclitanti, imminere conspicimus, silentio perferremus offensas, dicere gestientes et Nos, quod unus ex praeclarissimis Praecessoribus nostris de se scribebat: « Si » terrae meae captivitas per quotidiana momenta non excre- » sceret, de despectione mea atque irrisione laetus facerem » S. Greg. M. Ep. ad Maurit. Imperat. Sed praeter quam quod de libertate dignitateque S. Sedis res est, ipsa Religio et salus agitur universae Nationis, et quidem talis Nationis, quae a primis ipsis Ecclesiae temporibus Fidem Catholicam laeta excepit, eamque semper sollicite custodivit.

Quod incredibile videtur, et tamen verum est, eo devenimus, ut a Nobis huic nostrae Italiae Fidei amissio metuenda

sit. Saepius ad arma conclamavimus, ut periculum adverteretur sed nequaquam ideo satis Nos fecisse arbitramur.

Urgentibus continuis ac semper ferocioribus aggressibus, validiorem Officii nostri conscientiam, quae ad vos, Venerabiles Fratres, vestrum Clerum, Italumque populum iterum alloquendos exstimulat, intime persentimus, Quoniam inducias non facit hostis, ideo nec Nobis, nec vobis silere licet, aut esse otiosis, qui Religioni populorum nostris curis concreditorum tuendae Custodes ac Vindices, Pastores atque Excubiae Gregis Christi constituti sumus, pro quo ad vitae ipsius periculum, si opus sit, subeundum, nedum ad cetera omnia amittenda, praesto nos esse oportet.

Nova haud quaquam loquemur; facta enim quae acciderunt, non immutantur; deque ipsis alias, prouti opportuna sese obtulit occasio, ex officio disseruimus. At vero hic volumus ea quodammodo summatim colligere et quasi compendiose digerere, ut quae exinde profluunt consectaria ad omnium eruditionem opportune deducantur. Huiusmodi facta minime dubia sunt aut controversa, quae meridiana luce fulgente contigerunt; et quidem haud sane disiuncta, sed ita invicem connexa, ut in sua ipsorum serie quoddam systema, cuius ipsamet sint, quaedam ad effectum traductio atque explicatio, evidentissime prodant. Novum profecto systema non est, sed omnino nova audacia, rabies, rapiditas, qua illud ad effectum continenter adduci conspicimus.

Hoc est iamdiu praeconceptum sectarum propositum, quantocius opere complendum, quod hodie in Italia evolvitur, praesertim quod ad Ecclesiam pertinet, atque Catholicam Religionem; eo quidem consilio ultimo ac notissimo, ut eam, si fieri possit, funditus evertant.

Hodie de Sectis, quae massonicae appellantur, quaestionem instituere supervacuum est: iam lata est sententia: scopi, adminicula, dogmata, actus, omnia comperta sunt, atque ita certa, ut de iisdem controversia nulla esse possit. Satanae, cuius eae instrumenta sunt, spiritu pervasae, in Christum Iesum et ab Eo institutam Ecclesiam mortali atque implacabili odio, sicut earum inspiratur diabolus, adeo exardescunt, ut, quoad possunt, eam labefactare, aut saltem compedire conentur. Id bellum praesenti tempore, magis quam alibi in Italia geritur, ubi Catholica Religio altius radices egit; maxime vero in hac Urbe Roma,

ubi catholicae unitatis centrum et caput est, et ubi sedet universalis Ecclesiae Pastor et Magister.

Varias huiusce belli phases a primis ipsis memoria repetere iuvat. Primo quidem coeptum est ab evertendo, sub politica specie, civili Romanorum Pontificum Principatu: sed huius eversio in eorum, qui eiusdem sectae Duces reapse sunt, secretis consiliis, postmodum manifeste declaratis, ad supremam ipsam eorumdem Romanorum Pontificum spiritualem potestatem pessumdandam, aut saltem vinculis constrictum servituti subiiciendam inservire debebat.

Et ne cui dubium superesset, quonam reipsa istorum consilia spectarent, illico religiosorum Ordinum suppressio successit, qua evangelici Operarii, qui sacris obeundis Ministeriis, religiosae adsistentiae huic S. Sedi exhibendae, Fideive inter Infideles propagandae destinantur, sunt valde numero imminuti.

Deinceps acl militiam subeundam etiam iuvenes clerici, lege lata, compulsi sunt, necessario exinde consequentibus multis, iisque gravibus, obstaculis delectui Clericorum habendo, ad convenientem Cleri etiam saecularis constitutionem perficiendam, irifestis. Manibus praeterea in ecclesiasticum patrimonium violenter admotis, illud partim fisco prorsus adiudicatum fuit; partim vero, enormissimis tributis impositis, summopere tenuatum eo quidem consilio, ut ad egestatem redigeretur Clerus et Ecclesia, atque ut ista iis privaretur adminiculis, quibus ad vivendum, institutaque ac pia Opera in divini sui Apostolatus subsidium promovenda in terris eget. Id ipsimet Massonicae addicti aperte proclamarunt: « Ad muniendum moralem Cleri, et Clericalium, ut aiunt, societatum in populos influxum unica, apprime efficax, adhibenda ratio est; Clericos bonis omnibus exhaurire, atque ad extremam inopiam redigere ».

Caeteroquin ipsa civilis Dominatus actio ad religiosum atque Christianum characterem ab Itala natione delendum tota per se continenter dirigitur. Ab legibus et ab omni Officialis (quam vocant) vitae actu, quaevis inspiratio aut idea religiosa generaliter et constanter excluditur, nisi forte etiam directe oppugnetur: quaevis publica Fidei et pietatis catholicae manifestatio aut inhibetur, aut speciosas ob causas sexcentis modis impeditur.

Familiis submota earum basis est, ac religiosa constitutio, Matrimonio, quod civile vocant, proclamato; et instructione scholastica imposita, quae a primis ipsis literarum rudimentis usque

ad supremas in Archigymnasiis audiendas praeceptiones omnino laica praecipitur; ex quo id procul dubio eveniet, ut novae generationes, quantum ad civilem Dominatum spectat, sine ulla Religionis idea, primis ac praecipuis suorum erga Deum Officiorum notionibus prorsus destitutae succrescere fere adigantur.

Hoc enim vero est securim ad radicem arboris admovere, nec alia via sive universalior, sive efficacior hac excogitan posset ad ipsam hominum societatem, familias, singulos denique cives ab morali Ecclesiae et sanctae Fidei influxu removendus. «Moralem Cleri, id est Catholicae Ecclesiae, in populos auctoritatem ab imis radicibus, atque ex ipsis socialis vitae fontibus, schola videlicet et familia, funditus evehere, axioma est ab massonicae Sectae scriptoribus authentice declaratum.

At enim, quispiam fortasse oggeret, id non in Italia tantummodo accidit, sed quoddam systema gubernii est, cui se generaliter omnes civiles Dominatus accommodant. Sed hoc, Nos respondemus, minime destruit quod de massonicae Sectae in Italia consistentes consiliis actibusque asserimus; imo potius confirmât. Utique eiusmodi systema, ubicumque eadem Secta suam impiam ac nefastam actionem exserit, adoptatur atque in usum deducitur; et quoniam haec Secta late diffusa est, idcirco illud systema antichristianum et ipsum late est publicis actibus applicatum. At vero ista applicatio in iis regionibus magis rapida ac magis universalis evadit, quarum Moderatores magis Sectae massonicae imperio obnoxii sunt, eiusque propensius iniqua coepta secundant.

Et, quod magnum infortunium reputamus, in hisce regionibus, praesenti tempore, et ipsamet haec nova Italia recensetur. Haud tamen hodie impio ac malefico Sectarum influxui Italia subesse coepit; sed aliquot abhinc annos istae rerum absolutissima potitae, praepotentes, eidem tyrannorum more pro suo lubito dominantur. Hic rem publicam administrandi ratio, quod ad Religionem pertinet, Sectarum votis tota apprime favet et servit; quae quidem Sectae ut sua vota expleant, in ipsis supremis rei publicae Rectoribus fautores docilesque servos nanciscuntur. Leges, quas isti condunt, Ecclesiae affatim infestae, et consilia, quae produnt, eidem iniuriosa, primum in Sectae conventibus proponuntur, decernuntur, definitive statuuntur. Sufficit autem quamcumque rem, aliquam praeseferre, etsi du-

biam, contumeliae speciem aut detrimenti in Ecclesiam, ut eadem illico adscita promotaque conspiciatur.

Inter recentiora facta Codicis poenalis approbationem meminerimus; ubi quod omnium maxima pertinacia contra rationes omnes oppositas omnino sancire placuit, quidam legis articuli fuerunt Clero adversi, qui in ipsum quamdam exceptionis legem constituunt, et quod, incredibile dictu est, tamquam facinora habent quosdam actus, qui Clero ipsi sacra et sancta sunt ministerii sui officia.

Lex de piis Operibus seu Institutis, qua totum christianae Charitatis patrimonium, avorum pietate et religione, sub umbra et protectione Ecclesiae, congestum, ab huius auctoritate et administratione subtractum fuit, iam aliquot annis ante in massonicae Sectae conventibus proposita fuerat ac statuta, hac profecto de causa, quod ea lex novam Ecclesiae iniuriam afferre debebat, socialem eius auctoritatem minuere, magnamque Legatorum vim, impensis pro religioso cultu sustinendis destinatam, absolute dirimere.

Huc accessit opus in primis huius Sectae dignum, publici videlicet monumenti erectio famoso Apostatae Nolano a massonica Secta iamdiu decreta, atque instanter promota; denique, adiuvantibus faventibusque rei publicae Rectoribus, ad finem perducta: quae quidem Secta per eos, qui praecipui consiliorum eius interpretes reputantur, eiusdem monumenti scopum confiteri, significationemque palam edicere non erubuit: « scopus equidem fuit, in Romanum Pontificem probrum inficere; significatio autem haec est: catholicae Fidei suffici nunc velle examinis, critices, cogitatus, et conscientiae absolutissimam libertatem »; quid vero hae locutiones in huiusmodi perduellium ore sonent, probe novimus.

Ad hoc confirmandum accesserunt demum explicationes eorum, qui Italico Regimini tuendo praepositi sunt, ac publicae declarationes, quae ita adamussim sonant: « Colluctatio vera nec dubia, quam rei publicae administratores probe se intellexisse gloriantur, est colluctatio hinc inter Fidem Ecclesiamque, inde vero liberum examen Rationemque, omnino implacabilis. Conetur utique Ecclesia obluctari, rationem, libertatemque cogitatus iterum compedire, et victrix consistere: quod quidem ad supremos reipublicae Moderatores attinet, se in hac colluctatione pro ratione contra Fidem stare aperte declarant, sibique

tamquam proprium munus attribuunt id efficere, ut Itala Dominatio sit rationis ac libertatis evidens vivaque expressio »: proh! triste munus, quod nuper in simili eventu audacissime enunciatum audivimus.

Ex huiusmodi factis ob omnium oculos patratis, atque ex hisce protestationibus palam emissis, multo evidentius perspicitur, principalem ideam, quae, quatenus Religionem attingit, rei publicae in Italia gerendae dominatur, aliam non esse, quam Sectae massonicae programma in actum usumque deducere. Quantum hac in re ab istis iam confectum sit, nemo non videt; quantum vero adhuc perficiendum supersit, probe novimus; magnaque potest certitudine praevideri, donec Italiae sortes in horum, qui sectis addicti sunt, Rectorum manibus versabuntur, fore ut plus minusve celeriter, pro variis rerum adiunctis, illius exsecutio urgeatur, usque ad perfectam ipsius programmatis explicationem.

Nunc autem eorum agendi alacritas ad quosdam fines, iuxta vota iamdiu elicita, et consilia in praecipuis Sectae conventibus inita, utraque capitali in Ecclesiam odio inspirata, obtinendos dirigitur.

Iique sunt: « cuiuscumque religiosae instructionis scholas abolere, ac nova Instituta erigere, in quibus vel ipsa feminea iuventus ab quavis Cleri auctoritate penitus eximatur: civilis enim Dominatus, quum atheus esse debeat, ius et officium habet, quo profecto nequeat expoliari, cor animumque civium conformandi; nec ullum Gymnasium illius inspirationi ac vigilantiae subtrahi fas est.

» Leges omnes hodie vigentes ad sartam tectam servandam absolutam civilis Societatis a qualibet Cleri auctoritate libertatem sancitas, severissime tueri et exsequi.

» Leges, quibus Ordines quique religiosi amandantur, rigidissime observare, atque omnibus uti adminiculis, ut eaedem efficaces reddantur.

» Universum ecclesiasticum patrimonium iuxta hoc iamdiu adoptatum axioma disponere: illud nimirum civili Dominatui in mancipio esse, eiusdemque administrationem ad civilem quamlibet potestatem pertinere.

» Quodlibet Ecclesiae, seu, ut aiunt, Clericalis auctoritatis exercendae ius arcere a publica quavis administratione, a piis Operibus, seu Institutis, a nosocomiis, a gymnasiis, a publicis

consiliis, ubi Patriae sortes praedisponuntur, ab Academiis, a civicis circulis, a quavis civium societate legitime constituta, a comitatibus (quos vocant) demum a familiis; arcere videlicet a quacumque re, undique, semper: contra enim vero debet in quibuslibet socialis vitae actibus massonicae Sectae auctoritas persentiri, eaque omnium rerum domina et arbitra fieri.

» Hac ratione ad Pontificatum ipsum abolendum facile pandetur via, atque ita ab implacabili capitalique adversario suo Italia libera erit, ac Roma, quae hactenus universalis Theocratiae centrum fuit, posthac laici, item universalis, regiminis centrum et caput erit; unde palam universo Mundo *Magna Charta* libertatis humanae proclamantur. »

Hae totidem sunt illius Sectae in suis consiliis, sive scripto, sive voce, authenticae declarationes, vota atque proposita.

Haudquaquam iusto plus rem amplificamus: haec est in Italia praesens, et quae futura praevidetur, Religionis conditio. Huius gravitatem dissimulare, funestus error esset. Eamdem vero qualis reipsa est agnoscere, eidem fortiter evangelica prudentia ac virtute sese opponere, indeque officia, deducere, quae ipsamet Religionis conditio ab omnibus catholicis exigit, a Nobis praesertim, qui tamquam Pastores super oves vigilare debemus, et populos ad aeternam salutem adducere, est divinae Providentiae consiliis servire, ac sapientiae zelique pastoralis opus peragere.

Quod ad Nos pertinet, Apostolicum munus a Nobis exposcit, ut contra quaecumque in Religionis detrimentum vel facta sunt, vel facienda utcumque in Italia pertentatur, elata denuo voce protestemur: sacra Ecclesiae et Pontificatus iura, quorum assertores ac tutores constituti sumus, sarta tectaque servare volentes, iniurias, quae ipsimet Ecclesiae ac Pontificatui, in hac praecipue urbe Roma, continenter irrogantur, quaeque difficilius Nobis reddunt catholicae Ecclesiae regimen gravioremque ac prorsus indignami praesentem conditionem nostram, palam proponimus, atque universo catholico Orbi notas facimus.

Ceterum Nos in animo nostro firmissime decrevimus ac statuimus, nihil omnino, quantum per Nos fieri poterit, omittere quod ad vivam vegetamque in medio populo Italico Fidem servandam conducere possit, eamque contra adversariorum aggressus constanter tueri.

Quapropter, venerabiles Fratres, vestrum etiam zelum, ve-

strumque in animas amorem appellamus, ut periculi, quod Italiae populis imminet, gravitate permoti, idonea remedia sollerter conquiratis, omniaque ad illud avertendum perficiatis. Nullum profecto adminiculum, quod in nostra potestate sit, negligendum: omnia verborum officia, omnes actionis industriae, totus denique spiritualium subsidiorum gratiarumque immensus thesaurus, quem in manibus nostris Ecclesia ponit, ad Clerum probe instructum, et Iesu Christi spiritu plenum conformandum, ad Iuventutem christiane edocendam, ad improba dogmata extirpanda, ad catholicas veritates fortiter asserendam ad characterem postremo spiritumque christianum in familiis incolumem servandum, naviter adhibeantur oportet.

Quod vero ad populum christianum spectat, in primis opus est, de vero in Italia praesenti rerum statu, quatenus Religionem attingit, sedulo edoceatur; de indole reapse religiosa colluctationis, quae in Italia contra Romanum Pontificem perfidiose geritur, ac de vero scopo, ad quem illa colluctatio constanter dirigitur; ut ipsa factorum evidentia edoctus idem christianus populus conspiciat, quot quibusque modis huic Italico populo struantur insidiae, ut ab avita Religione dimoveatur: sibique persuadeat, quam grave periculum Italiae immineat, fore ut ipsa tamquam a latronibus inaestimabili fidei thesauro expolietur.

Infixa semel in animis hac persuasione, certique cum sint alioquin populi, sine fide impossibile esse placere Deo, atque aeternam salutem consequi, profecto intelligent, rem agi, quae maxime, ne dicamus unice, interest; videlicet id in tuto ponere ad quod consequendum, etsi vita ipsa et sanguine stet, arctissima quisque obligatione tenetur, nisi velit aeternae infelicitatis poena mulctari. Item facile intelligent quum in praesentia apertum bellum geratur ubique contra Ecclesiam atque internecinum, imbecillis animi indicium fore et triste probrum, castra deserere, et addere sese. Eorum quippe officium est stationem tueri, seque exporrectâ fronte veros catholicos Fide et operibus, ipsi Fidei respondentibus, ostendere; idque cum in Religionis honorem ac decus, gloriamque Summi Ducis, cuius Insignia sectantur; tum vero etiam ne maximum infortunium supremi iudicii die subeant, quod est a divino Iudice tamquam ipsi ignotos repelli, neque ut suos discipulos ab eodem agnosci, quem palam edixisse novimus: — *Qui non est mecum, contra me est* Matth, XII, 30. —

Sine ostentatione ac timiditate, virilis et fidentis animi specimen praebeant, qui ex conscientia, qua quisque pro certo habet, se sanctum sacrumque officium coram Deo et hominibus adimplere, profecto enascitur. Cum huiusmodi impavida Fidei professione Catholici perfectam docilitatem filialemque erga Ecclesiam amorem, sincerum in Episcopos obsequium, absolutam denique in Romanum Pontificem devotionem atque obedientiam coniungant necesse est. Intelligent tandem quam oporteat ab iis omnibus rebus abscedere, quae vel Sectarum sunt opera, vel earumdem favore atque impulsu promoventur; quia antichristiano, quo animantur, spiritu certissime contaminata sunt: ac potius catholicis operibus, societatibus atque Institutionibus ab Ecclesia benedictis, ab Episcopis et ab ipso Romano Pontifice omni ope promotis ac sustentatis, sedulo, fidenter, constanterque provehendis se dedere.

Et quoniam praecipuum, quo adversarii utuntur instrumentum est librorum per typos evulgatio, magna ex parte ab ipsis inspirata ac sustenta, ideo catholicorum est pessimis eorum in lucem editis libris atque ephemeridibus, optimos libros, optimasque ephemeridas ad veritatis defensionem, Religionis tutelam atque ad Ecclesiae iura tuenda naviter obiicere.

Item quoniam catholici cuiusque scriptoris munus est sive in libris edendis, sive praesertim in sua quisque publica ephemeride perfida Sectarum consilia in aperto et propatulo ponere, Pastores sacros pro Ecclesia utiliter elaborantes coadiuvare et obsecundare, catholica quaeque opera strenue defendere ac promovere; ita et Fidelium quorumvis officium est, eorumdem librorum atque Ephemeridum per typos^evulgationem efficaci, quo possunt, modo sustentare, sive indirecte, videlicet pernegato vel subtracto quovis favore libris Ephemeridibusque perversis; sive directe, videlicet collata qua quisque potest ope atque opera, ut librorum atque Ephemeridum catholicarum evulgatio vegetet ac prosperetur: qua super re nequaquam satis in Italia factum fuisse arbitramur.

Postremo documenta in duabus encyclicis Uteris, quarum alteri initium est « Humanum genus », alteri vero « Sapientiae christianae » omnibus generatim Catholicis a Nobis tradita, speciatim Italiae Catholicis applicanda atque inculcanda sunt. Si quid autem in his officiis fideliter exsequendis patiendum erit, vel abdicandum, ne animum despondeant, cogitantes et memo-

riâ repetentes Christi verba : « *Regnum Coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud:* Matth. xi. 12; et — *Qui amat patrem aut matrem. . . . aut filium plusquam Me, non est Me dignus:* ibid. x. 37. — Demum: « *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* ibid. x. 39; » Profecto tot fortissimorum heroum, qui quovis tempore pro Christi Fide omnia Deo libenter immolarunt, praeclara exempla, ac selectiora divinae Gratiae auxilia, quae Iesu Christi iugum suave et onus leve faciunt, ad animos iisdem addendos, atque fideles athletas in hoc adeo praestanti certamine sustinendos potenter valere debent.

Hactenus praesentem in Italia rerum statum, quatenus Religionem attingit, quae nostra maximopere interest, quamque tueri, pro Apostolico, quo fungimur, munere, nostri proprium in primis est, tantummodo consideravimus. Sed operae pretium existimamus eumdem considerare etiam quatenus universae Nationis et rei hic publicae bonum spectat, ut Itali sciant non uno se Religionis, sed et omnium sincerissimo ac praestantissimo Patriae amore pertrahi debere ad semet impiis Sectarum conatibus strenue opponendos. Quod ut sibi quisque persuadeat, satis est prospicere quaenam futura tempora tam in sociali, quem vocant, quam in politico rerum ordine Italiae populis parentur ab iis, quorum consilia eo spectant, neque id dissimulant, ut Ecclesiae catholicae et romano Pontificatui, nullis induciis admissis, bellum inferant.

Iam ipsa per se elapsi temporis experientia affatim eloquitur. Quonam in hac novae suae vitae periodo Italia evaserit, tum quoad publicam ac privatam morum honestatem, tum quoad internam in Italiae civitatibus ac provinciis securitatem, ordinem, tranquillitatemque; tum denique quoad universae italicae Nationis prosperitatem atque opulentiam, notius profecto cuique est, per ea quae contigerunt, quam quod verbis Nos enarrare possemus. Iidem ipsi, quorum id latere interesset, veritate compulsi haud silent, neque inficiuntur. Nos id unum asserere audemus, in praesenti rerum conditione, tristi procul dubio, sed vera necessitate instante, res aliter contingere non posse : Secta enim massonica, quamvis beneficentiae ac philanthropiae spiritum ostentet, tamen nonnisi funestami auctoritatem exercere potest; et ideo funestam, quia Christi Religionem, de humano genere summopere bene meritam, oppugnat atque evertere pertentat.

Omnes apprime norunt quantum et quotuplici ex capite

Religio in hominum Societatem salubriter influat. Omnino indubium est, ac minime controversum, sanam ubique cum publicam, tum etiam privatam morum institutionem decus atque vim civilium Dominatuum constituere. Sed aeque certum est atque compertum, sine Religione sanam morum disciplinam sive publicam, sive privatam, omnino esse non posse. Nimirum a Familia, super bases, quas ipsa natura dedit, firmiter constituta, vitam, incrementum ac vim tota hominum Societas accipit. Iam vero sine Religione et sine optima morum institutione domesticum consortium stabilitate caret, ac ipsa Familiae vincula paullatim relaxantur, et tandem dissolvuntur.

Populorum ac Nationum prosperiias a Deo est, atque ab Eius supernis benedictionibus. Si qua vero gens, aut populus eam a Deo agnoscere nolit, sed in Ipsum rebellis extollatur, et superbo animo secum ipse tacite dicat « Tui non egeo, » ea tum nil aliud quam larva prosperitatis esset, quae quam primum evanescet, quum nimirum Deo hostium suorum superbam audaciam confundere ac perdere libuerit.

Quippe Religio ea est, quae humani cordis ima penetrans id efficit, ut quisque officii sui vim intime persentiat, atque ad illud exequendum propellit. Religio ipsa est, quae Imperantibus iustitiae et amoris sensus in omnes sibi subiectos populos inspirat; quae populos Principibus Regibusque fideles facit, ac sincere devotos; rectos probosque Legislatores; iustos atque integerrimios Magistratus; strenuos usque ad heroicam animi virtutem milites: prudentes ac sollertes cuiuslibet rei sive publicae sive privatae administratores.

Per Religionem concordia et benevolentia viget inter coniuges; amor et reverentia parentes inter ac filios; ea demum est, per quam pauperes aliorum bona revereri, et Divites recte suis uti fortunis addiscunt. Ex hac Officiorum fideli observantia, atque alienorum iurium reverentia ordo, tranquillitas, pax enascitur, quae in cuiusvis populi et civilis Dominatus prosperitatem gignendam adeo influunt. Semota Religione, una cum illa haec oninia perquam pretiosa bona ab hominum Societate exsularent.

At vero huic Italiae Religionis amissio gravius ferret infortunium. — Potissima namque eius decora, perquam gloriosa gesta, ob quae inter ceteras omnium maxime excultas Nationes Italia diu primatum obtinuit, ab catholica Religione, quae vel eorum causa fuit, vel ea inspiravit, vel certe favore atque

ope quovis tempore prosecuta est auxitque, separari nullo modo possunt. Publicas immunitates Municipia testantur: rei militaris insignia decora, tot Italorum agminum contra phalanges christiano nomini aperte infensas praeclara gesta, perenni memoria digna, testantur: testantur scientias tot Archigymnasia, quae a romanis Pontificibus fundata gratiis ac privilegiis aucta, earumdem scientiarum nobile asylum fuerunt, atque amplissimum theatrum : testantur Artes pene innumera cuiusvis generis monumenta ubique per Italiam copiosissime sparsa: testantur denique pia beneficentiae opera erga miseros quosque, exhereditatos atque operarios inválidos exercendae, tot christianae charitatis Instituta, tot hospitales aedes quibusvis indigentibus, ac quovis infortunio correptis, gratuito excipiendis erectae, tot utriusque sexus Societates ac sodalitia, quae sub aegide Religionis virtus ac vis, quia utraque a Deo provenit, immortalis est: ipsa thesauros cuiuslibet ferendae opis obtinet, ac remedia efficacissima omnibus quorumcumque temporum et locorum indigentiis, quibus ea probe novit aptare. Quod aliis temporibus facere et novit et potuit, etiam nunc, nova semper ac robusta virtute facere omnino potest. Itaque Religionem Italiae auferre idem est, ac inaestimabilium thesaurorum fontem multo foecundissimurn uno ictu exsiccare.

Praeterea unum ex gravissimis ac maxime formidandis periculis, quae civili Societati praesenti tempore imminent, sunt procul dubio tumultuosa Socialistarum, quos vocant, machinamenta, qui eam ab imis fundamentis susdeque vertere minaci ausu nituntur. Ab huiusmodi adeo gravi periculo Italia immunis non est: et quamvis aliae forsan Nationes hoc eversionis et rebellionis spiritu plusquam Italia funestentur, nihilo tamen minus verum est, etiam in hisce nostris regionibus hunc eumdem spiritum latius in dies serpere, ac quotidie maiores eundo vires acquirere. Cuius Sectae adeo est natura perfida, tanta ob sui mire compactant constitutionem potentia, tanta propositorum audacia, ut omnes vires huic calamitati avertendae opportunas conterere opus sit ad illius sistendos progressus, atque impediendum felici cum successu triumphum. Harum omnium virium princeps ac potissima ea est, quam una Religio atque Ecclesia suppeditare potest: sine. hac leges etiam severissimae, rigidissima Tribunalium edicta, ipsaque armata vis inutiles atque impares evaderent. Quemadmodum olim contra barbarorum

agmina materialis vis necquidquam valuit, sed sola christianae Religionis virtus, quae eorum animos penetrans, eorumdem ferociam domuit, extinxit; mites eorum mores atque humanos reddidit, ac gentes ipsas voci veritatis, et Legis Evangelicae praeceptis suscipiendis docile effecit; ita etiam nunc effrenato multitudinum rebellium furori nullus sine salutari Religionis virtute satis validus obex opponi poterit; perquam veritatis luce mentibus coruscante, atque in animos Sanctissimis christianae Legis praeceptis instillatis, conscientiae officiorumque naturae vocem persentiant homines, et prius quam manui, animo fraena iniiciantur, atque indomitarum cupiditatum impetus cohibeatur. — Itaque Religionem oppugnare idem est, ac Italiam subsidio orbare omnium potentissimo ad hostem, qui minacior in dies fit atque formidabilior, invicte debellandum.

Sed enimvero nonnulla Nobis alia dicenda supersunt. Quemadmodum in sociali, ut dicunt, rerum ordine bellum Religioni illatum per quam funestum Italiae futurum est, ac summopere perniciosum; ita et in ordine rerum politico, horum perduellium cum S. Sede, cum Romano Pontifice simultas praegrandium incommodorum Italiae fons est et origo. Neque vero hic huiusce rei demonstrationem conficere necesse est; sed ad id quod cogitamus integre expromendum, ultimas eius conclusiones paucis verbis proferre sufficit.

Bellum Romano Pontifici illatum, quod ad Italiam pertinet, domi quidem necessario portendit intimam divisionem inter Italiam, quam *officialem* vocant, et magnam alteram Italorum partem qui vere catholici sunt: omnis autem divisio imbecillitas est: hoc bello Religioni indicto, Italia profecto eorum, qui rei christianae conservandae sincerissime sunt addicti, favore et collatis viribus auxilio privatur: in ipso Nationis sinu religiosus conflictus enutritur, qui nunquam in bonum publicum cessit, sed semper ingruentium malorum, et futura gravissimarum punitionum germina secum fert.

Foris autem idem contra S. Sedem conflictus, Italiam eo quasi praestigio atque eximio decore destitueret, quo, si pacem cum Romano Pontifice haberet, certissime frueretur: omnium Catholicorum, qui in universo terrarum Orbe consistunt, animos ab ea aliénât; eamque cuiusvis generis privationibus, iisque gravissimis, subeuntis obnoxiam facit: ac demum quavis favente occasione, adversariis arma in ipsam quandolibet detorquenda suppeditare potest.

En prosperitas atque amplissimus honor, quem ii Italiae parant, qui eiusdem sortes moderantes, totis viribus, iuxta impia Sectarum vota, catholicam Religionem ac Romanum Pontificatum oppugnare atque evertere conantur.

Fac contra, omni conventione cum ipsis Sectis, et quavis conniventiâ semota, Religioni atque Ecclesiae, tamquam omnium validissimo rei publicae vertici veram libertatem, atque integrum suorum iurium exercitium relinqui, quam felix in Italia suae sortis immutatio eveniret! Detrimenta et pericula, quae uti eius belli consectaria, quod in Religionem et Ecclesiam modo geritur, paullo ante lamentabamur, cessante conflictu, omnino evanescerent. Haud satis: sed et amplissimus honor ac praeclara gloria, quorum Religio et Ecclesia fuit semper altrix foecundissimma, iterum in electo Italiae cathholicae solo florerent. Ex utriusque divina virtute publicae et privatae vitae morum correctio exinde sponte germinaret: naturalia Familiarum vincula confirmarentur, atque in omni Civium ordine, sub morali ac religioso Ecclesiae influxu, officii sensus, et fidelitatis, qua debet illud adimpleri, vividius excitaretur.

Sociales, ut aiunt, quaestiones, quae adeo omnium animos in praesenti distinent, ad optimam perfectamque solutionem, per practicam praeceptorum charitatis et iustitiae evangelicae applicationem, adducerentur: publica quaevis externa concessa libertas, quominus in licentiam degeneret prohibita, aequo bonoque agendo unice inserviret, ac vere hominis digna evaderet: scientiae propter veritatem, cuius Ecclesia Magistra est, et artes propter praepotentem inspirationem, quam Religio divinitus haurit, quamque in animos transfundendi arcanam ea sola callet rationem, in novum illico excellentiae decus conscenderunt

Reconciliata pace cum Ecclesia, religiosa unitas, ac civilis concordia arctius coagmentaretur: divisio cessaret inter Catholicos Ecclesiae fideles atque Italiam, quae hac ratione elementum ordinis ac salutis validissimum acquireret. Aequis romani Pontificis postulationibus, uti par est, exceptis, supremis eius iuribus agnitis ac vindicatio, eodemque romano Pontifice in eam iterum conditionem restituto, in qua vera, plena atque integra libertate frueretur, causa abesset, cur Catholici in reliquis Terrae partibus degentes, Italiam communi ipsorum Patri inimicam existimare deberent: qui non alieno impulsu permoti, neque illius rei, quam adeo expetunt, ignara; sed Fidei sensu, et officii di-

ctamine perducti, ad Eius, quem supremum animarum suarum Pastorem agnoscunt et regerentur, dignitatem libertatemque vindicandam una hodie simul attollunt vocem.

Quin imo ex vitae concordia cum Apostolica Sede Italiae honor atque aestimatio penes ceteros populos profecto excresceret; quae quidem Apostolica Sedes, quemadmodum speciali modo Italis, in medio eorum sita, praesentiae suae beneficia olim experienda dedit; ita Fidei thesauris, qui ex hoc benedictionis et salutis centro semper quaquaversus diffusi sunt, effecit, ut in omnes gentes spectabile ac reverendum Italicum nomen perfer•retur.

Italia cum Romano Pontifice reconciliata, suaeque Religioni fidelis, ad avitas glorias rite aemulandas adduceretur; quidquid vero est ac dicitur legitimus nostrorum temporum processus, calcar eidem italicae Nationi admoveret, ad ulterius in incoepto praeclarissimoque civili cursu alacriter progrediendum.

Roma autem Urbs antonomastice catholica, christianae Religionis centrum, et Christi Vicario Sedes divinitus praestituta, quod quidem suae stabilitatis et praeclarissimae gloriae tot praeterlapsis saeculis, ac tot tamque varios inter eventus, praecipuam fuisse causam Roma ipsa agnoscit, sub miti et paterno romani Pontificis imperio iterum collocata, id rursus esse inciperet, quod eam divina Providentia et saecula fecerant: haud quidem eo usque diminuta, ut sit parvi regni caput; nec binis aequalibus, iisdemque supremis, potestatibus distenta, qui *dualismus,* ut vulgo dicitur, toti huius Urbis historiae est prorsus ignotus : sed dignum catholici caput Orbis effecta, magna ac venerabilis Urbs ob Religionis et summi Sacerdotii maiestatem; honestatis civilisque culturae ceteris populis Magistra et exemplar.

Non sunt hae, Venerabiles Fratres, futiles mentis illusiones, sed spes perquam solido ac veraci fundamento innixae. — Propositio, quae iamdiu pervulgari coepit, Catholicos ac ipsum Pontificem Italiae hostes esse, et factionum, quae omnia subvertunt, fere totidem foederatos socios, omnino gratuita iniuria, atque imprudens calumnia est, ab Sectis studiose- sparsa^ ut sua perversa consilia hoc quasi pallio tegant, nec obicem offendant, qui in impio scelere patrando, quod est Italiam catholica Religione orbare, ipsis iter obstruât......Atqui......quod ex iis, quae hactenus disputavimus, evidentissime consequitur, hoc apprime verum

est, Catholicos Patriae suae omnium optimos amicos esse, eosque virilem veracemque amorem non modo erga avitam Religionem, sed etiam erga Patriam ostendere semet a Sectis avertentes, earumque spiritum et opera aversantes, ac totis viribus adnuentes,., ne Italia amittat, sed imo ut vividam tueatur Fidem; ne Ecclesiam impetat, sed ut eidem veluti filia fideliter serviat; ne Pontificatum hostiliter aggediatur, sed potius ut cum ipso reconcilietur.

In id, Ven. Fratres, toto pectore incumbite, ut populis lux Veritatis affulgeat, quatenus hi tandem intelligant, ubinam verum eorum bonum consistat, quaeque ipsorum maximopere interesse debet, vera salus; ac sibi persuadeant, tantummodo ex fideli Religionis observantia, atque ex sincera animorum concordia cum Ecclesia et Romano Pontifice, denuo tempora, Avorum praeclare gestis digna, ab Italica Natione sperari posse.

Quod ut adverterent percuperemus haud quaquam Sectis quibuslibet addicti, qui data opera, et firmo animi proposito, super christianae Religionis, per ipsos, ut opinantur, disiiciendae, ruinas, novam huius Peninsulae nostrae civilemque constitutionem fundare contendunt : sed ceteri potius, qui quamvis haec adeo prava proposita non admittant, Sectarum tamen operam, politica earumdem consilia obsecundando, coadiuvant; praesertim vero iuvenes, adeo ob experientiae defectum et praevalens sensuum imperium, ad aberrandum faciles. Nos vehementer excupimus, ut omnes sibi persuadeant, incoeptum iter funestum Italiae futurum esse, et si Nos iterum periculum denunciamus, ad hoc agendum nulla alia re Nos impelli, quam officii conscientia, et in Patriam amore.

Verumtamen ad mentes illuminandas, nostrisque conatibus efficaciam addendam, e Coelo in primis opus est opportunum auxilium implorare. Ideoque, Venerabiles Fratres, cum industriosa ac communi omnium nostrum actione piae preces coniungantur; sintque hae universales, constantes ac fervidae, quae suavem divino Cordi vim inferant, atque huic nostrae Italiae ita Deum propitium faciant, ut omne ab ipsa infortunium, ac illud praesertim quod omnium esset multo terribilissimum, Fidei videlicet iacturam, avertat.

Mediatricem apud Deum Beatissimam Virginem Mariam adhibeamus, Invictissimam mystici Rosarii Reginam, quae adeo internis hostibus praevalet, quaeque maternae suae dilectionis effectus toties Italiae persentire concessit.

Ad Sanctissimos etiam Apostolos Petrum et Paulum fidentissime confugiamus, qui hanc benedictam terram Fidei subegerunt, suis laboribus sanctificaverunt, suo demum sanguine irrigarunt

Interim coelestium auxiliorum, quae vobis enixe adprecamur, auspex, et specialissimi in Vos amoris pignus sit Apostolica benedictio, quam ex intimis visceribus Vobis, Ven. Fratres, Vestro Clero, et universo Italiae populo impertimus.

Datum Romae apud Sanet. Petrum Idibus Octobris anno MDCCCLXXXX. Pontificatus nostri XIII.

LEO PAPA XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FULGINATEN.

CONVENTOS CASUUM MORALIUM QUOAD CANONICOS

Die 6 Iulii 1889 et die 12 Iulii 1890.

Sess. 24 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In Dioecesi fulginatensi antiqua consuetudo viget, qua Canonici et Dignitates a solvendis casibus, qui proponuntur in conventibus de re morali et liturgica, eximuntur: cum tamen inde plura sequantur incommoda, iis occurrere cupiens Episcopus, a S. C. C. quaestionum quarumdam solutionem exposcit. Integra eius verba referre praestat:

« Praecepto summorum Pontificum, inter quos eminet Benedictus XIII, quo fit ut omnes sacerdotes teneantur adesse menstruo conventui de re morali et liturgica , nostra hac aetate novae accedunt causae, quarum vi nullimode expediat, Canonicos et Dignitates ab hac obligatione eximere; nam 1. contingit ob exiguitatem numeri sacerdotum, ut in hac nostra fulginatensi Dioecesi, hos conventus ea methodo

et utilitate, qua summi Pontifices praescripsere, haberi nequeant, si Canonici et Dignitates ab hac obligatione tum adeundi, tum quaestiones morales solvendi eximantur; 2 cum necessitas Episcopos cogat, ut inter Canonicos et Dignitates adnumerent Sacerdotes satis exigua scientia praeditos, saepe fit ut inter Canonicos adsint aliqui, de quorum scientia, ad munera sacerdotalia, quoad sacramenta sufficienti, Episcopus vel notitiam non habet, vel certo scit eam esse insufficientem. Tamen Episcopo praecipienti omnibus sacerdotibus ut conventui de re morali adsint, et quaestiones solvant, Canonici et Dignitates asserunt non teneri ad casus solvendos, tum quia adest consuetudo antiqua eos eximens, tum quia, aiunt, indecorum esse Canonicos et Dignitates ceteris Sacerdotibus aequiparare. Cum vero, ut diximus, res eo deducta sit, ut si Canonici aliqua ratione excipiantur, fere impossibile sit summorum Pontificum praecepta exequi, et nullimode scientia sacerdotum, cuius defectus ob temporum iniquitatem, in diem maior evadit, possit promoveri, humillime peto, ut dubium in calce relatum solvere velitis.

Disceptatio Synoptica

CONSUETUDO DELENDA VIDETUR. Animadversum fuit quod coetus huiusmodi, in quibus de re morali aut liturgica disceptatur, antiquissimi erant et receptissimi ultra montes, ubi vel semel vel bis in anno coram Archidiaconis vel Decanis ruralibus habebantur. Thomassin. *De Y. et N. Eccl. disciplina, tom. 2 lib, 3 cap. 74 n. 10 seq, et cap. 76 per totum.* Eos vero antea in Italia inusitatos primus instituit s. Carolus Borromaeus, *Conc. 1 Mediolanen. cap. 29,* quem dein plurimi Episcopi sunt secuti cfr. folium causae *Treviren, Iurisdict. 2 Aprii. 1729,* et Lucidi *de Visitatione ss. U. cap. 3 § 14.*

Speciatim vero Benedictus XIII in Concilio Romano anni 1715 *tit. 15, cap. 9,* Episcopos Romanae provinciae, ad quam pertinere Fulginatensem ecclesiam notandum est, hac de re ita graviter monebat: « Quocirca operae pretium

ducant Episcopi omnemque curam ac diligentiam adhibere non desistant, quousque Congregationes, tum in civitatibus, tum in Dioecesibus, per omnes de clero, sacris initiatos, Canonicos, Parochos, et Confessarios, Regulares etiam, dummodo morales in eorum conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis confessionibus suspendendos, semel in unaquaque hebdomada, certoque designando die et sub certa pecuniaria poena contra contumaces, habeantur, in quibus alternatim et Rituum et Conscientiae sasus proponantur, discutiantur, et practice exerceantur, methodo servata synodali, quae legitur in Appendice. »

Imo, ut ait Lucidi *L c.* Benedictus XIII non alia de causa Episcopos in relatione *ad Limina*, rogari voluit « an habeantur conferentiae theologiae moralis et sacrorum rituum, nisi quod Apostolicae Sedis ea mens sit, ut nedum in Romana provincia, sed ubique locorum huiusmodi sacerdotales coetus celebrentur. « Cum per eam, Benedictinam scilicet Instructionem, moneantur Episcopi ut S. C. Concilii de eiusmodi conventibus ecclesiasticis certiorem faciant, si Sedi Apostolicae parendum est, ut nemo dubitat, eosdem quoque clericorum conventus habendos esse nemo iññciabitur. » Benedictus XIV *Instit. 32 n. 7.* Hinc est quod S. C. C. illud solemne est ut laudibus prosequatur Episcopos, qui tales conventus in suis Dioecesibus instituunt, aut forsitam aliquamdiu interruptus restituunt; instet vero semper et inculcet, ut in locis ubi nullatenus eos servari deprehendat., quamprimum inducantur. - Ast in themate quoad Dioecesim fulginatensem harum congregationum celebratio, nedum implicito ac generali decreto, sed et expressa ac peculiari lege provincialis romani Concilii sub Benedicto XIII iubetur. Quapropter nullum in hac re moveri potest dubium, nec reapse movetur.

Sed quaestio est de iis qmi hisce conventibus interesse et casuum solutionem praebere teneantur: contendunt enim cathedralis canonici se exemptos sin minus esse a....casuum solutione, idque ob duplicem causam 1. ob antiquam consue-

fudinem, 2. in sui gradus obsequium, nam « indecorum esse, aiunt, canonicos et dignitates ceteris sacerdotibus aequiparare.

At ex altera parte militat lex. Etenim si ante Benedictum XIII et provinciale romanum Concilium ab eo celebratum a. 1725 disputari poterat, num canonici, qua tales, conventibus casuum conscientiae interesse tenerentur; - in antiquis enim S. C. C. resolutionibus, ut die 15 Martii 1692 cautum invenitur, Episcopos « posse compellere omnes sacerdotes saeculares *confessarios,* ceteros vero non posse compellere, sed hortari, » ideoque ne canonicos quidem , qua tales, sed tantummodo qua confessarios; - attamen post Benedictum XIII strictior inolevit disciplina, ac passim a S. C. C. declaratum est, canonicos licet sacro confessionum ministerio non mancipatos, et generatim omnes in maioribus ordinibus constitutos, eisdem coetibus intervenire debere et ad eos cogi legitime posse, praesertim si accedat praescriptio synodalis. Ita in *Acer. 13 Aug. 1727,* in *Lariñen. 30 Aug. 1732, m Salernitana E dict. 27 Sept. 1732;* et in *Fulginaten. 29 April.* 1780 relata in folio *Fulginaten. 14 Dec, 1782,* in qua responsum est, Episcopum posse cogere omnes clericos in sacris constitutos, itemque protonotarios Apostolicos non participantes, ut assistant Congregationibus casuum, et reluctantes punire, iuxta modum a Concilio romano praefinitum. Et re sane vera Concilium romanum loco superius citato, adesse cogit « omnes de clero sacris initiatus, canonicos, parochos, et confessarios..... sub certa poena pecuniaria. > Qua in enumeratione quum a confessariis ceteri omnes distinguantur, patet eo praetextu, quod scilicet confessiones non excipiant, ipsos nullatenus posse ab obligatione casibus interveniendi se eximere. In themate autem de canonicis fulginatensibus res est.

Ulterius autem, eos omnes qui adesse tenentur, cogi quoque posse, ut casus solvant, non videtur ambigendum. Nec enim quemquam ratione sive canonicatus sive dignitatis ab hoc onere exemptum reperire est. Imo in methodo

illa synodali, publicata in Appendice Concilii romani an. 1725, atque ex iussu eiusdem Concilii servanda, nulla facta distinctione inter canonicos aliosque intervenire iussos, in §. 7 disponitur, ut circa unumquemque casum discurrant saltem duo. Sed non modo ad preparatoriam hanc, ut ita dicam, discussionem cogi posse omnes intervenientes, sed etiam ad solutionem proprie dictam seu conclusionalem, patet ex eodem loco. Ex his satis patet Concilii Romani mentem fuisse, ut non solum passiva quaedam interessentia, sed activa quoque participatio ab omnibus quos adesse cogebat, exigi posset. Et haec quoque alia est praxis, quam pro sua Dioecesi Bononiensi urgebat Benedictus XIV *Instit. 32.*

Neque deest congrua huius disciplinae ratio: quandoquidem verendum est, ne qui a sententia dicenda exempti sunt, imparati, ne lecto quidem casu de quo agitur, accedant, et sic vel plane nullam vel fere ex hac institutione utilitatem percipiant, sicque legislatoris qui eos intervenire voluit, intentio frustretur.

Inficias quidem iri non posset in datis quibusdam adiunctis per consuetudinem fieri, ut ab onere saltem respondendi casibus certa cleri portio eximatur. Attamen statim ac huiusmodi consuetudo, paulatim mutatis adiunctis, institutionem ipsam tantopere commendatam in discrimen adducat, ubi ignorantiae fomentum seu tutamen existat, ubi Episcopo fere impossibilem reddat necessariam scientiae sui cleri notitiam, ubi denique inconvenientia magna, qualia queritur Episcopus fulginatensis, ex ea sequantur, illam prorsus irrationabilem fieri, corruptelam esse, ac proin non modo tolli iure merito posse, sed nec tollerari debere quisque facile intelligit. Ita sane Benedictus XIV consuetudinem in Dioecesi bononiensi inolitam, ut qui semel responderat, dimitti iam in urnam non soleret, nisi postquam reliqui omnes educti eodem munere perfuncti fuissent, ob quam rem certissimum plures habebant, nonnisi post diuturnum tempus sibi eam provinciam iterum subeundam fore, in *Insta, sua 32*

prorsus aboie vit. Ita quoque S. C. C. in citata iam causa *Acerr.* ad quaesitum VP[m], « an Canonici qui respondere debent casibus moralibus, in dicta Congregatione proponendis, teneantur pati extractionem, ut dicitur, a sorte, sive potius servanda sit consuetudo respondendi, » rescribendum censuit : affirmative ad primam partem, negative ad secundam . »

Si itaque ad eximendos canonicos a casuum solutione consuetudo, licet antiqua, adduci non potest, eo minus altera valebit quae poponitur ratio. « Indecorum enim esse , aiunt, canonicos et dignitates ceteris sacerdotibus aequiparare. » At revera neque Romanum Concilium anni 1725, neque Benedictus XIV, neque ceteri Pontifices, neque S. C C . indecorum unquam deprehenderunt canonicos cum ceteris de clero de re morali et liturgica agere et disputare, sententiam ve proferre. Non enim a ceteris sacerdotibus tam remoti celsioresque sunt canonici, qui cum iis couti absque dignitatis detrimento non possint. Quapropter allegata exceptio aut est tumescentis superbiae argumentum, aut commodae ignaviae excusatio, aut turpis ignorantiae confessio : ideoque nulla ex parte admittenda.

Sub die 6 Iulii 1889 Sacra Congregatio Concilii censuit respondere: *Dilata et audiatur Capitulum.*

Tum Canonici fulginatenses, qui servare consuetudinem antiquam, etsi iuri communi contrariam, enixe contendunt, multa pro re sua concesserunt motiva, tum congruentiae, tum aequitatis. Quibus deductionibus Capituli respondere curavit, aut earum momenta imminuere studuit Episcopus ut lex seu commune ius vim suam vindicaret.

Tandem expositis ab utraque parte deductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An possit Episcopus cogere omnes sacerdotes, non exceptis canonicis et dignitatibus, ut adsint conventui de re •morali et liturgica, et, ductis sortibus quaestionum solutio-

nem scripto vel oretenus praebeant; vel potius standum sit consuetudini in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re iterum discussa, sub die 12 Iulii 1890, censuit respondere: *Servetur consuetudo.*

EX QUIBUS COLLIGES. Consuetudinem antiquam favore canonicorum praevaluisse legi communi, novamque constituisse legem privilegii.

ROMANA

EXECUTIONE RESCRIPTI

Die 10 Maii 1890.

Sess. 24 cap. 2 De reform.

COXMPENDIUM FACTI. Ioseph Santarelli Romanus, utpote patronus cuiusdam laicalis capellaniae erectae in ecclesia ss. Stigmatum Urbis, vertente anno 1876 ad eius redemptionem egit, ne fiscus, nefaria lege fretus, eiusdem capellaniae bona occuparet. Solvendae erant demanio libellae 649; sed cum patronus hanc pecuniam proferre non posset, ipsamet archisodalitas ss. Stigmatum, cuius curae ecclesia est concredita, id praestitit: sors recuperata est, statimque in manuales schedas publici census italici collocata, et ab ipso patrono sodalitati custodiae concredita.

Verum ad indemnem reddendam sodalitatem de praestita 649 libellarum summa eiusque usuris aliisque expensis, petitum et obtentum est, ut missarum onera ad concurrentem summam 868 libellarum suspenderentur.- Missarum numerus in fundatione praescriptus 145 est: annuus reditus 185 libellas nominatim attingit, sed divitiarum mobilium tributo purgatus ad 160 libellas decrescit: unde in praesentiarum, imo a nonnullis annis, aere alieno ad capellaniae redemptionem contracto, ex ipso capellaniae reditu, penitus satisfactum est.

In hoc rerum statu, Ioseph Santarelli supplicibus litteris diei 17 Februarii 1886 a SSmo exorabat, ut schedae publici

census sodalitati concreditae venderentur, et in alio tutiori et utiliori investimento collocarentur, simulque ut missarum onera reducerentur, ad effectum, ut, auctis hinc proventibus, oneribus illinc imminutis, residuum sibi tribueretur ad educationem filii, ecclesiasticum statum optantis.

Sodalitas ad rem ac de more interrogata, patroni petitioni se opposuit, idque S. O. C. significavit.

At iterum iterumque instante Santarellio, denuo interrogata est Archiconfraternitas, quae tamen a suscepta sententia minime deflexit; imo in specie ad reductionem missarum, eam haud esse permittendam addidit, quia Ecclesia caret missarum applicatione, et dicta pecunia parvum reditum exhibet pro Missis.

Hoc tamen non obstante ex audientia SSmi diei 7 Martii 1887 rescriptum est : - *Collocata enunciata summa in tutiori ac utiliori investimento, pro gratia reductionis oneris missarum ad effectum percipiendi, ex annuis fructibus eiusdem summam annuam libellarum 80, ad effectum de quo in precibus, ad triennium.* -

Hoc rescriptum sodalitati maxime displicuit; ideoque datis litteris statim significavit spem se fovere, fore ut S. C C. revocet dictum rescriptum rationibus usque tum allegatis melius perpensis, et attento etiam novo quod tunc afferebatur documento a Santarellio subscripto, quocum ille , post redemptam capellaniam, dum Schedas census sodalitati tradebat, simul declaraverat, tradere Superioribus Sodalitii vim pecuniae, ut perpetuo asservaretur pro missarum celebratione in dicta Ecclesia.

Attamen in hoc consilio, petendi scilicet apostolici rescripti revocationem, haud diu perstitisse videtur confraternitas. Quin imo ex ipso pii sodalitii testimonio constat, quod cum Sanfarellius pro rescripti executione apud confratres instaret, rogatus fuit ut exhiberet collocationis schema. Quod cum ille fecisset, praesentatum tamen collocationis schema non placuit, imo in congregatione diei 19 Iulii 1887 reiectum fuit, et ideo controversia instaurata est, et lis de-

imo efferbuit, alio tamen sub respectu, nempe relate ad executionem rescripti.

Hinc enim patronus ad eam esse deveniendum fatebatur, urgebat : illinc sodalitatis moderatores noxium id esse excipiebant.

Disceptatio Synoptica.

QUAE PATRONO ADVERSANTUR. In primis ad apostolici rescripti executionem differendam gravia profecto argumenta, militabant. Rescriptum enim ferebat, capellaniae sortem *in tutiori et utiliori investimento* esse collocandam; quae verba conditionem ac modum praefinire videbantur; adeo ut si tutior ac utilior pro re nata non daretur pecuniae collocatio, sed potius deterior, interim nil fieri oporteret, et ex ipso rescripti tenore ab executione supersedendum foret. Haec est enim conditionis appositae vis, ut quamdiu pendet, aut si defecerit, nihil debeatur, *L. 4 § pen. De stat. lib. 31 De condit, et démons,* et *L. 4 De cond. in ser.*

Porro in his adiunctis res proprie fuisse videtur ex relatione ipsa Primicerii, innixa votis Advocatorum Sodalitii.

Nec obiici potest, his non obstantibus , ob reverentiam A. Sedi debitam, rescriptum ad executionem fuisse utcumque demandandum. Quandoquidem in primis ipso Tridentino auctore in *cap. 5 sess. 13* et *sess. 22 cap. 6 De reform.* et iuxta communem doctrinam apud Schmalzgrueber *lib. 1, tit. 4 De rescrip. num 34* et Garcia *De benef. cap. 2 num. 71* scimus, quod in rescripto gratiae si nullum certum tempus executioni praefixum sit, intra 30 dies a praesentatione apostolicae litterae ad actum debent traduci, attamen non semper, neque utcumque, sed « nisi obstet legitimum impedimentum vel contradictor. > Quo in casu Ordinarius terminum ad allegandum praefinire debet contradictori, et, cognita causa, de eadem pronuntiare. Quod si executio differatur ex negligentia vel malitia executoris vel praetextu quod litterae vitio infectae sint et impetrans ini-, doneus, gravamen istud est removendum praesidio appella-

tionis ad Papam. Quapropter in themate obsequio, apostolicis litteris debito, haud defecisse videtur Primicerius, imo potius suo muneri satisfecisse, si in iis adiunctis, idest cum gravia obstacula obviam venirent et sodalitas contradiceret, a rescripti executione supersedendum duxit et ad S. O. O. recurrit. Quae conclusio firmius tenenda est, si consideretur quod in casu nostro, iuxta superius dicta, res erat de rescripto quasi sub conditione et modo exarato, quod proinde, conditione ac modo exulantibus, nedum legitime et sine offensa, sed necessario et ex officio ab executione repelli oportebat.

Imo cum etiam nunc, iuxta sodalitatis moderatores, eaedem circumstantiae perdurent, hinc adhuc protrahenda rescripti executio videtur, saltem usque dum *tutior et tctilior* sortis collocatio reapse inveniatur. Idque eo vel magis quod grave sodalitati sit, sortem legati deperdere, et subsidium Santarellio erogare etiam attento quod missae Capellaniae Santarelli iam de ordine S. Patris imminutae fuerint, causa necessitatum Sodalitii, et subtrahi nequiret pars eleemosynarum.

QUAE PATRONO FAVENT. At ex altera parte considerandum est, apostolicum rescriptum non una dumtaxat atque indivisibili parte constare, sed duplici potius ac distincta : imo dum collocatio pecuniae in tutiori et utiliori investimento praeceptum aliquod peculiare sapit, gratia proprie constituitur ex subsequentibus, ubi reductio oneris missarum, ad efctum ut patronus subsidium 80 libellarum percipiat, signatur et sancitur. Porro neminem fugit quod gratiosa haec rescripti pars independenter ab altera subsistere potest. Et ideo, cum purgatus capellaniae proventus 160 libellas attingat, 80 libellis in patroni favorem etiam erogatis, dimidium adhuc pecuniae pro missarum applicatione et in ecclesiae beneficium permanet.

Nec videtur sodalitas ius titulumve habere prohibendi , ne Santarellius concessum subsidium percipiat. Quandoquidem misso etiam quod sine petita et obtenta a SSmo venia

loquendi, idest *aperitionis oris,* ius reclamandi contra apostolicas litteras forte deesset; perpendi insuper debet sodalitatem non esse dominam aut patronam capellaniae , sed dumtaxat sortis depositariam et custodem. Et quamvis sodalitium semel atque iterum provocet ad pecuniam pro capellaniae redemptione a se commodatam, nil tamen inde proficere potest. Nam cum de commodata summa, eiusque usuris aliisque expensis quamprimum atque ad unguem indemnis facta fuerit sodalitas ex missarum suspensione, verius ac congruentius dici oportet, ipsammet capellaniam suismet proventibus se redemisse; et nullum ferme meritum sodalitatem iuvare. Quin imo si cui laus tribuenda peculiariter est, id potissimum Santarellio debetur, qui dum sortem in manibus tenebat, eamque pro lubitu sibi servare poterat, ex conscientia tamen dimisit, et sodalitati concredidit.

Unde tandem videtur argumentum in sodalitatem rétorquer! merito posse et quasi *ad hominem* inferri: siquidem maius erga capellaniam meritum ac ius patrono est quam sodalitati: si itaque iustum visum est sodalitati onera reduci et missarum stipendia in ecclesiae commodum augeri, ceu ipsa fatetur; aequum iustumque a fortiori debet habere, simile beneficium in patroni utilitatem constitui et esse concessum. Perspicua namque sunt iura patroni. Sane *cap. Nobis 25 De iurepatr.* expresse disponit, quod si patronus « ad inopiam vergat, ab ecclesia illi modeste succurratur , sicut in sacris est canonibus institutum. » Et in *cap. Quicumque 30 caus. 16 q. 7* pariter cavetur: « Quicumque fidelium propria devotione de facultatibus suis aliquid ecclesiae contulerint, si forte ipsi aut filii eorum reducti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant.

Nec magis denique movet altera obiectio de inutilitate subsidii in pueruli aeducationem impendendi; quandoquidem de hoc SSmus iam iudicavit et idcirco de eo loqui, praesertim sine venia, amplius non licet. Unde concludi ex his omnibus potest, secundam rescripti partem, quae est de re-

ducendo missarum numero et subsidio 80¿libellarum patrono per triennium praestando, ad executionem optime mandari posse, licet prima rescripti pars, quae est de utiliori sortis collocatione, ad actum traduci tempestive non posset.

At forte ulterius etiam progredi licet, et argumenta proferre ad demostrandum, quod, si voluntas succurrat, ipsa haec prima rescripti pars ad actum deduci possit. Sane effectus omnis rescripti legitime interpretati hic est, quod in negotiis et inter personas in quibus et inter quas rescriptum conceditur ius statuat et ad observantiam et executionem obliget omnes ad quos dirigitur. *Cfr. L. Quae ex relat. 2 C. De leg.* Atqui controversa rescripti pars, quae ita sonat - *collocata enunciata summa in tutiori et utiliori investimento* - ius evidenter dicit nedum patrono sed etiam sodalitati, imo huic magis quam illi, utpote quia sodalitas sortis depositaria est. Quapropter haud sufficiebat dicere, patronum tutiorem et utiliorem collocationem non invenisse, sed forte ipsamet sodalitas huic officio vacare debebat, et quaerere utrum optata haec utilior collocatio, aliquo modo daretur. At vero iuxta patronum defuit id faciendi voluntas.

De cetero cum, his attentis, ipsemet Santarellius sortem repetiisset, ut eam in rustico praedio investiret, haud licuisset, iuxta ipsum, restitutionem recusare hisce potissimum de causis, nempe 1. quia reditus quotidie excidit unde capellaniae sors in dies imminuitur; 2. quia lex de piis operibus imminet; ideoque periculum omnia amittendi instat; 3. tandem quia investimentum propositum erat extra urbem super fundum decupli pretii pecuniae mutuandae , et idcirco tuta videbatur collocatio pecuniae.

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo ad executionem demandandum sit rescriptum diei 7 Martii 1887 in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die

10 Maii 1890, censuit respondere: *Consulendum SSmo, ut, dempta clausula collocandi summam in utiliori investimento, facultatem tribuat s. Congregationi concedendi ulteriorem Missarum reductionem ad effectum tribuendi petitum subsidium oratori; et ad mentem.*

WRATISL AVIEN.

IRREGULARITATIS

Die 9 Augusti 189O.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus ^Vratislaviensis, his litteris nuper ad S. Sedem recurrit: « Exponitur humillime Sanctitati Vestrae ex parte devotorum illius oratorum Henrici Bienau, Edmundi HolthofF, Francisci Forsshe, Iosephi Golenia, Bernardi Ioppich, Antonii Bugiel, Dioecesis wratislaviensis sub ditione borussica in Seminario meo clericali degentium, quod ipsi sacra tonsura et ordinibus summopere cupiunt initiari. Sed quoniam dicti oratores, in Universitate litterarum wratislaviensi quondam studiosi, duellorum complices extiterunt, nempe Henricus Bienau semel duellum perpetrando, et centies quinquagies vel cooperando vel spectando; deinde tamquam spectatores Iosephus Golenia semel, Franciscus Forsche bis , Edmundus Holthon et Bernardus Ioppich pluries, Antonius Bugiel denique quater vel quinquies ad monomachiam provocando vel provocationem acceptando, omnes irregularitate irretiti videntur. Attamen quaestio exorta est, utrum ex defectu famae secundum s. Conc. Trid. *24, cap. 19 De ref.,* an ex defectu lenitatis irregulares sint. In tali enim casu hucusque, secundum communem opinionem et usum in civitate ac Dioecesi wratislaviensi vigentem, defectum lenitatis adesse statuebatur ; cum duellum, ut fere his temporibus inter Universitatis studiosos committitur, ludus potius temerarius vitaeque periculo carens, quam res magni momenti existimetur, et spectatores

mera curiositate, non consensu plerumque adducti sint. A defectu lenitatis absolvendi Sanctitas Vestra, ut praedecessoribus meis, sic mihi quoque facultatem die 23 Iunii a. pr. benignissime impertita est. Sed ut in hac re in posterum quodvis dubium tollatur, Sanctitati Vestrae humillime supplico, ut Ipsa gratiosissime velit declarare, a quanam irregularitate in tali casu dispensandum sit. »

Disceptatio Synoptica.

Ante iuridicam disceptationem in subiecta materia praemonita fuerunt nonnulla quoad genus ac modum horum duello rum quae inter ephebos scholarum praesertim Universitatum germanicarum alumnos passim obtinent.

Nonnunquam profecto inter studiosos illarum accademiarum duella eodem more quo in ceteris regionibus locum habent. Sed plerumque non ita. Duella enim scholariorum, quae etiam peculiari nomine vocantur, in eo consistunt, ut duellantes, armis specialibus, idest parvo quodam cultro, utentes, et ceteris partibus corporibus bene tectis, sibi in faciem, incisionem seu vulnus inferant, cuius tamen vestigia plerumque brevi tempore oblitescunt. Nullatenus igitur mors vel mutilatio intenditur, atque rarissime et nonnisi per accidens, ex imprudentia aut ex alia causa a duello extrinseca, haec tristia facta accidunt. Nec semper proprie ex vindicta vel ob honorem reparandum duella haec committuntur, sed potissimum Iudi, crudelis profecto, vel exercitationis gratia. Ad hunc effectum imo, sub specie nempe huius Iudi vel exercitationis praestandi ac fovendi, adsunt inter universitatis discipulos societates, in quibus pro obtinendo altiore gradu certus duel lorum instituendorum numerus praescribitur, et, quodam tempore sine duellis transacto, praesides societatum pro praetextibus susci tandis ad duella instituenda conveniunt. Generatim catholici ab his facinoribus se abstinent, non tamen semper, quia, ut Archiepiscopus in suo libello meminit, duella huiusmodi ludus potius

temerarius vitaeque periculo carens, quam res magni momenti aestimatur.

DUELLANTES VIDENTUR NOTARI INFAMIAE IURIS. De US itaque qui hisce certaminibus dant operam quaerit Praesul, an in irregularitatem incidant, et utrum ex defectu famae an potius ex defectu lenitatis. Materiam valde implexam ingredimur; nam « irregularitatis cognitio difficilis est et perplexa, non quidem per se, sed quia permulti omnia susdeque verterunt ac vertunt », ut cum Sayrio Emus d'x4nnibale in sua *Summul. tom. I p. 400 edit. 3.* notat. Cuius rei argumentum habetur in ipso qui proponitur supplex libellus. Nam in eo supponitur, imo communiter receptum dicitur, quod in scholariorum monomachiis irregularitas ex defectu lenitatis contrahatur.

At vero irregularitas ex defectu lenitatis ab iis dumtaxat contrahitur, qui ad iudicium sanguinis, idest ad hominis occisionem vel, ut olim contingebat, ad mutilationem, sponte sua et publica auctoritate iuste concurrunt , aut ab iis qui in iusto bello offensivo hostem occidunt aut mutilant. Insuper etiam in iis casibus nonnisi mortis aut mutilationis, effectu sequuto, irregularitas contrahitur. Haec communia sunt apud receptissimos DD. ut Reiffenstuel. ad *lib. 5 Deer. tit. 12 § 3 n. 75* Ferraris *v. Irreg. art. 1* Emus d'Annibale *I. cit. p. 423 seq.* Uno verbo defectus lenitatis contrahitur, quoties humanus sanguis iuste vel in bello vel in causa capitali funditur.

At in duellis nil horum habetur, nam non in publico bello offensivo, non ex formali iudicio, non iuste sed iniustissime, privato arbitrio et crudeli ratione humanus sanguis effunditur. Quapropter tam longe est, ut in his certaminibus quaestio sit de lenitatis defectu, ut de irregularitate ex delicto casus possit potius contingere. Quoties enim ex duello homicidium vel mutilatio sequatur, praeter reliquas poenas, irregularitatem ex homicidii vel mutilationis crimine insuper contrahi nemini dubium videtur. Emus D'Annibale *Comment: ad Const. Ap. Sedis n. 102.*

Verum monomachiae, de quibus quaestio, inter discipulos contingentes, ad haec extrema se porrigere non videntur; nam mortem ex his numquam sequi posse nisi per accidens, et mutilationem, quae est membri alicuius, proprium et distinctum officium habentis, ut ecce oculi aut brachii, abscissio, nonnisi extraordinario et rarissime evenire posse fertur. Ceterum quum etiam in his casibus irregularitas non contrahatur, nisi effectu sequuto, idest eruto oculo, brachio abscisso etc., aut morte illata; iam non potest generice quidquam praestitui, sed in singulis casibus quaestio est dirimenda. Habebitur namque irregularitas ex delicto, quoties mors aut mutilatio contigerit; non habebitur, quoties haec facta deficiant.

Ast poena, quae duellis semper affixa est, et ex qua peculiaris irregularitatis macula ortum habet, esc *infamia.* Sane Conc. Trid. *sess. 24 cap. 19,* duellantes eorumque patrinos ut perpetuo infames habendos esse declaravit. « Qui vero pugnam, duellum, commiserint, ait, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum praescriptionis, ac *perpetuae infamiae* poenam incurrant. » Iamvero infames irregulares sunt, et exinde ordines ecclesiasticos suscipere prohibentur. *Can. fin. dist. 51; can. Infames caus. 6, 9, 1;* Reinffenst. *L. V. t. 37, n. 59;* Ferrar., *v. Infamia n. 12.* Et quum agatur de infamia iuris, ipso facto admissi delicti contracta, nonnisi auctoritate Principis seu dispensatione pontificia auferri potest. Ferrar. *I. c. 22* cum communi.

Quibus positis, considerandum venit num duella, de quibus in themate quaeritur, hac lege Tridentina comprehendantur. - Porro graves rationes occurrunt, quae sententiam affirmativam suadent. Omnia enim elementa quae DD. ad duellum requirunt, in casu nostro etiam reperiri videntur. « Duellum proprie dictum, seu monomachia est pugna inita inter duos vel plures in pari numero, privata auctoritate, et ex condicto, statuto loco, et tempore, cum periculo occisionis, mutilationis *vel vulneris.* » Ita Ferrar, *v. Duellum, n. 1.*

Duellum, ait Lehmkuhl, dicitur pugna singularis, ex condicto armis ad occidendum *sive graviter vulneraridum aptis. Theol. mor. vol.* i, *n. 850.* Ceterum haec definitio in re est communis inter auctores. Ferrar. *I. e.* iamvero cuncta huius definitionis elementa in casu, de quo agimus, verificantur. Licet enim non adsit periculum occisionis, nec proprie dictae mutilationis; adest tamen certum vulneris periculum: quod sufficere videtur ut duellum proprie dictum haec scholariorum pugna censeatur.

Praeterea, ut sit duellum, non oportet illud esse fatale ; nam decernit Clemens VIII Const. *Illius vices* anni 1592, tanquam duella proprie dicta eiusque poenis subiecta illa etiam esse habenda, quae cum pacto ineuntur « de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit seu sanguinem fuderit. » Imo Bened. XIV const. *Detestabilem* anni 1725 sequentem thesim proscripsit: « Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, *quando certo sciunt pugnam non esse secuturam,* utpote ab aliis impediendam. » Duellum igitur haberi videtur,^etiamsi periculum occisionis vel mutilationis non adsit.

Ulterius, haec effera certamina, de quibus sermo habetur, rectae rationi et legibus ecclesiasticis ex iisdem motivis repugnant, ac si cum periculo occisionis vel mutilationis instituerentur. Quanquam enim quandoque non proprie ad vindictam sumendam vel ad honorem reparandum sequi videantur, semper tamen sub specie saltem vindictae sumendae aut honoris reparandi ineuntur, atque viam ad graviora duella cum periculo occisionis et mutilationis sternunt. Ceterum ad solum ostendendum animum, vires, vel peritiam certandi neutiquam licere duellum, patet ex c. *1 De toreament.j* ubi id expresse reiicitur. Reiffens. *ad lib. 5 Decret. 14, n. 36.* Unde docet Emus D'Annibale *Sum. edit. 2 vol. 2 p. 207;* « Si nihil horum desit, nempe 1. singulare certamen, 2. ex condicto susceptum , 3. armis lethalibus,

nihil refert qua de causa initum fuit, v. g. spectaculi, ut olim, aut virtutis ostendendae causa. »

Imo, ubi DD. expresse tractant de requisitis ut quis poenas in duellantes statutas incurrat, eodem omnino loco habent periculum occisionis et mutilationis atque periculum vulneris. Unde ait Pignatelli: « Requiritur, ut duellum fìat cum periculo occisionis *vel vulneris.* Duellum enim prohibetur sub censuris ob grave periculum occisionis, vel mutilationis, *aut vulneris.* » Ita etiam Ferrar. *I. c. n. 6.*

Ex dictis igitur asseri posse videtur, duellantes eorumque patrinos irregularitatem ex infamia iuris incurrere.

Nec obiiciatur, duellantes huiusmodi infamia de facto non notari, ideoque nec contrahere irregularitatem. Nam infamia iuris ad morum correctionem, in poenam delicti, et in *detestabilis duellorum usus* exstirpatione!» a Tridentino inducta contraria aliqua consuetudine et opinione vulgari tolli neutiquam potest. Huiusmodi enim consuetudo nervum ecclesiasticae disciplinae disrumperet et ideo ex *cap. 5 De consuet.* nihil valet.

Quae conclusio ex analogia insuper firmatur. Sane quidam auctores existimarunt ac tradiderunt in iis regionibus ubi publica et vulgaris infamia ex haeresi non sequitur, acatholicos ad fidem conversos non reputari irregulares, et sine difficultate ad ordines sacros admitti posse. Layman *L. 1 tract. 5 p. 5.* At quantum id sit contra sensum Ecclesiae patet ex responso S. Officii diei 11 Iulii 1884 ad Episcopum Harlensem, cui mittebatur decretum in *Posen,* diei 25 Iulii 1866, ubi ita legitur: « Filios haereticorum, qui in haeresi persistunt et mortui sunt, esse irregulares etiam in Germania aliisque in locis ubi haereses impune grassantur. » Zitelli *Appo r. iur. eccles,* gag. 349. A pari in duellorum materia ratiocinari licet. Et idcirco etsi aberrans multitudinis sensus infamia facti vesanum hoc crimen non notet, adhuc tamen, imo vel a fortiori, Ecclesia illud infamia iuris prosequitur, aliisque poenis percellit et allidere conatur.

DUELLANTES NON VIDENTUR NOTARI INFAMIA IURIS. At ex altera parte perpendendum est, in materia odiosa nos versari; nam agitur de poena, et « in poenis benignior est interpretatio facienda > ex *reg. 49 iur. in VI,* idest stricta, nec ultra id quod in lege aut sententia expresse cautum est. Quo posito principio plane liquet in primis, spectatores imo et cooperatores duellorum iuris infamia non notari. Statuit namque Tridentinum *cit. loc:* « Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur excommunicationis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant. » Quapropter etsi « complices vel qualemcumque operam aut favorem (duello) praebentes nec non de industria spectantes illudque permittentes » excommunicationi R. Pontifici reservatae subiaceant ex peculiari praescriptione const. *Apostolicae Sedis,* et ex. articulo finali *cit. cap. 19* Conc. Tridentini; nihilominus cum de his nullus sermo fiat in articulo praecedenti eiusdem capitis, ubi de infamiae poena sermo esi, iam iuxta legitimas interpretationis regulas concludendum est, complices et spectatores duellorum infamiae poena non multari: et idcirco in themate eos Seminarii alumnos qui de alio crimine rei non sunt quam de spectato scholariorum duello, etsi forte haec duella ea sint quae Tridentinum infamiae nota percellit, nihilominus infamiae poena non irretiri dicendum est.

At ulterius motiva dubitandi non desunt, num ipsi qui certamen committunt aut patrinos agunt, ab infamiae poena eximantur quoties agatur de his scholariorum monomachiis de quibus quaestio. Sane ut infamia duellantibus irrogata incurratur, necesse in primis est ut verum duellum habeatur; nam quoties de alio certamine agatur, species criminis mutatur, nec poena incurritur. « Quoad poenas duellum suis legibus constat, quibus non servatis, duellum propria ac stricta significatione non intelligitur et poena cessat » Emus D' Annibale *Com. cit. n. 102.* Haec sane elementaría sunt, et ex principiis in interpretatione legum poenalium obtinentibus plane fluentia.

Age vero nonnulli profecto sunt et magni notae DD. qui ad duellum proprie dictum, seu ad illud quod decreto O. Tridentini intenditur, expresse requirunt ut adhibeantur arma lethalia, seu ut adsit occisionis vel mutilationis periculum. Redeat Emus D'Annibale, qui in. *sua, Summ. pag. 207 vol. 2 edit. 2* ita de duello disserit: « Duellum definitur *singulare certamen armis lethalibus, ex condicto susceptum.* Consistit igitur 1. ex pugna singulorum.... 2. opus est ut ex condicto susceptum fuerit.... Demum 3. ut certatum sit armis lethalibus. Quamobrem si pugnis, baculis, ferro acie refusa dimicatum sit, duellum cessat, etsi mors per accidens sequuta fuerit. » - « Ad duellum proprie dictum requiritur, ait Reiffenstuel ad *tit. 14 lib. 5 n. 12,* ut fiat vel instituatur cum periculo vitae seu tali pugnandi modo et armorum genere, ut duellantibus periculum vitae immineat. Ita et Schmalzgrueber *Cod. tit. n. 45* ac Pascuccius *adnot. ad Pigliateli, t. 1 tit. De duel,* apud Ferraris *I. c. n. 6.*

Nec obstat quod plerique auctores ad duellum proprie dictum vulneris periculum sufficere doceant. Nam in primis de eiusmodi vulnere loqui videntur quod cum periculo vitae cohaereat; vel de duello iuxta communiter contingentia loquuntur, ubi nimirum occisio aut mutilatio, licet ex praevia sponsione excludatur, semper tamen possibilia sunt. Et huc forte spectant quae in const. Clementis VIII *sup. cit.* de duellis non fatalibus statuuntur.

Demum in decreto Conc. Tridentini, ubi infamiae poena contra duellantes statuitur, explicite sermo fit de monomachia cum periculo mortis coniuncta - ibi : - « Detestabilis duellorum usus, fabricante diabulo instructus, ut *cruenta corporum morte* animarum etiam perniciem lucretur » Et infra: « Qui vero pugnam commiserint et qui eorum patrini vocantur.... perpetuae infamiae poenam incurrant, et *ut homicidae* iuxta sacros canones puniri debent, et, *si in ipso conflictu decesserint,* perpetuo careant ecclesiastica sepultura. » Quapropter videtur decretum Concilii non ferri nisi contra duellum, quod mortis periculum inducit.

At vero in themate parvum cultrum cum quo singulare certamen inter scholarum alumnos committitur, non videtur inducere, saltem proximum ac facile, mortis periculum. Et idcirco nec sub Concilii praescriptione et poena cadere , eo vel magis quod in re odiosa versamur.

His praehabitis, propositum fuit diluendum

Dubium

An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur, equa his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 9 Augusti 1890, censuit respondere: *Affirmative, a cluellantibus eorumque patrinis, ex infamia iuris.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Irregularitatem quoad ordines suscipiendos aut in eisdem ministrandum enasci vel ex defectu lenitatis vel ex infamia iuris.

II. Ex defectu lenitatis irregularitatem enasci quoties humanus sanguis, iuste vel in bello vel in causa capitali, funditur, effectu sequuto.

III. Ex infamia iuris irregulares fieri duellantes, eorumque patrinos ; qui ideo ordines sacros suscipere prohibentur, absque dispensatione pontificia.

IV. Duellum proprie dictum esse pugnam initam inter duos vel plures in pari numero, privata auctoritate, vel ex condicto, statuto loco et tempore cum armis ad occidendum sive graviter vulnerandum aptis , cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris.

V. Ex iure pro duello habetur et duelli poenis subiicitur, pugna illa in qua tantum sit periculum vulneris; quaeque initur cum pacto de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit.

VI. Duellis in themate omnia esse elementa quae veris duellis conveniunt, haud dubitari posse videtur; nam effera sunt certamina quae rectae rationi et legibus Ecclesiae re-

pugnant ex iis motivis, ac si cum periculo occisionis aut mutilationis instituerentur.

VII. Nihil referre, ad verum duellum constituendum, an initum fuit spectaculi, ut olim, aut virtutis ostendendae causa; sed tantum requiri ut sit singulare certamen, susceptum ex condicto, et armis lethalibus, ut duellantes et patrini censuris subiiciantur. (1)

VIII. Ex haeresi quoque e nasci infamia iuris certum est; ita ut haereticorum filii irregulares habendi sint si eorum patres in haeresi persistant, aut in eadem demortui fuerint.

FERETRANA

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 14 Iunii 1890.

Per Sumraaria Prceum.

COMPENDIUM FACTI. Supremis talibus, quibus die 8 Octobris 1888 decessit, quaedam Carola Scavolini ex oppido S. Marini, haeredem nuncupavit famulam suam, nomine Angelam Rinaldi, quam habebat carissimam. Et disposuit ut summa 1250 libellarum, quam mutuis lucrosis collocatam habebat, impenderetur in funerum expensis, et in missarum officiis celebrandis, partim in ecclesia Cappuccinorum, in qua tumulari petiit, partim in aliis suburbii maioris S. Marini ecclesiis.

Insuper voluit ut unicum suum praedictum, vulgo *Baldasserone*, antequam ad haeredem traderetur, per decem annos ab executore testamentario administraretur , eiusque fructus in totidem missas in ecclesia Cappuccinorum celebrandas erogarentur. Huiusmodi fructus 115 annuis libellis locati sunt.

At vero haeres, Angela Rinaldi, suppliciter postulat, ut enunciati predii administratio sibi statim ante lapsum decennii tribuatur, ut arte et industria sua maiorem reditum

(1) Confer Vol. XVII, 601.

ex eo praedic» elicere valeat; simulque exorat, ut, potiusquam in missarum applicationem annuos praedii fructus usque ad decennii exitum impendere, liceat sibi constituere legatum perpetuum 500 libellarum, cum onere quatuor missarum in festo aut vigilia S. Iosephi in ecclesia Consolationis eiusdem suburbii celebrandarum. Ac demum poscit, ut ex ea frugifera summa 1250 libellarum, *tantum* 1000 libellae iuxta testatricis voluntatem impendantur: 250 vero ad restaurationem presbyterii eiusdem ecclesiae Consolationis insúmante.

Episcopus pro voto et informatione rogatus inter alia retulit, archipresbyterum S. Marini et executorem testamentarium assensum precibus praestitisse: « quoad Cappuccinos vero ex quadam declaratione scriptis expressa, sese non opponere videntur. » Oratricem vero ex dominae suae consilio nuptam, nunc quatuor filios habere, et non exiguis angustiis premi; nam maritus ab aliquo tempore in dementium hospitali Pisaurensi degit, et familiaria bona aere alieno* gravata reliquit. Qua de causa oratricis mens est, in praedii haereditarii possessionem immitti, illud alienare, eius pretio praedium mariti ab hypothecis liberare, atque ita rem domesticam restituere.

Perpenso itaque hoc misero oratricis statu, opinatur Episcopus eius precibus morem geri posse, hac tamen paululum mutata ratione, nempe ut

« 1. statim tradatur Oratrici praedium haereditarium cum onere solvendi libellas quingentas (L. 500) pio Sodalitio ecclesiae Consolationis, a quo in licito, tuto et fructifero investimento erunt collocandae; quarum fructu officium quatuor missarum in vigilia s. Iosephi in suffragium testatricis et ad eius mentem, et aliae duae missae in ipso die festo s. Iosephi perpetuo celebrentur:

« 2. impendantur aliae lib. 325 in tot missarum officiis pro anima testatricis, partim in ecclesia Cappuccinorum, partim in aliis ecclesiis Suburbii peragendis; et reliquae lib. 250, quae superessent summae L. 1000 partim erogatae, partim

uti supra erogandae, necessariis et opportunis inst au rationibus et melioramentis ecclesiae Consolationis applicentur. »

Disceptatio Syiioptica.

Animadversum ex officio fuit, oratricem in suis precibus intendere partim ut sibi suisque negotiis consulat, partim ut ecclesiae Consolationis benefaciat. Ad subveniendum autem tristi suae conditioni hoc unum postulare, nempe ut sibi facultas fiat haereditarii fundi dominium statim ineundi, ut illud vendere et ab aere alieno se liberare valeat.

At cum spondeat ex venditionis pretio 500 libellas ecclesiae tribuere, et cum insuper ex fructibus decennalibus enunciati praedioli, inde a testatricis morte solutis, sin minus 230 libellae hucusque iam erogatae sint testatrix enim mortua dicitur a. 1888; sequitur quod gravissima revera non videatur voluntatis laesio. Eo vel magis quod ex subita praestatione 500 libellarum compensatio quaedam et utilitas ex usuris proveniat. Ceterum cum oratrix haeres sit, et in magnis angustiis versetur, eidem succurri ex legatorum imminutione non iniquum videtur, et ipsius testatricis menti forte consentaneum.

Pariter cum ecclesia Consolationis fatiscens sit, et mediis ad cultum fovendum destituta, pium videtur eidem ecclesiae succurri, sive perpetuum missarum legatum ibidem instituendo, sive 250 libellae ad aedium reparationem impendendo: praesertim cum agatur de ecclesia, quae in eo suburbio S. Marini erecta est, quod nuperrime ad paroeciae honorem elevatum est, et pluribus indiget; et magis etiam quia Ordinarius suo favorabili suffragio preces comitatus est, et Cappuccinorum familia non se opponere videtur. Aliunde ad testatorum voluntates commutandas iustum titulum praebere posse magnam ecclesiarum paupertatem, aut divini cultus necessitatem non obscure innuit Tridentinum *sess. 21 cap. 8; sess. 24 cap. 13* atque alibi. Demum eadem oratrix meminit se in eadem ecclesia Consolationis altare s. Iosepho B. M. V. Sponso dicatum de suo erexisse et sacra

supellectili instruxisse; et hac etiam de causa maiorem considerationem suas preces mereri putat, et facilius impetratur am esse sibi spondet, quod in eiusdem ecclesiae beneficium et ad publicum divini cultus decorem et non in suum commodum postulat.

Verum ex adverso, ne scilicet oratricis preces tam in suum, quam in ecclesiae Consolationis bonum porrectae exaudiantur, notissimae militant leges, quae iubent defunctorum praesertim recentium voluntates sartas tectasque servari.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re visa, sub die 14 Iunii 1890, censuit respondere: *Pro f acuítate alienandi haereditarium fundum sub conditione, ut summa libellarum quingentarum, ex pretio retrahenda, Ordinario tradatur,. et quamprimum erogetur, in missarum celebrationem, iuxta mentem testatricis; quoad reliqua non expedire.*

MELEVITANA

LOCATIONIS

Die 6 Augusti 1890

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Henricus Zerafa supremis quibus decessit tabulis anno 1669 haeredem ex asse instituit capellani B. M. V. Gratiarum in civitate Conspicua, nonnullis adiectis oneribus, et procuratore insuper ad haereditatem administranda constituto, cui in stipendium « legavit habitationem eius loci domorum . . . in quo de praesenti ipse testator inhabitat et commoratur, ut in ea inhabitet sine ulla solutione in satisfactionem sui laboris.

Procedente tempore, legitime an illegitime nescitur,, haec domus una simul cum adnexis apothecis in emphiteusim ad tertiam generationem concessa est, quae die 10 lu-

]ii 1845 iterum per 99 annos renovata est; et interim capellae procurator loco habitationis canonem percipiebat.

Anno vero 1875 cum idem procurator domum ab emphyteusi redimere optaret, mutuum 20, 000 libellarum, praevio legitimo permissu, ut ait Episcopus, et obligato totius haereditatis asse, contraxit. Tam ingens pretium solvere necesse fuit propter magna domus melioramenta, quae ultimus emphiteuta perfecerat. Interim redemptam domum procurator locavit, et ex pretio partem antiquo canoni plus minusve aequiparem sibi vindicavit, reliquum vero in extinctionem aeris alieni attribuit. Hinc factum est ut aes alienum ad 17 millia circiter libellarum hisce annis descenderet.

Nuperrime autem, vetere administratore defuncto, cum novus, qui eidem successit, in decessoris usu perseverare optaret, domum aliis locando et partem pretii percipiendo; nescitur qua de causa, id sibi non licere putavit, et credidit, una simul cum Episcopo quod procurator proprie ius tantum haberet habitationis in dicta domo : hinc supplici libello a S. C. C. petiit, ut sibi indulgeatur facultas percipiendi pretium locationis, loco habitationis a fundatore sibi concessae.

Episcopus preces commendat, ac proponit ut cum locationis pretium 500 circiter libellis aestimetur, 300 circiter in extinctionem aeris alieni cedant, sicut usque modo contingit, 200 vero administratori tribuantur; quae proportio a curiae perito iudicata est respondere pretio ad emphiteusis redemptionem mutuato.

Disceptatio Synoptica.

Super his breviter animadversum fuit, quod usuarius quidem de re data uti dumtaxat potest, non autem aliis locare; at qui ius habitandi habet, idest legato fruitur, omnem fructum ex partibus habitationi destinatis percipit ex *13 c. De usufructo* et aedes potest pro lubitu cuilibet locare, prout expresse cavet § *5 Inst. De us. et habit,* et /. *13 sup. cit.*

Quod eo firmius retineri debet, si, prout in themate contigit, legatum habitationis datum sit quasi in stipendium et mercedem laboris.

Unica forte difficultas reperitur in iis testamenti verbis uti domus administratori dicitur data « *ut in ea inhabitet.* » Verum haec verba sensum exclusionis, et taxative evidenter non habent, nec locationem, quam iura permittunt, expresse prohibent; quapropter ea verba nec nocere nec legis statuta praepedire videntur.

Nec iniusta videtur divisio pretii quam Episcopus proponit, et quae hucusque observata est; nam cum pretium locationis ad actualem summam ideo adscendat, quia domus melior effecta est; iustum videtur ut interim , et quousque aes alienum subsistat, par pretii in mutui extinctionem erogetur.

Quibus animadversis, quaesitum fuit, quid precibus esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 9 Augusti 1890 censuit respondere: *Pro gratia, iuxta votum Episcopi.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

ARIMINEN.

DECIMARUM SEU PRAESTATIONUM

COMPENDIUM FACTI. DOS Mensae episcopalis Ariminen. annuis frumenti cribrati praestationibus maxima ex parte ab antiquis usque temporibus constituitur, quae sub nomine decimarum veniunt, quaeque fere ab omnibus parochialibus praebendis Dioecesis persolvuntur.

Ad tiamites huiusmodi dispositionis dioecesanae praebenda parochialis loci vulgo *Monacano* saccos 15 frumenti et

lib. 19, 15 pro Cathedratico mensae, Episcopali a tempore quod *immemorabile* dicunt, quotannis persolvit.

Verum cum actualis parochus P.... vertente cum 1885 partem dictae praestationis in lib. 279,15 nec non integram praestationem pro annis 1886-87-88 solvere renuerit, Episcopus sub die 19 Nov. 1886 cuidam Bonini creditum cessit, quod erga praedictum Parochum habebat, quodque in praefata residua quota anni 1885 ac in integra praestatione anni 1886 consistebat.

In vim praedictae regularis cessionis Boninius, ut creditum suum recuperare valeret, parochus in iudicium apud Praetorem oppidi *Saladecio* arripuit. Antequam sed vero dies veniret, qua Parochus in iudicio sistere debebat, ad S. C. EE. et RR. confugit, exponens se non posse annuam praestationem Mensae episcopali persolvere, tum quia parochiani ob mutatas temporum circumstantias decimas parocho tradere nolunt, tum etiam quia praebenda parochialis oneribus quam antea maioribus gravetur. Hinc petebat ut Episcopus ad mitiora consilia revocaretur , et vale dicto iudicio civili a Boninio suscepto, pro accepto haberet illas praestationes, quas ob mutatas temporum circumstantias et graviora onera praebendae parochiali imposita, ipse praebere valuisset.

Verum praestationis reductioni a parocho petitae obstitit Episcopus qui S. C. H. retulit frumenti praestationem in 15 saccis mensae Episcopali a parocho debitam, evinci nedum a Paroeciae inventariis tum antiquis, tum recentioribus, nedum ab inventariis mensae pariter tam antiquis, quam nuperrimis; verum etiam ex instrumento possessionis hodierno Episcopo collatae palam fieri. Hisce addebat in casu non agi de veris decimis, vel de onere decimis parochialibus et sacramentalibus imposito, sed de praestatione, qua bona omnia parochiae absque distinctione favore mensae gravantur.

Cum res de bono et aequo, prout S. H. C. in votis habebat, componi haud potuisset ob tergiversationes et reluctantiam parochi, Episcopus moras abrumpens petivit, ut controversia ad tramites iuris ab H. S. O. definiretur, ne

ansa sequendi parochi exemplum ceteris parochis daretur, qui in eadem conditione versantur.

Disceptatio Synoptica

QUAE PAROCHO FAVERE VIDENTUR. Parochus auctoritati Reiffenstuel et Ferraris innixus perpendit, Episcopo non competere nisi ius ad quartam partem earum rerum, quae decimis subiciiuntur. Hoc in iure posito, ait canonem praebendae parochiali favore mensae Episcopalis impositum ad normam iuris haud consti tum esse. Quod ut probet observat, mensuram 15 saccorum frumenti cribrati, quod Episcopus sibi arrogare contendit, mensurae 20 saccorum frumenti non purgati respondere. Iamvero cum indubii facti sit, quod decimae parochiae Mondami simul sumptae mensuram 40 saccorum frumenti non purgati haud excedunt, sponte sua fluere inquit quod si mensae 15 sacci frumenti concederentur, Episcopus non quartam partem, ceu iura praescribunt, sed medietatem rerum decimandarum sibi vindicaret, quod contra ius est.

Praeter haec animadvertit sententiam tribunalis urbis Spoletanae existere, quae contribuentes a solvendis decimis super semina impositis exonérât. Firma itaque remanente huiusmodi sententia, contendit decimas parochiae loci *Mondaine*- simul sumptas ad 25 vel ad 30 saccos frumenti reductas fuisse. Iamvero, si, ceu iura praescribunt, mensae non competit nisi quarta pars omnium decimarum, sponte sequitur Episcopum non nisi saccos 7 cum dimidio frumenti haud mundati sibi vindicare posse.

Verum, hisce praetermissis, sustinet canonem ab Episcopo praetensum, praeter Cathedraticum in lib. 19,15 constitutum, esse onus gravissimum etiamsi respectus habeatur ad omnes reditus, quibus parochialis praebenda cumulatur. Quandoquidem bona stricte parochialia in quibusdam terrae frustulis parvi valoris consistunt, quae cum in sterili Mondami territorio sita sint, exiguum emolumentum parocho afferunt. Neque uti bona parochialia habenda esse tres parvos agros, quibus Sacerdos Venerucci Capellaniam perpetuam in paroe-

ciali ecclesia constituit, ex eo quod pius fundator tot missas celebrari iussit, quot huiusmodi agrorum reditus sustinere* valent.

Observat insuper, quod praetensis Episcopi admissis, id quod sibi superest satis haud esse ad sustinendas expensas quae necessariae sunt, ut frumentum e loco *Mondaino* Riminum transferatur, ad solvendam taxam vulgo *ricchezza mobile* et alterum *manomorta* dictam; quarum prima ad lib. 100, secunda vero ad lib. 65 assurgit; et alias gravissimas taxas sive reales sive personales, nec non expensas cultus et illas quae pro Capellano sustentando exiguntur.

Quibus omnibus si addatur, quod omnibus indistincte individuis Parochiae panem die commemorationis mortuorum distribuere et singulis familiis, iuxta cuiuslibet conditionem, candelam praebere debeat; quilibet, ait, mirabitur nec intelligere valebit , quomodo Mondaini parochus tot oneribus gravatus et aliis proventibus parochialibus destitutus vivere possit. In hisce angustiis constitutus, haud mirum esse inquit, quod partem tantum praestationis mensae episcopali debitae persolvere petat : nemo enim ad impossibile tenetur. Imo asserit, quod hac impossibilitate attenta, nedum ab aliis Episcopis canonis diminutionem obtinuit, verum etiam ah ipso Gubernio modo subsidia, modo condonationem debiti impetravit. Qua de re enixis precibus expostulat, ut canon favore mensae Episcopalis constitutus ad 10 saccos frumenti reducatur, et insuper praebendae parochiali subsidium annuum ex bonis ecclesiasticis depromendum tribuatur.

QUAE EPISCOPO FAVERE VIDENTUR. EX altera vero parte Episcopus Ariminen. pro viribus sustinet frumenti praestationem in ea mensura, quae ab ipso exigitur a parocho Mondaini persolvendam esse, ex eo quod, a pluribus ah hinc saeculis, ab aliis quoque parochis mensae Episcopali persoluta iugiter fuit, idque dubio procul deduci nedum a Codice Malatestiano anno 1379 in lucem edito, verum etiam a censuum libello anno 1714 a Card. De Via tunc temporis Ariminen. Episcopo peracto.

Quod autem huiusmodi praestatio in praesentiarum etiam a Mondaini parocho mensae Episcopali rependenda sit, erui asserit nedum ex libro accepti et expensi qui in S. Visitatione anni 1830 Episcopo a Parocho pro approbatione traditus fuit; nedum a decennali prospectu pariter accepti et expensi, die 27 Novembris 1837 incoepto ; nedum ex testimonio agentis taxarum, quae directae dicuntur die 37 Martii 1874 dato; sed etiam ex actu possessionis mensae Episcopalis die 11 Ianuarii 1883 actuali Episcopo collatae, ex hisce enim documentis omnibus colligi ait, quod mensae Episcopali ius competit exigendi in singulis annis a Parocho Mondaini 15 frumenti saccos, praeter Cathedraticum quod lib. 19,15 quotannis pertingit.

Hisce in vado positis, gradum facit ad diluenda argumenta ex adverso opposita. Ac praeprimis quoad decantatam paroeciae paupertatem observat, Mondaini parochiam esse unam ex melioribus et pinguioribus totius Dioecesis; et hoc argui tam ex testimonio R. Suboeconomi, qui ad rem interrogatus respondit fidem haud esse praestandam denunciationibus *ad usum Delphini* exhibitis, quam ex duabus declarationibus Archipresbyteri Bilancioni, qui immediate ante actualem parochum ecclesiam paroecialem Mondaini rexerat.

Sane in altera ex relatis declarationibus Archipresbyter enarrat, quod ad instantiam Municipii sibi suisque successoribus annua pensio scutorum 40 imposita fuit, pro ecclesia restauranda, quodque ipse dictam pensionem una cum frumenti praestatione et lib. 19,15 Cathedratici mensae Episcopali debitis ad unguem iugiter persolvit. Enarrat insuper quod agros ad praebendam parochialem pertinentes meliores ipse reddidit, licet e domo legati Venerucci nihil perciperet, quippe quae a Monialibus vulgo *Maestre Pie* occupata erat. In altera vero refert retinendum esse, quod decimae et congruae reditus in praesentiarum maiores evaserint, tum ex lupini cultura, tum ex eo quod domus legati Venerucci lib. 100 et amplius modo Parocho affert.

Observat praeterea praebendam parochialem modo etiam eadem bona possidere eosdemque reditus imo maiores percipere

quibus anteactis temporibus fruebatur, et Parochum non amplius teneri summam scut. 40 solvere , quam antecessores pro Ecclesiae restauratione rependere debebant. Hisce tamen non obstantibus subdit Episcopus, non modo Parochi antecessores, verum etiam ipse parochus Perazzini integram praestationem favore mensae Episcopalis constitutam absque alia querimonia vel tergiversatione iugiter persolvit.

Relate vero ad condonationem ab Episcopo Battaglini indultam et a Parocho decantatam, ipsam ad rem non facere Episcopus propugnat ; quandoquidem Episcopus Battaglini cum ad Sedem Bononiensem translatus esset praestationis partem condonare censuit, ad evitandas lites, quas contra Parochum reluctantem suscipere debuisset.

Neque aliquid relevare quod praedictus Episcopus Battaglini ex pecunia *ad pias causas* bis subventiones parocho Perazzini praebuerit. Idipsum enim se cum illis Parochis peragere solere affirmat , qui ob inopinatos casus subsidio egent. Cum parocho autem Perazzini id peragere renuisset quia probe noscebat ipsum in huiusmodi conditione haud versari, quae subsidio dignum efficeret.

Mox adductis addit, huiusmodi praestationi *decimarum* nomen tribui non posse, etsi sub tali nomine veniat, sed esse onus, quod omnia praebendae parochialis bona favore mensae episcopalis obligat. Idque evincere studet ex facto, quod Mondaini parochi ab antiquissimis temporibus 15 frumenti saccos mensae iugiter per sol verunt. Hoc in facto constito, Episcopus sic argumentatur. Si frumenti praestatio favore mensae Mondaini parochiae imposita, naturam decimarum indueret, parochi Mondaini cum 40 saccos pro decimis annuatim percipiant, duos tantum saccos frumenti mensae rependere debuissent; quandoquidem exploratum est, quod decimae in dioecesi Ariminen. ad rationem unius pro viginti solvuntur. Atqui Mondaini parochi non duos sed quindecim saccos mensae persolverunt : ergo, concludit, huiusmodi praestatio decimarum naturam haud induit, sed pro onere accipienda est, quod bona omnia parochiae afficit. In tuto autem.

posito, quod uti onus accipienda sit, quo omnia praebendae parochialis bona gravantur, iam per se patet quod actualis parochus, quemadmodum sui praedecessores, quindecim frumenti saccos ex integro rependere debeat, eo vel magis quia ex facto liquet quod ipse in meliori conditione versatur.

Quin recurrere iuvaret; doctrinae circa decimas a Canonistis traditae quandoquidem admissa etiam parumper perdita adversarii hypothesi, quod de veris decimis in themate agatur, nihilominus Episcopus sustinet controversiam non ad tramites iuris communis definiendam esse, sed ad normam •consuetudinis in Mondaini oppido vigentis , iuxta quam 15 frumenti sacci persolvuntur. Et huiusmodi consuetudinem cum plusquam centenaria imo cum immemorabilis sit, praebere titulum meliorem de mundo. Quod si aliter res accideret statum omnium parochiarum in Dioecesi ariminensi existentium mutandum ac susdeque vertendum esse subdit; cum omnes suae Dioecesis parochi in eadem conditione reperiantur. Quod quot litium ac malorum causa esset, nemo est qui non videat.

Tandem invocatam tribunalis Spoletani sententiam ad rem non facere et vim suam in Mondaini loco exerere non posse contendit, quia ibi consuetudo vim legis habet ; potius praesenti casui aptandam esse propugnat alteram sententiam Tribunalis Fori Li vii, quae comuni Canonistarum doctrinae adhaerens statuit, ut decimae *Risani* parocho debitae, quippe quae ecclesiasticae erant, *solvendae essent integrae absque ulla deductione seminis vel impensarum.*

Hisce omnibus utrinque perpensis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An et in quanam quantitate Archipresbgter loci Mondauto annuam frumenti praestationem, praeter Cathedraticum Mensae episcopali ariminen. persolvere teneatur in casu ì

RESOLUTIO. Sacra C. Episc, et Regul. re mature discussa, sub die 27 Septembris anni 1889 respondere censuit : *Affir-*

mative in consueta quantitate nempe di sacchi quindici *et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. In definiendis controversiis, quae circa solutionem decimarum vel aliarum praestationum oriri possunt, attendendum esse illud quod ab initio inter partes conventum fuit.

II. Praesertim vero si illud quod ab initio inter partes cautum fuit, longissimi temporis observantia fuit confirmatum.

III. Consuetudinem plusquam centenariam vel immemorabilem titulum meliorem de mundo praebere ac vim legis praeseferre.

IV. Decimas ecclesiasticas solvendas esse integras, absque ulla deductione seminis vel impensarum.

V. In casu autem controversiam favore mensae Episcopalis definitam esse, quia S. C. videtur retinuisse non de decimis agi, sed de onere favore mensae praebendae parochiali imposito.

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM *Uibis* **et** *Orbis;* **quo ad universalem Ecclesiam conceditur extensio festorum s. Ioannis Damasceni, s. Silvestri Abbatis, et s. ioannis a Capistrano; et quo probatur addictio facienda sextae lectioni in Officio sacri Cordis Iesu.**

Quod iampridem erat in votis Christifidelium Catholici Orbis, ut celebraretur ubique memoria Sanctorum Confessorum Ioannis Damasceni, Silvestri Abbatis et Ioannis a Capistrano, quorum primus pro ea qua inclaruit praestantia doctrinae, alteri pro apostolicis operibus, quibus animarum saluti profuerunt, Ecclesiam Dei mirifice illustrarunt; id nostra hac aetate plurium sacrorum Antistitum, ac Virorum dignitate insignium ingeminatis precibus a Romana Sede enixius postulatum est.

Hinc eiusmodi supplicibus votis libenter obsecundans Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII rem omnem commissam voluit maturo examini et iudicio Sacrorum Rituum Congregationis ; quae in ordinario Coetu coadunata, audito voce et

scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, petitam Festorum extensionem ad universalem Ecclesiam ita concedi posse censuit, nimirum ut de S. Ioanne Damasceno Confessore fiat die XXVII Martii sub ritu duplici minori, addita *Doctoris* qualitate; de S. Silvestro Abbate, die XXVI Novembris sub eodem ritu; ac demum de S. Ioanne a Capistrano Confessore agatur die XXVIII Martii sub ritu semiduplici. Respectiva tamen officia cum Missis de enuntiatis Sanctorum Festis, cura ipsius Sacrae Congregationis quantocius fieri possit edenda, anno millesimo octingentesimo nonagésimo secundo ab omnibus qui e Clero tam Saeculari quam Regulari ad Horas Canonicas tenentur, in posterum recitanda sunt: servatis Rubricis.

Insuper iidem Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi decernendum putarunt, ut sexta lectio Officii, de Sacratissimo Corde Iesu, cuius Festum ab eodem Sanctissimo Domino Nostro ad ritum Duplicis primae classis anno superiore pro universa Ecclesia evectum est, deinceps ita concludatur, videlicet:

« Quam caritatem Christi patientis et pro generis humani
» redemptione morientis, atque in suae mortis commemoratio-
» nem instituentis sacramentum corporis et sanguinis sui, ut
» fideles sub sanctissimi Cordis syn bolo devotius ac ferventius
» recolant, eiusdemque fructus uberius percipiant, Clemens
» Decimus tertius *ipsius sacratissimi Cordis festum nonnullis*
» *Ecclesiis celebrare concessit, Pius Nonus cid universam ex-*
» *tendit Ecclesiam, ac denique SumrLiis Pontifex Leo Deci-*
» *mus tertius, orbis catholici votis obsecundans, ad ritum Du-*
» *plicis primae classis evexit.* »

Sanctitas porro Sua, ad relationem mei infrascripti Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefecti, sententiam ipsius Sacrae Congregationis in omnibus ratam habens et confirmans, memorata tria Festa sub enuntiato ritu statisque diebus ad universam Ecclesiam extendit, simulque praefatam additionem ad calcem supradictae lectionis in Officio Sacri Cordis Iesu approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die XIX Augusti MDCCCXC.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. f S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

LITTERAE circulares Sanctissimi D. N. Leonis Papae XIII quibus constituitur ut quotannis et quibusvis locis in die Epiphaniae Domini corrogetur stipis pro Missionariis catholicis, mittendis in Africae regiones.

Catholicae Ecclesiae, quae omnes homines materna caritate complectitur, nihil fere antiquius fuit inde ab initio, ceu nosti, Venerabilis Frater, quam ut servitutem, quae misero iugo premebat mortalium quamplurimos, sublatam cerneret penitusque deletam. Sedula enim custos doctrinae Conditoris sui, qui per se ipse et Apostolorum voce docuerat homines fraternam necessitudinem quae iungit universos, utpote eadem origine cretos, eodem pretio redemptus, ad eamdem vocatus beatitatem aeternam, suscepit neglectam servorum causam ac strenua vindex libertatis extitit, etsi, prout res et tempora ferebant, sensim rem gereret ac temperate. Scilicet id praestitit prudentia et consilio constanter postulans quod intendebat religionis, iustitiae et humanitatis nomine; quo facto de nationum prosperitate cultuque civili meruit optime. — Neque aetatis decursu hoc Ecclesiae studium asserenai mancipia in libertatem elanguit; imo quo fructuosius erat in dies, eo flagrabat impensius. Quod certissima testantur monumenta historiae, quae eo nomine plures commendavit posteritati Decessores Nostros, quos inter praestant S. Gregorius Magnus, Hadrianus I, Alexander III, Innocentius III, Gregorius IX, Pius II, Leo X, Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII, Gregorius XVI, qui omnem curam et operam contutóre, ut servitutis institutio, ubi vigebat, excideret, et caveretur ne unde exsecta fuerat, ibi eius germina revivisceret.

Tantae laudis haereditas a Praedecessoribus tradita, repudiari a Nobis non poterat: quare nulla praetermissa a Nobis occasio est, improbandi palam damnandique tetricam hanc servitutis pestem; ac data opera de ea re in litteris egimus, quas III Nonas Maias anno MDCCCLXXXVIII ad Episcopos Brasiliae dedimus, quibus gratulati sumus de iis, quae pro mancipiorum libertate in ea regione gesta fuerant laudabili exemplo privatim et publice, simulque ostendimus quantopere servitus religioni et humanae dignitati adversetur. Equidem cum ea scriberemus, vehementer commovebamur eorum conditione qui dominio subduntur alieno; at multo acerbius affecti sumus narratione aerumnarum, quibus

conflictantuT incolae universi regionum quarumdam Africae interioris. Miserimi sane et horrendum memoratu est, quod certis nunciis accepimus, fere quadringenta Afrorum millia, nullo aetatis ac sexus discrimine, quotannis abripi per vim e rusticis pagis, unde catenis vincti ac caesi verberibus longo itinere trahuntur ad fora, ubi pecudum instar promercalium exhibentur ac veneunt. — Quae cum testata essent ab iis qui viderunt, et a recentibus exploratoribus Africae aequinoctialis confirmata desiderio incensi sumus opitulandi pro viribus miseris illis, levandique eorum calamitatem. Propterea, nulla interiecta mora, dilecto Filio Nostro Cardinali Carolo Maritali Lavigerie, cuius perspecta Nobis est alacritas ac zelus Apostolicus, curam demandavimus obeundi praecipuas Europae civitates, ut mercatus huius turpissimi ignominiam ostenderet, et Principum civiumque animos ad opem ferendam aerumnosae genti inclinaret. — Quam ob rem gratiae Nobis habendae sunt Christo Domino, gentium omnium redemptori amantissimo, qui pro benignitate sua passus non est curas Nostras in irritum cedere, sed voluit esse quasi semen feraci creditum humo, quod laetam segetem pollicetur. Namque et Rectores populorum et Catholici ex toto terrarum orbe, omnes demum, quibus sancta sunt gentium et naturae iura, certarunt inquirere, qua potissimum ratione et ope conniti praestet, ut inhumanum illud commercium evellatur radicitus. Solemnis Conventus non ita pridem Bruxellis actus, quo Legati Principum Europae congressi sunt, ac recentior coetus privatorum virorum, qui eodem spectantes magno animo Lutetiam convenere, manifesto portendunt tanta vi et constantia Nigritarum causam defensum iri, quanta est ea qua premuntur aerumnarum moles. Quare oblatam iterum occasionem nolumus omittere, ut meritas agamus laudes et gratias Europae Principibus, atque a summo Deo precamur enixe, ut eorum consiliis et orsis tanti operis prosperos dare velit eventus.

At vero praeter tuendae libertatis curam, gravior alia pressius attingit apostolicum ministerium Nostrum, quod Nos curare iubet, ut in Africae regionibus propagetur Evangelii doctrina, quae ulaium incolas sedentes in tenebris, a caeca superstitione offusis, illustret divinae veritatis luce, per quam nobiscum fiant participes haereditatis Regni Dei. Id autem eo curamus enixius, quod illi, hac luce recepta, etiam humanae servitutis ab se iugum excutient. Ubi enim christiani mores legesque vigent, ubi religio

sic homines instituit, ut iustitiam servent atque in honore habeant humanam dignitatem, ubi late spiritus manavit fraternae caritatis, quam Christus nos docuit, ibi neque servitus, nec feritas, neque barbaria extare potest; sed floret morum suavitas, et civili ornata cultu christiana libertas. — Plures iam Apostolici viri, quasi Christi milites antesignani adiere regiones illas, ibique ad fratrum salutem non sudorem modo sed vitam ipsam profuderunt. Sed *messis quidem multa, operarii autem pauci:* quare opus est, ut alii quamplures eodem acti spiritu Dei, nulla verentes discrimina, incommoda et labores, ad eas regiones pergant, ubi probrosum illud commercium exercetur, allaturi illarum incolis doctrinam Christi verae libertati coniunctam. — Verum tanti operis aggressio revelatione divinitatis suae etiam miserrimam illam humani generis partem illustret, eamque a superstitionis coeno et aerumnosa conditione, in qua tamdiu abiecta et neglecta iacet, eripiat.

Placet autem Nobis, ut pecunia, praedicta die, collecta in ecclesiis et sacellis subiectis iurisdictioni tuae, Romam mittatur ad Sacrum Consilium Christiano nomini propagando. Huius porro munus erit partiendi eam pecuniam inter Missiones, quae *ad delendam potissimum servitutem* in Africae regionibus extant aut instituentur: cuius partitionis hic modus erit, ut pecunia profecta ex nationibus, quae suas habent catholicas missiones ad vindicandos in libertatem servos, ut memoravimus, istis missionibus sustentandis iuvandisque addicatur. Reliquam vero stipem idem Sacrum Consilium, cui earumdem missionum necessitates compertae sunt, inter egentiores prudenti iudicio partietur.

Equidem non ambigimus, qui vota Nostra pro infelicibus Afris concepta, benigne excipiat dives in misericordia Deus, ac tu Venerabilis Frater, ultro collaturus sis studium operamque tuam, ut ea expleantur cumulate. — Confidimus insuper, per hoc temporarium ac peculiare subsidium, quod fideles conferunt ad inhumain commercii labem abolendam et sustentandos evangelii nuncios in locis ubi illud viget, nihil imminutum iri de liberalitate qua Catholicas missiones adiuvare solent collata stipe in Institutum quod Lugduni conditum *a propagatione fidei* nomen accepit. Salutare hoc opus, quod fidelium studiis pridem commendavimus, hac nunc opportunitate oblata copias flagitat eius amplitudini pares. Non enim sine ingenti sumptu prospici potest

Missionariorum institutioni, longis itineribus, parandis aedibus, templis excitandis et instruendis, aliisque id genus necessariis, quae quidem impendía per aliquot annos sustinenda erunt, donec in iis locis ubi consederint evangelii praecones, suis se sumptibus tueri possint. Utinam Nobis vires suppeterent quibus possemus hoc onus suscipere. At quum votis Nostris obsistant graves, in quibus versamur, rerum angustiae, te, Venerabilis Frater, aliosque sacrorum Antistites et Catholicos omnes paterna voce compellamur, et Vestrae eorumque caritati commendamus opus tam sanctum et salutare. Omnes enim participes eius optamus neri, exigua licet collata stipe, ut dispartitemi in plures onus, levius cuique toleratu sit, atque ut in omnes effundatur gratia Christi, de cuius regni propugnatione agitur, eaque cunctis pacem, veniam peccatorum, et lectissima quaeque munera impertiat.

Propterea constituimus, ut quotannis, qua die in quibusque locis Epiphaniae Domini celebrantur mysteria, in subsidium memorati operis pecunia stipis instar corrogetur. Hanc autem solemnem diem prae ceteris elegirnns quia, uti probe intelligis, Venerabilis Frater, ea die Filius Dei primitus sese gentibus revelavit, dum Magis videndum se praebuit, qui ideo a S. Leone Magno decessore Nostro scite dicti sunt *vocationis nostrae fideique primitiae.* Itaque bona spe nitimur fore, ut Christus Dominus permotus caritate et precibus filiorum, qui veritatis lucem acceperunt, novo ornamus laudis testimonio, optantes ut late porrigat beneficentiam suam et laeta floreat prosperitate. Interim Tibi, Venerabilis Frater, Clero et fidelibus pastorali vigilantiae tuae commissis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Novembris anno MDCCCXC, Pontificatus Nostri decimo tertio.

LEO PP. XIII.

EX AEDIBUS VATICANIS

LITTERAE Emi Cardinalis Rampolla, Secretarii Status ad Reverendissimum D. Episcopum s. Flori in Gallus.

Redditae mihi sunt litterae ab Amplitudine Tua die 19 Novembris datae, quibus erat iniecta mentio dissidii sententiarum quod nuper excitum est in gallus super re gravissima; quod dissidium eo magis abesse oporteret, quo magis necessaria est inter catholicos omnes summa voluntatum coniunctio.

Quae mens ac sententia sit Apostolicae Sedis ea super re, facile dignoscere potes ex doctrina explicata in actis quae ab eadem prodiere. Patet ex ilr's catholicam Ecclesiam, cuius divina missio tempora et loca omnia complectitur, nihil in sua constitutione et doctrinis habere quo ab aliqua abhorreat reipublicae forma, quum singulae optimum civitatis statum parare ac tueri possint, si iuste ac prudenter adhibeantur. Scilicet Ecclesia assurgens supra mutabiles imperii formas ac contentiones et studia partium, spectat imprimis religionis incrementa et animarum salutem, quod bonum supremum est, cui curando ac provehendo studium operamque omnem sedulo debet conferre.

Haec cogitans et animo intendens Apostolica Sedes, traditionem sequens aetatum omnium, non modo civiles potestates observat (sive unius, sive plurium imperio regatur respublica), sed etiam cum iis agit missis exceptisque nunciis et legatis, et consilia confert ad transigenda negotia et definiendas quaestiones quae mutuas rationes Ecclesiae et reipublicae attingunt. Perfunctio huius muneris cuius amplitudo humanas res supereminet, nultum infert praeiudicium juribus quae forte ad aliquos spectare possunt, velut sapienter declaravit sanctae memoriae Pontifex Gregorius XVI, decessorum suorum vestigia sequens, in Litteris Apostolicis die VII augusti datis anno 1831, quarum initium: « Sollicitudo ». (1)

Itaque eodem studio curandi religionis bonum quo ducitur Sancta Sedes in negotiis agendis colendisque mutuis officiis cum

(1) En lacinia litterarum ad quas innuitur. Si... (a Nobis vel a successoribus Nostris) cum iis qui alio quocumque gubernationis genere rei publicae praesunt, tractari aut sanciri aliquid contigerit, nullum ex actibus, ordinationibus et conventionibus id generis, ius iisdem attributum, acquisitum, probatumque sit, ac nullum adversus ceteiorum iura... discrimen iacturaeque et imputationis argumentum illatum censeri possit ac debeat.

rectoribus civitatum, ducantur etiam fideles oportet in actibus non modo privatae vitae, sed etiam publicae. Quapropter, ubi id postulent religionis rationes, nec ulla iusta ac peculiaris causa impediat, par est ut fideles ad rem publicam capessendam accedant ut eorum industria et auctoritate institutiones ac leges ad iustitiae norman exigantur, ac religionis spiritus et benefica vis in universam rei publicae compagem influat.

Iamvero quod ad catholicos attinet qui in Gallus sunt, dubitandum non est quin opportunum ac salutare opus gesturi sint, si, perpensa conditione in qua iampridem eorum patria versatur,, eam velint inire viam quae illos ad nobilem, quem dixi, finem expeditius et efficacius perducat.

Ad hoc opus efficiendum, multum conferre potest sapiens et concors episcoporum actio, multum fidelium ipsorum prudentia, plurimum denique vis ipsa progredientis aetatis. Interim vero, cum necessitas tuendi religionem et principia quibus socialis ordo continetur curas in praesens in se convertat virorum omnium quibus humanae societatis salus cordi est, expedit summopere ut Gallici fideles in unum consentiant et hanc sibi provinciam suscipiant, in qua actuosas vires ac zelum magnanimum exerceant.

Qui vellent Ecclesiam viresque catholicas in aciem angustiorem deducere iisque uti ad concertationes studiis partium excitas, hi a verter ent animum a cogitatione bonorum maximorum ad quae vires illas converti oportet; frustra illas absumerent nullum salutis vel gloriae fructum edituras; gravem denique inferrent illustri Gallorum nationi perniciem, sinentes in ea imminui ea summa recti verique principia, ea opera egregia et catholicas traditiones, quae quasi communis gentis thesaurus validas illi semper praebuere vires et praeclara laudis ornamenta.

Ceterum mihi certa spes inest fore ut Galliarum catholici, quorum compertum est eximium religionis studium et singularis caritas in patriam, probe percipiant quae sint officia sibi ab hac temporum necessitate imposita, et dicto audientes pastoribus suis opus aggrediantur summa animorum consensione et coniunctione virium quae sola potest tuto ad optatum finem perducere.

Hac fiducia fretus, sensus Tibi profiteri gaudeo peculiaris existimationis, qua sum ex animo, Amplitudinis Tuae, etc.

M. Card. RAMPOLLA

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VENTIMILIEN.

DISMEMBRATIONIS ET ERECTIONIS PAROECIAE

Die 14 Iunii 1890.

Sess. 25 cap. 9 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Ad prima ecclesiae saecula pertinet origo paroecialis et collegiatae ecclesiae s. Syri in oppido, quod olim s. Romuli, nunc s. Remi appellatur. Eius iurisdictio olim late circum porrigebatur; sed animarum necessitate suadente sensim imminuta est. Sic anno 1494 vallis Rhoddi, et anno 1560 villa Varesi distrahebantur et in separatas paroecias constituebantur. Hoc autem saeculo, cum civium numerus domuum et incolarum frequentia sensim aucta esset, et oppidum s. Remi a collibus, ubi olim erat, ad maris litus longo itineris intervallo progressum esset et extensum, plane cognoverunt Episcopi, unam s. Syri paroeciam ad expeditum animarum regimen haud amplius esse accomodatam, diuque in votis habuerunt ad eius divisionem devenire.

Porro tunc temporis capituli s. Syri status hic erat: Praepositus primum locum tenebat et actualis curae ministerium gerebat. Succedebant quatuor canonici, *ciérnales* nuncupati, antiquissimae fundationis, et quibus aliquod, licet ex actis quae penes S. C. C. sunt non undequaque definitum, munus adiuvandi praepositum in animarum regimine demandatum erat. Tertio loco recensebantur sexdecim illi, qui honorarii, vel capellani canonici nomine olim veniebant, quosque Pius Vii apostolicis litteris diei 27 Maii 1803 veteri capitulo adiungendus decrevit, quinque proinde recentioris fundationis appellati sunt. Demum plerique inferioris ordinis clerici, idest mansionarii, sicut in

ceteris capitulis, sic etiam in s. Syri collegiata numerabantur.

Vertente itaque anno 1852 Episcopus Biale, occasionem nactus vacationis trium decimalium praefatorum canonicatuum, a SSmo petiit et obtinuit, ut duae ex his praebendis supprimerentur, earumque reditus ad duas congruas paroeciales pro duabus novis paroeciis in civitate S. Remi, altera nempe ad s. Iosephi , altera s. Mariae Angelorum , erigendis inservirent : tertius vero canonicatus conferretur perpetuo iniuncto onere, ut beneficiatus pro tempore penes ecclesiam S. Stephani, intra fines matricis, qua vicarius curatus resideret, praedicaret, cathechesim pueros doceret, infirmis circumstantis districtus sacramenta ministraret, sacramentales confessiones in sua ecclesia audiret, et quoties his aliisque curae muneribus vacaret, qua praesens in choro in sua s. Syri ecclesia haberetur.

Inde ergo ab eo tempore parochialis iurisdictio in civitate s. Remi ita mansit divisa: ad septentrionem in summo collium declivio paroecia s. Iosephi: inferius usque ad mare, hinc ad occidentem matrix ecclesia s. Syri, illinc ad orientem paroecia s. Mariae Angelorum: medius vero inter has duas districtus s. Stephani, ubi alter ex canonicis decimalibus vicariam atque adiutricem operam praeposito s. Syri praestaret.

Aliquot post annos evulgata ab Italico Gubernio pseudo lege, quam suppressionis bonorum ecclesiasticorum vocant, commune ceteris collegiatis exitium pati etiam debuit s. Syri ecclesia. Exceptis namque duobus canonicatibus decimalibus, qui perinde ac si curata beneficia habiti sunt, eo quia suppetias praeposito parocho ferebant, unus, iuxta dicta, in ecclesia s. Stephani, alter vero in ipsa s. Syri matrice, ceteri universi canonicatus et mansionariae confìscatione damnati sunt. Et hac de causa clerus collegiatae servitio addictus pedetentim decrevit, et canonici, qui vicenarium numerum prius attingebant, nunc 13 esse dicuntur.

Interea autem pluribus illuc pergentibus aut illius coeli

clementia aut negotiorum lucro allecti, civitas crevit, et viginti millia atque amplius stabilium incolarum numerare coepit.

Hac itaque de causa, ob auctnm nempe civium numerum, et ad tollenda etiam quaedam dissidia quae inter canonicum s. Stephani rectorem, et capitulum s. Syri saepenumero contigisse dicuntur, hodiernus Episcopus in id consilii nuper devenit, ut ecclesiam s. Stephani in propriam et independenter paroeciam erigerei, simulque ad novam parochialium confinium praefinitionem in civitate s. Remi manus admoveret. Quod fecit per decretum diei 23 Octobris 1888. Cui autem animi proposito novum adiunxit incitamentum liberalitas canonici Sghirla, moderni s. Stephani rectoris, qui partim de suo, partim e piae mulieris largitione, peculiarem dotem, reditum nempe 600 libellarum, pro novae paroeciae erectione constituit.

Verum statim ac canonicis s. Syri Praesulis decretum innotuit, eidem pro viribus obstandum esse duxerunt. Nova paroeciarum circumscriptio eis minime arridebat; sed maxime nova s. Stephani paroeciae erectio ipsis dolebat, idque Episcopo significarunt, eumque a suscepta sententia abducere conati sunt. Sed videntes frustra id fieri, ad S. Sedem appellarunt contra huiusmodi decretum.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CAPITULI. Patronus qui capituli partes agit orationem suam exorditur commemorando, tralatitium in iure esse parochiarum dismembrationem alienationis speciem induere, et ideo sine iusta causa et solemnitatibus a iure requisitis perficit haud posse. Iustam autem causam tunc tantum adesse cum tanta sit distantia et itineris incommoditas « ratione cuius nec parochiani, praesertim tempore hyemali, possunt accedere ad ecclesiam parochialem pro divinis sine periculo aut magno incommodo; nec parochus ad illos occasione infirmitatis pro sacramentorum administratione. » Ita

Ferraris *v. Dismembr. n. 14* cum Lotterie-, Monacellio aliisque ibidem.

Imo etsi magna sit distantia inter quemdam vicum et paroecialem ecclesiam « non permittitur dismembratio , supradictis non obstantibus, quoties parochianis consultum est per coadiutorem qui possit sacramenta ministrare in commodiori ecclesia. » Idem Ferraris *I. c. n. 15,* cui chorum agunt Barbosa ad Ç. Trid. *sess. 21 cap. 4,* C. De Luca *Be parochis clise. 34 et ad C. Trid. discep. 16 n. 7* Zamboni *Collect. Decis. v. Eccles, par.* S. Rota *cor. Lancetta decis. 855 n. 10* et *cor. Tañara decis. 240 n. 5 et 6,* cuius peremptoria verba praestat ex integro referri - ibi -: « Quatenus etiam... tempore hyemali non possent parochiani sine magna difficultate matricem ecclesiam adire, nihilominus deveniri haud poterat ad erectionem novae paroeciae ; sed capienda erat provisio remedio conciliari, deputando scilicet sacerdotem ad nutum ecclesiae matricis amovibilem, qui parochi vices ibidem exerceret, uti semper respondet sacra Congregatio Concilii. Quoties enim valet provideri ordinario remedio deputationis cappellani amovibilis, nunquam debet esse locus alteri nimis exhorbitanti et extremo remedio dismembrationis. »

De cetero « ob solam aucti populi numerositatem » dismembran non posse ecclesiam parochialem ex auctoritate s. Rotae, tum S. C. C. in pluribus resolutionibus edocet Ferraris *I. c. n. 18.* Unde tandem Berardi veterem novamque disciplinam hoc in puncto perpendens in *tom. 1 p. 27* § *seq.,* postquam recognoverit olim Episcopum potuisse prudenti suo arbitrio parochias dismembrare novasque erigere, quoad recentiora tempora subdit : « Emersit hinc consuetudo, iuxta quam ex una causa adaucti populi non valeat Ordinarius ad parochiarum divisionem procedere, quod hodie certum est, postquam consuetudo visa fuit probata in Conc. Tridentino dicto *cap. 4 sess. 21 de reform.* - Ac factum hinc est, ut divisio parochiarum inter res odiosas a pragmaticis recenseatur, ad quam propterea nonnisi extra ordinem deveniri

possit; nimirum nonnisi emergentibus causis expressis in *Cap. 3 De Eccl. aedific.* »

Age vero, in themate iustam dismembrationis causam defuisse, putat patronus ex hoc uno facile coniici, quod inter matricem ecclesiam s. Syri et adiutricem ecclesiam s. Stephani distantia 400 metros non superet, et urbanae viae commodissimae ac plateae utramque ecclesiam coniungant, ceu graphicus typus seorsim afferendus, et peritia magistri murarii Bracco punctim demonstrant.

Cui si adiiciatur, in eadem s. Stephani ecclesia a pluribus annis rectorem constitutum fuisse, qui adiutricem operam parocho praestet et sacramenta circumstanti populo administret; si insuper pensetur, fideles in districtu novae paroeciae commorantes aegre tulisse dismembrationem, et professos esse, se libentius ad s. Syri accurrere; vel luculentius consequi censet orator, nedum necessitatem dismembrationis in themate non adstitisse, sed insuper superfluam divisionem fuisse.

Quin appellatio fiat ad auctum fidelium numerum in s. Syri paroecia. Quandoquidem misso in primis quod id in iure iustam dismembrationis causam non subministrat; insuper maxima aedificiorum pars, quibus illud oppidum auctum est, in regione orientali et in districtu paroeciae s. Mariae Angelorum constructa sunt; dum in parte occidentali et intra fines paroeciae s. Syri diversoria, villulas, aedes aedificata sunt, quibus ad apricandum et ad rusticandum commodissimum solatium advenis, exteris, et ut plurimum acatholicis paratur; sed quibus civium et parochianorum numerus revera non augetur. Id sane comprobat attestatio a compluribus s. Remi civibus subscripta et ad S. C. C. per archipresbyterum transmissa.

At nedum causis destitutam, nedum superfluam sed et damnosam eamdem dismembrationem praedicat orator , eo quia matrix ecclesia tum quoad territorium, tum quoad subditorum numerum inferior sit uni alterive loci paroeciae. Quod primam ac praestantiorem civitatis ecclesiam dedecere eique graviter nocere capitulum describit.

Sed praeterea iuxta patronum ex paroeciae erectione in discrimen ponetur ipsa canonicalis praebenda quam novus paroeciae rector retinet. Siquidem cum ea hucusque a confiscatione sarta tectaque manserit, eo quod tamquam beneficium curatum in subsidium paroeciae s. Syri renunciata et habita est; in posterum, si in vulgus prodierit, quod iam suboscure mundatur, et si fiscus inaudierit ex elargitione canonici Sghirla manualem reditum 600 libellarum novae s. Stephani paroeciae praesto esse, eidem, ecclesiastica bona semper inhianti, praetextum dabitur suae aviditati satisfaciendi et canonicalem praebendam, qua haud amplius curatam nec paroeciae necessariam, occupandi.

Nec satis; nam si canonicalis s. Syri praebenda novae paroeciae s. Stephani unita servetur, prout controversum decretum reapse fert, id absürdi sequetur quod canonicus, uni ecclesiae addictus, alteri qua parochus inserviet et interim praesens choro habendus erit; quod quidem abnorme iuxta patronum in ecclesiastica disciplina est.

Si vero separetur, iam in maius discrimen incidendum erit, nempe in moralem certitudinem confiscations canonicatus. Siquidem canonicatu ab animarum cura separato, nullus erit amplius obex, sed prona fisco* potestas suae aviditati satisfaciendi et beneficiaria bona usurpandi.

Dum e contra si nil innovetur, si ecclesia s. Stephani subsidiaria s. Syri relinquatur, si canonicus decimatis qua archipresbyteri coadiutor in speciali s. Stephani districtu consideretur, prout hucusque observatum est, omnia nunciata incommoda vitabuntur atque interim animarum curae aeque erit provisum.

His contra decreti substantiam propositis, nonnulla deinde adiicit orator contra eius formam. Cum enim, ait, paroeciae dismembratio species alienationis sit, idcirco « requirit omnes solemnitates requisitas in alienatione rerum ecclesiae; alias ex defectu solemnitatum est nulla. » Ita Ferraris *c.* ***7i.*** *7* cum Rota et DD. ibidem. Prima autem ex solemnitatibus ad hoc requisitis est vocatio Rectoris et ei-

tatio aliorum, quorum interest. *Ib.* et Berardi *Diss. 3 cap. 3 t. 1 p. 279.* Quapropter in casu nostro antequam paroecia dismembraretur vocari oportebat archipresbyterum, ipsumque s. Syri capitulum, cuius, utpote habituali cura in universa paroecia donati, dismembratio utique intererat.

Quin cum Episcopo dicatur s. Syri capitulum parochiali qualibet iurisdictione carere. Quandoquidem id verum esse poterit quoad actualem animarum curam, quae ab archipresbytero principaliter et a duobus canonicis decimalibus subsidiarie exercetur; minime vero quoad habitualem. Habitualis enim cura capitulo inesse semper praesumitur ad tradita per Rotam *Decis. 184 n. 24 cor. Olivatio* quoties « parochia iuncta est ecclesiae cathedrali aut collegiatae; » praesertim si « emolumenta funerum et mortuorum , itemque oblationes et e'eemosynae aliaque huiusmodi non ab uno Archipresbytero percipiuntur, sed ab universo capitulo : et si quando archipresbyter absit, functiones parochiales ac stolae non solent obiri a cappellano aut a quopiam extra capitulum____sed a decano vel seniore canonico. » Atqui haec omnia in themate favore capituli s. Syri verificantur, ceu comprobat fide dignum documentum a pluribus testibus subscriptum et ad acta relatum. Ergo ambigi non potest quonrinus habitualis cura capitulo s. Syri competat : et inde etiam sequitur idem capitulum interpellandum de dismembratione fuisse. Quod tamen quum hac vice fuerit£omissum, hinc nedum contra substantiam, sed etiam contra iustitiae formam episcopale dismembrationis decretum offendisse patronus concludit.

DEFENSIO EPISCOPI. EX altera parte animadversum fuit quod in dismembratione paroeciae duo casus sunt sedulo distinguendi, divisionis nempe beneficii et territorii : et prior quidem odiosus est, utpote quia veteris beneficii statum laedit et honestae substentationis media antiquo parocho minuit; non ita vero alter, ceu eruitur ex Torricelli *De union, benef. q. 882 n. 2, ex cap. 33 De praeben,* cum S. C. C. die 23 Aug. 1755, apud Pallottini *f. 28 n. 33,* et Garcia

12, 11, 13, Leurenius 4, 909, 1. et apud Acta S. S. *t. 10, 269,* necnon ex ipso thesauro S. C. O. in *Squillacen,* 19 Maii 1888 *Firmana* 16 Iunii 1888 et *Concordien.* 15 Iunii 1889. (1)

Imo dismembratio, quae dotem beneficii non afficit, sed tantummodo parochialem iurisdictionem ad maiorem fidelium commoditatem, et aptiorem sacramentorum administrationem partitur, omnimodo favore prosequenda videtur, utpote quia, dum bono animarum prospicit et providet, temporale antiqui parochi interesse revera non laedit, imo onera et officia eidem reducit, quin reducat, saltem ordinario, nisi in minima parte proventus; et quia dismembratae ecclesiae non detrahit, quum huius decori per matricitatem facile consuli possit.

Quapropter dum pro dismembratione quae ipsum afficit paroeciae beneficium, causae et solemnitates a iure requisitae exiguntur, interesse habentes debent necessario audiri, aliaque peragi; e contra pro sola territorii dismembratione expeditius procedi posse videtur: et dum pro primo casu Episcopi *cap. 4 sess. 21. C. Trid.* praescriptis se conformare utique tenentur, in altero casu invocare utilius possunt *cap. 13 sess. 24* eiusdem Concilii et alia sibi favorabilior iura. Et ratio est quia dum beneficium dismembratur quasi privatum alicuius dominium laeditur, quod sine evidenti necessitate perfici nequit: e contra spiritualis iurisdictio in nullius privato dominio est, et pro meliori animarum regimine dividi semper debet, quoties possibile sit.

Age vero in themate res est de dismembratione territorii, minime vero beneficii. - Quae vero adversus orator pro re sua proponit, ad summum in casu de vera propriaque paroeciae dismembratione, idest quando simul et territorium et beneficium scinditur, applicationem recipere possunt. Ad summum dixi; nam revera nimium videtur quod ex Ferraris aliorumque quorumdam DD. sententiis ibi nunciatur. Si-

(1) ***Squillacen,*** adest Vol. XXI, 182, ***Firmana*** Vol. XXI, 400, ***Concordien.*** Vol. XXII, 69 et 660. Recolé etiam notam in calce paginae Vol. XXI, 186.

quidem iuxta doctores ex adverso relatos dismembratio fieri non posset ex aucta populi frequentia, quia tunc consuli potest cogendo rectores sibi tot sacerdotes adiungere quot sufficiant, sed nec ex locorum distantia et difficultate viarum ; nam tunc dicitur - capienda provisio remedio conciliari, deputando scilicet sacerdotem ad nutum ecclesiae matricis amovibilem, qui parochi vices ibidem exerceat.

Porro hae sententiae in primis contradicere videntur *cap. 4 sess. 21* C. Trid. ubi facultas Episcopis expresse tribuitur ut « in iis ecclesiis, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis rectoribus— constituere possint: eisque competens assignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. » At insuper si oppositae DD. sententiae valerent, iam de parochiarum dismembratione in posterum actum omnino esset; nam nec ex jjpopuli frequentia, nec ex locorum distantia, idest ex nulla amplius causa, parochiarum status posset mutari; quod profecto nimium videtur. Ideoque DD. ex adverso citatis potest cum De Luca, canonistarum facile principe, responderi , quod « manifestus est error illorum qui cum aliquibus S. Congr. resolutionibus... aut aliquorum Doctorum traditionibus pro huiusmodi nova erectione facienda vel deneganda in sola littera procedunt, cum sit potius quaestio nudi facti, ex singulorum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis decidenda. « Et de estero neminem latet, hanc S. C. non semel, ob maiorem dumtaxat populi commoditatem, parochiarum dismembrationem permisisse, prout pluribus exemplis adductis docet folium causae *Sagten. Bismemb. 22* Aug. 1885 § Quae. (1) Sed haec quasi ad abundantiam dicta esse vult ac ut pateat ne in casu quidem adversae parti favorabiìiori, idest in stricta propriaque dismembratione, omnimodam ap-

ti) Eecole Vol. XVIII, 315.

plicttionem recipere quae, quoad sartum tectumque paroeciarum statum absolute servandum, ibi proponuntur. Ceterum in themate in aliis adiunctis versamur; nam quaestio unice est de territorialis iurisdictionis divisione.

Imo nec proprie quaestio est de territorii divisione nunc primum et de novo instituenda; sed utique de divisione, pluribus abhinc annis aliquatenus iam instituta, ulterius urgenda et perficienda. Siquidem Episcopus Biale ab anno 1852 districtum S. Stephani inter duas s. Syri et ss. Angelorum paroecias constituit, et peculiari curae alterius ex canonicis decimalibus concredit. Porro hoc dum ex una parte evincere videtur iam tum necessitatem novae s. Stephani paroeciae sentitam fuisse, una simul etiam controversum hodierni Episcopi decretum tuetur.

Quin dicatur ideo Episcopum Biale alteri ex canonicis decimalibus animarum curam in s. Stephani ecclesia commisisse, ut eius beneficium a futura, quam praevidebat, suppressione eriperet. Quandoquidem in primis haec mera supposito est nullo certo ac positivo argumento innixa. Insuper nec omnino apta et ad rem.

Sane ad hanc praebendam a suppressione praeservandam haud erat necesse proprium peculiaremque curae districtum eidem assignare, eiusque investito residentiam et sacramentorum administrationem in s. Stephani Ecclesia iubere: imo sicut alter ex canonicalibus decimalibus, quin speciali aliquo districtu donaretur, nihilominus qua curatus habitus est, quia suppetias praeposito parocho ferebat, et hac una de causa incolumis a suppressione evasit; sic et de altero decimali canonicatu contingere optime potuisset. Itaque territorii praefinitio ac residentiae iussio non ideo instituta videtur, ut alter ex canonicalibus decimalibus servaretur, sed utique quia iam tum utile ac necessarium pro animarum regimine apparuit, ad s. Stephani ecclesiam aliquem sacerdotem, quasi parochum, residere.

Atqui haec necessitas in praesentiarum crevit, eo quia stabilium incolarum numerus inde ab eo tempore quinque et

amplius millibus auctus in s. R,emo reperitur, et universa civitas 20 millia animarum excedit. Nil mirum igitur si Episcopus perficiendum in praesentiarum duxerit, quod iam tum rite et pacifice incoeptum erat.

Eo vel magis quod ex dimidiata iurisdictione paroeciali in Ecclesia s. Stephani multa enascebantur incommoda prout fidem facit Episcopus et fortius etiam quia prospiciendo bono animarum in frequentiori populo sarta tectaque servabatur pulchra et sacramentorum administrationi apta Ecclesia, quae in magno versabatur discrimine, ac demum quia respui , levi de causa, non poterat canonici Sghirla largitio ad s. Stephani paroeciam independenter constituendam oblata.

Nec regerere iuvat in districtu s. Stephani aeque provisum videri, sive verus parochus, et sive merus coadiutor ad eas aedes inhabitet et in eo districtu resideat. Quandoquidem responderi cum Ursaya *discept, eccl. 14 tom. 1 p. 1 ad n. 93* optime potest: « Certum est quod, per deputationem capellani consultum non remanet eo modo, quo consultum esset per deputationem parochi, tam ratione personae, quae dignior semper habebitur in parocho, quam ratione dignitatis et proventuum ipsius officii; in quo parochus, utpote suae ecclesiae sponsus et suarum ovium pastor, maiori et studio et charitate curet parochianorum salutem, quod non facit simplex mercenarius, qualis in proposito dicendus est • capellanis seu vicarius. »

Nec instaurari potest argumentum appellando ad ecclesiarum propinquitatem et viarum facilitatem. Nam bene observat Episcopus quod in habitationibus Civitatis, vim quaestionis haud efficit distantia intra duas Ecclesias. In civitatibus enim ubi urgentioribus negotiis fideles occupantur simulque maioribus commoditatibus inhiant, expedit, et prudentis moderatoris semper est, faciliorem et expeditiorem maxime reddere fidelium cum pastore communicationem. Ceterum in themate s. Syri templum dimidio ferme kilómetro a s. Stephani ecclesia abest, et haec distantia, quae pro iis, qui

trans s. Stephani aedes incolunt, necessario crescit parva certe non est, praesertim cum de civitate agatur.

Nec ulterius exprobrari quasi anticanonicam licet unionem canonicatus s. Syri cum paroecia s. Stephani. Duplex enim casus est distinguendus: si enim cura animarum nec actu nec habitu ad capitulum pertineat, tunc quidem a canonico extra suam ecclesiam exerceri nullatenus potest, et observari debet quod S. C. C. decrevit in *Venusina* diei 30 Iulii 1762, in qua proposito dubio VI, « an liceat canonico curam paroecialem exercere extra ecclesiam cathedralem, quae nec actualiter, nec habitualiter ad capitulum pertinet > responsum est: *Negative.* Quod si animarum cura habitu ad capitulum pertineat, nulla repugnantia est quod canonicus in distincta ecclesia actuali curae ministerio fungatur, et interim praebendae fructus ac distributiones percipiat. Imo hoc expresse cautum invenitur in *Sess. 22, capit. 3 Conc. Trid.* et docte more suo illustrat Benedictus XIV *inst. eccl. 407, n. 56.*

Nec denique ex decreta dismembratione damnum revera grave matrici s. Syri ecclesiae obtingere revera potest. Siquidem in eodem controverso decreto provide cautum est; ut in sacris functionibus omnis aemulatio unam inter aliamque paroeciam cesset, et filialis ecclesia, quatuor dumtaxat exceptis diebus, in aliis quibuslibet subordinate ad matricem se gerat. Quapropter fidelium ad s. Syri aedes concursus populique frequentia ex novae paroeciae erectione, aut melius perfectione revera non impeditur, nec ideo temporalia illius ecclesiae lucra ex hoc pessumdantur.

Sed etsi aliquod damnum exinde capitulo et ecclesiae s. Syri obveniret, leve certe esset, et magis temporale quam spirituale, ideoque iustam causam haud videretur subministrare ad infirmandum Episcopi decretum et ad revocandam dispositionem, quam ad bonum animarum conducentem et omnino necessariam Episcopus traducit. Porro docente Benedicto XIV Const.....« *Cum illud* « parvipendendum non est testimonium illius Pastoris , cui divino mandatur elo-

quio oves suas agnoscere. » Praeterquamquod acta sustineri •decet.

Ceterum uno ictu omnia obiecta argumenta conterantur •et utilitas peractae dismembrationis factaque interesse habentium compulsio, quae ex adverso in dubium revocari videtur, non suspecto argumento probatur, per parochi s. Mariae Angelorum verba, in litteris ab eo ad S. C. C. directis contenta.

His itaque animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An episcopale Decretum diei 22 Octobris 1888 sustineatur in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, re discussa sub die 14 Iunii 1890, censuit respondere: *Negative.*

EX QUIBUS COLLIGES I. Paroeciae dismembrationem sapere speciem alienationis; ideoque ad eam rite perficiendam requiri omnes solemnitates expetitas in alienatione rerum Ecclesiae, ne irrita fiat et nullius valoris ex defectu solemnitatum.

II. Habitualem curam animarum inesse Capitulo Ecclesiae vel ex eo dignosci potest, quando emolumenta funerum oblationes, eleemosynae non ab uno Archipresbytero percipiuntur, sed ab universo capitulo; vel quando absente Archipresbytero, functiones paroeciales fiunt a decano vel seniore Capituli, minime ab extraneo.

III. In dismembratione Paroeciae distingui a Doctoribus divisionem beneficii a divisione territorii; primamque haberi ceu odiosam utpote quae beneficii statum laedit et honestae •substentationis media beneficiato antiquo minuit, alteram vero odiosam non censeri.

IV. Quinimo dismembratio, quae dotem beneficii non afficit, sed tantum iurisdictionem parochi, ad maiorem populi commoditatem, et aptiorem sacramentorum administrationem, benigno favore prosequenda videtur, dum antiqui

parochi temporale interesse non laedit, eius onera et officia minuit.

V. Episcopos ex Tridentino *Sess. 21 cap. 4* posse novas constituere, paroecias etiam invitis parochis, in iis Ecclesiis, in quibus ob locorum distantiam vel difficultatem, fideles sine magno incommodo accedere nequeant ad percipienda sacramenta et divina officia.

VI. Attamen si rigidiorum Doctorum doctrina sequenda esset nunquam locum habere posset aliqua Ecclesiarum dismembratio, quia nec populi frequentia nec locorum distantia iustam exibent causam dismembrationis; eo quod tum populi frequentiae, tum distantiae prospici possit per sacerdotes coadiutores aut per vicarios.

VII. Nuperrimam tamen S. C. C. iurisprudentiam et Tridentino magis consonam, favere facilius dismembrationi Ecclesiarum, iustis de causis; quia per proprios pastores melius consulitur bono animarum, quam per coadiutores aut vicarios. Parochus enim suae Ecclesiae sponsus est et suorum ovium pastor, qui easdem curabit maiori studio et charitate quam capellanus aut vicarius, simplices mercenarii.

VIII. Qua de re cum ius commune et iurisprudentia faveant dismembrationi Ecclesiarum in bonum animarum, quod est suprema lex iis in quaestionibus, dicendum est omnem dismembrationem esse quaestionem facti.

IX. In themate factum dismembrationis , ab Episcopo peractae haud tale visum est Emis Patribus, quod iis adiunctis fulciretur ut rite aut prudenter dismembratio admitti posset.

X. Quando cura habitualis est in Capitulo, potest canonicus exercere curam actualem in Ecclesia, a Cathedrali etiam distincta, et suae praebendae fructus et distributiones percipere, veluti si ministerium paroeciale in ipsa Cathedrali exerceret.

PANORMITANA

MATRIMONII

DU 12 Iulii 1890.

Sess. 24 cap. **1** De reform.

COMPENDIUM FACTI. Carola Locasto panormitana, Francisci filia, expleto aetatis suae XVI anno, in monte Peregrini rusticabat hospes sororis suae Mariae, uxoris Iosephi di Maio. Huius domum familiae amicus Ioannes Ceraulo frequenter invisebat. Amore accensus in suam sponsam petiit Carolinam, quae propter aetatis disparitatem et aspectus petentis formam, minime allicientem, renuit. Post triduum Ioannes a domo Iosephi recessit, sed per epistolas Carolae missas animum eius multiplici arte sibi trahere studebat. Puella devicta quem respuerat amavit ! Quadam die a sua ancilla epistolam Ioannis accepit, qua eam rogabat, ut secum breviter colloqueretur in atrio ubi ipse eam expectabat. Carola illico egressa a domo et vix cum per scalas descendisset a Ioanne rapta fuit, et ad domum quamdam ducta, ubi cum raptore per mensis unius spatium permansit. Hoc cum audisset Franciscus puellae pater, iratus filiam dereliquit, nec audire patiebatur nomen eius, sed intercedentibus parentibus, placatus filiae suae honori providere curavit, et Ioannem, ut matrimonium coram Ecclesia celebraretur, invitabat. Sed raptor nolebat. Verum minis perterritus annuit et non in ecclesia parochiali S. Antonii, sed in S. Leonardi, forsitan delegatione, matrimonium cum Carola contraxit. Sequenti die a sua sorore interrogata Carola utrum consummatum fuerit, negative respondit, nesciens in quo actu matrimonium consummetur. Et postquam soror ipsi explicasset actum matrimonialem, sincere manifestavit sponsum vires suas omnes adhibuisse in toto mense cohabitationis, et in nocte, sequente matrimonii celebrationem, ut ipsa defloraretur, sed frustra ; atque numquam perfectam copulam adfuisse. Re pervulgata per parentes, et cum ad au-

res Ioannis pervenisset, paucos post dies ipse sponsam suam Francisco huius parenti restituit, qui postquam obstetricis inspectioni filiam subiecisset, libellum municipali auctoritati tradidit, quo matrimonium civile Ioanni interdictum esset,, cui libello nunquam Ioannes, conscius sui defectus respondit, et in contumacia perseveravit. Quatuor elapsis annis Curiam panormitanam Carola per procuratorem adivit, postulans ut nullitas matrimonii ab ea initi cum Ioanne declararetur ob impotentiae impedimentum. Confecto ad tramites Constitutionis Benedicti XIV processu, Ordinarius sententiam emisit, qua matrimonium huiusmodi nullum fuit definitum. Defensor vinculi ad curiam archiepiscopalem Cefalutensem appellavit, quae alterum processum non instituit, sed panormitanum prae oculis habens, irritam fecit sententiam Ordinarii panormitani, et validum declaravit matrimonium de quo sermocinamur. Carola Sanctam Sedem adivit, appellatione facta, et insimul supplici libello rogavit, ut causa oeconomice ageretur.

Disceptatio synoptica

VOTUM THEOLOGI. Cum agitur de causa matrimoniali, ait iste, oportet ut pro cautela sacramentalis vinculi certissimis probationibus ipsa autentico Episcoporum et inde Cardinalium criterio definiatur. Ritus vero in huiusmodi causis enucleandis specialis est, ac aliis causis minime applicandus. In iure statutum est, *de frigid, et malefic,* quod sequitur. *Uxor, si prior post annum aut dimidium ad episcopum^ aut eius missum proclamaverit dicens quod non cognovisses eam, tu* (nempe maritus) autem contrarium affirmas, tibi credendum est, eo quod caput es mulieris: quia si proclamare voluit, cur tamdiu tacuit? Cito enim et in parvo tempore scire potuit si secum coire potuisset. Si autem statim in ipsa novitate post mensem aut duos ad episcopum aut eius missum proclamaverit. dicens : volo esse mater, volo filios procreare, et ideo maritum accepi: sed vir, quem ac-

cepi, frigidae naturae est, et non potest illa facere propter quae illum accepi, si probari potest per rectum iudicium separari potestis, et illa, si vult, nubat in domino. » Prima fronte videtur Carolam non exisse ad normam huius constitutionis, quia post quatuor annos mulier curiam panormitanam adivit. Sed e contra essentialem iuris praescriptionem Carolam observasse opinamur. Puella enim intra duos menses, cum didicisset quid sibi vellet consummatio matrimonii, mediante actione patris sui, nam sub patris potestate adhuc erat, si curiam non adivit, sed civilem potestatem, proclamavit tamen; si ipsa post quatuor annos iudicium ecclesiasticum petiit valide et iuridice actionem instituit. Proclamatio sollicita est indicium primitivum existentis impedimenti ac proinde in iure requiritur, ut sollicite fìat, sed non praescribitur limitatio temporis, ita ut in nullitatem incurrat quaecumque actio posterior fiat. Non datur praescriptio in huiusmodi causis, ne animabus sponsorum detrimentum reddatur. Coscius, *lib. 1 de separat, thor.* ait « Si uxor virgo e-t , ac virginem remansisse constet post multos annos reclamare potest et audiri meretur. » Verum in processu legitur quod Franciscus Locasto pater Carolae reclamantis sub iuramenti sanctitate affirmavit non adisse Curiam panormitanam propter angustias multas et ratione paupertatis; desperabat enim gratis iudicium fore acturum. Idem iureiurando deposuit Gulielmus eius filius. Sed quare triennalis cohabitatio ad experimentum fuit omissa ? Huiusmodi experimentum requiritur quando impedimentum impotentiae dubium evadit, non exigitur quando pro certo habetur. Antea per mittebantur simul cohabitare coniuges impotentes, ut frater et soror; verum ex hodierna Ecclesiae disciplina non amplius id conceditur, praesertim si coniuges iuvenes sint, licet non institerunt, pro declaratione nullitatis matrimonii.

Sixtus V literis ad Episcopum novariensem missis Apostolicae Sedis in Hispania legatum praecepit tales contrahentes minime simul cohabitare. Celestinus III *{iri Beer. 55 Requisisti),* ait: « Requisisti quantum tempus indulgendum

sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae nuptialis. Nos vero praesenti consultationi sentimus ut... si frigiditas prius probari non posset, cohabitet per triennium. » Quando evidens est impotentiae impedimentum in maximo periculo castitas coniugum constituitur, quod periculum debet averti. Et sanctus Alphonsus doctor Ecclesiae facultatem, ait, habere sponsos in foro conscientiae ab invicem separari cum certum sit matrimonium non posse consummari.

Longum silentium Ioanni Ceraulo in nihilo obstat procedendi rationi, quam in hoc iudicio Carola Locasto servavit. Illi potest applicari regula iuris *Qui tacet assentire videtur.* Nihil opponit coram civili et ecclesiastica auctoritate. Citatus ad respondendum de iis quae ipsi tribuuntur, quaeque sunt dedecoris argumentum, contumax efficitur. Huiusmodi silentium interpretari pro heroicae patientiae inditio in puellae raptore posse mihi non videtur omnino. Sed contumacia unius non debet obesse iuri alterius. Nulla quaestio definiretur si contumaciae locus daretur impediendi sententiam. Citatus a iudice, quocumque suspicari potuisset curia ipse incolaret loco, Ioannes non respondit. Contumacia eius irritum efficiet Carolae recursum? Soror ipsius citationem respuit, et nescire domicilium fratris sui simulavit. Quid amplius fieri oportebat ut Ioannes se ad Ordinarium praesentant? Valet in casu illud iuris praescriptum adducere: si contumax apparuerit is, in quem fuit actio dirigenda, sive quia peremptoria citatione recepta venire contemnit, sive quia malitiose se ipsum occultat, sive quia impedit ne possit ad eum citatio pervenire, testes lite non contestata sunt merito admittendi et nihilominus si de causa liqueat ad definitivam sententiam pervenire. Innocentius III *de lit. non con test. cap. V.* Crescit argumentum quando habetur declaratio Ioannis facta in scriptis extra iudicium, qua confitetur se esse reum. Quamvis probatio huiusmodi extraiudicialis sit, recipi potest ut accipiuntur tabulae seu scripturae antecedenter confectae a contendentibus in iudicio. Ioannes Ceraulo ad restitutionem famae, quam ipse a familia Lo-

casto per raptum Carolae abstulerat, confessionem suae reitatis scripto tradidit.

Non potest asseri huiusmodi declarationem extortam fuisse vi metuque. Nam adfuit Ioannis Ceraulo, declarantis nepos, qui huiusmodi metum nunquam opposuit in causa dedecoris avunculi sui. Ipse Ioannes coram civili auctoritate declarationem suam non retractavit, ut exortam a vi metuve. Nulli metum a parentibus Carolinae passum manifestavit. Poterat quidem contra parentes reclamantis querelam instituere. Parentes Carolae nemo in iudicio arguit de praepotentia. Unum restat, scilicet quod Ioannes sui conscius ad evitandum poenale iudicium coram civili tribunali declarationem illam tradiderit parentibus. Cum adsit scriptura, in qua habetur confessio rei, quamvis contumax sit, retineri potest tamen ut sit iudicio praesens. Et si testes a sua parte desint, hoc factum declarationem suam confirmat, quia renuntiat probationes in sui favorem, cum non possit eas adducere.

Qua de re matrimonium a Ioanne celebratum cum Carolina Locasto nullum fuit ob impedimentum impotentiae.

Etenim matrimonii finis est multiplicare homines super terram. Masculum enim et feminam creavit Deus, benedixit eis dixitque: crescite et multiplicamini super terram; sanctificatum et ad ordinem supernaturalem sacramenti matrimonium fuit a Christo Domino elevatum, ut fideles multiplicentur filii Ecclesiae suae. Quando obiectivus huiusmodi finis per naturalem essentialem que defectum deest, nullum est et sacramentum et coniugium. Iure naturali et iure ecclesiastico impotentia perfecta antecedens, sive sit naturalis, sive accidentalis, perpetua, sive absoluta, sive respectiva, sive nota fuerit ante celebrationem matrimonii, sive ignota, matrimonium dirimit. Si coniugium ut contractus naturalis respicitur caret materia conventionis , defectu impotentiae perpetuae et antecedentis, ac proinde nullus est. De essentia contractus matrimonialis est potentia generandi ut divus Thomas docet *Supplem. q. 58 art. 1.* In iure legitur defi-

nitio Celestini III in *cap. 4 De frig. et male f.* quae ita se habet. At vero si quod nunquam se invicem cognoverint sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere; ita non est conveniens matrimonii contractus si fìat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit: de impotentia arguitur Ioannes Ceraulo, debet ergo si probationes pro inputatione certissimae habentur, matrimonium eius cum Carola Locasto nullum declarari. Verum primo probari debet an sit antecedens huiusmodi impotentia. Est antecedens iuxta communissimam Theologorum sententiam si allegetur .brevi tempore uno vel altero mense post matrimonium. Carola post mensem quo commorata est cum Ioanne, et post dimidium mensis vel alterum, certissime sequente die matrimonio contracto manifestavit impotentiam viri sui. Sunt aliqui theologi qui in dubio an fuerit antecedens impotentia iudicandum opinantur in favorem matrimonii, quia ut aiunt supponitur potentia contrahentis; sed probabilior est sententia divi Alphonsi *Lib. VI Tr. VI n. 1104* cum Tournely *t. 2 pag. 209* Bonacina *qu. 3 p. 13 n. 11* Salmaticensibus /. c. quae iudicandum potius docet favore reclamantis nullitatem; cum enim matrimonium nequit habere effectum suum, nimirum procreationem prolis, potius refert ad eius favorem ut iudicetur invalidum quam validum, ne retorqueatur in eius praeiudicium quod in bonum eius est inductum. Quisque praesumitur potens, sed non quando adest positiva praesumptio in contrarium, ut in casu huiusmodi causae; maxime si nulla post matrimonium acciderit causa per quam praesumatur impotentiam matrimonio successisse. In themate nulla allata invenitur causa in processu, unde impotentia Ioannis secuta sit matrimonio. Erat decoris, et necessarium famae Ioannis vel per semetipsum, vel per alios saltem causam in tempore matrimonii exortam manifestare, sed tacuit; imo in sua epistola declaratoria ait non consummasse, et Carolam adhuc puram et integram fuisse cum ab eo restituta fuit patri suo. Si ergo probatur quod ipse impotens est, debet omnino recognosci im-

potentiam suam fuisse antecedentem. Praecitatus CelestinusIII formam.probationum statuit dicens: at vero si quod nunquam se invicem cognoverint ambo fateantur cum septima manu propinquorum vel viciniorum bonae famae, si propinqui defuerint, factis sacrosanctis evangeliis, uterque iureiurando dicat quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent; et tunc videtur quod valeant ad secundas nuptias convolare.

Id Carola Locasto, sub iuramento coram iudice ecclesiastico fatetur atque confirmat. Videtur autem Carolinae confessio habere caracteres ingenuitatis ac sinceritatis. Iuramento firmata magis elucet veritatis aspectus.

Corami testibus extra iudicium Ioannes Ceraulo etiam suam confessionem emisit, quae non videtur extorta fuisse: numquam enim de vi sibi illata in subscribendo declaratoriam scripturam conquestus est, nec eius nepos qui fuit unus testium. Imo tota scriptura sua manu fuit confecta. In huiusmodi scripto confessus est Ioannes suam impotentiam. Nec aliquid innuit defectuosum invenisse in puella, sed sibi tantum, et sanitariis circumstantiis imputât non advenisse malum, scilicet consummationem matrimonii. Testes omnes unanimiter de veritate confessionis Carolinae Locasto deposuerunt, non solum quia veracem esse puellam cognoverant, sed etiam quia facta quae ipsa narraverat erant directe eis nota. Ioseph di Maio testificans ingenuitatem Carolae ante et post matrimonium ait, quod ea quae narraverat Carola erant sibi certissima, quia acciderunt in domo sua. Gulielmus Locasto frater Carolae deposuit, vera esse quae Carola asseruit, et sibi cognita, sed coactionem illatam in Ioannem ut matrimonium ecclesiasticum celebraretur sincere confitetur, nullum verbum profert de aliqua vi facta Ioanni ut ipse scripturam conficeret ubi Ioannes se impotentem esse declarat. Testis Antonius Nota, regius notarius certificator,. ea quae narraverat Carola, sua depositione cum iuramento confirmavit. Salvator Zumma deponit quod a Ioanne Ceraulo missus ad intercedendum assensum a Francisco Locasto, pa-

tre reclamantis, hic aegre consentiit, declarans magno cum dolore assensum dare quia Ioannes rapiens Carolam abusus fuit amicitia.

Restat altera probatio, scilicet inspectio corporum. Huiusmodi inspectio pernecessaria non est. Sacra enim Congregatio C. in Burdigalen, dispensationis diei 26 feb. 1882 sine inspectione corporum solvit vinculum matrimoniale et bene; nam Ursaya, *Tom, III discept. 21 %>. 2,* ait: cum vero adstruitur impotentia viri ne mulier invita ad coelibatum cogatur; quod ius non patitur, haud exigitur certa et concludens probatio, sed satis est quod dicta impotentia sit adeo probabilis, ut s. Pontifex illam veram existimare possit et ad gratiam moveatur. Idem opinantur Card. de Luca *discep. 7 n. 7 de Matrim.* Conscius *de separat, thori Lib. 2 cap. 2 n. 386,* Sacra ipsamet Congregatio C. Neapolitana matrimonii *dispens. 3 Martii 1871.* Sufficit quod testes deponant credere vel ab aliis accepisse impotentiam vel viri vel mulieris et haec depositio sit iuramento signata , Panorm. cum Glossa in d. C. Laudabilem. Hanc opinionem Salmaticenses n. 137 probant et evolvunt. Nec oportet inspectio sit utriusque partis, nempe viri, et mulieris, alioquin iustitia denegaretur viduis. Nihil ergo confert in causa de qua agitur si inspectio facta fuit corporis puellae et non viri; quia vir contumax fuit perseverans, et nullibi inveniri potuit; et integritas puellae demonstrat inconsummationem matrimonii. Verum non solum obstetrices et medici extraiudicialiter deposuerunt Carolam fuisse virginem, sed etiam obstetrices et medici iureiurando in iudicio integritatem Carolae confirmarunt. Usi sunt balneo quoque iuxta instructionem S. C. in quo evanescunt quaecumque fraudulenter artificiose sint peracta, et cicatrices quamvis debiles manifestantur. Et revera Le Bec et Ferrant praemisso balneo testati sunt in causa non posse haberi probabilem inconsummationem. Sed alii medici in balnei experimento virginitatem certissime, vel deflorationem deduxerunt. Similiter nostris temporibus aliqui scriptores artis medicinalis inspectio-

nem corporis feminae spernunt, eo quod potest aliquando remanere integrum hymene, et adstringi per longum tempus. Sed ne tota scientia ad scepticismum reducatur, sensus communis habet quod exceptiones sunt regulae generalis confirmationes, et a possibili non deducitur esse. Legibus physicis adhaerentes inspectionem corporum admittimus criterii esse argumentum, et usus balnei probationis adiumentum. *Probatio* ait Barbosa *debet concludere per necesse, et per esse, non autem per possibile, vot. decis. v. 17 n. 93.* Inspectio corporis Carolae adiuta usu balnei manifestavit eius integram virginitatem, ac proinde dicit impotentiam Ioannis.

Si ergo confessio iurata sponsae, et in scriptis confessio sponsi impotentiam viri demonstrant; si depositiones omnium testium sponsae confessionem confirmant, si contumacia sponsi nihil infert in causam, si omnes testes uniformiter comprobant confessionem puellae, si inspectio corporis virginitatem eius testatur, consequens est, ut nullum fuisse matrimonium in themate definiatur.

Nonnullas tandem animadversiones adiecit consultor quoad argumenta sententiae Ordinarii cefalucensis, et conclusit ; iudicibus offeruntur scripturae exaratae ante iudicium, ac proinde extraiudiciales sunt, et tamen in contestatione litis argumenta profert sententiae dicendae contumaciae obstinatissimae supplet huiusmodi scriptura. Si, ut Archiepiscopus ait, Ioannes non obstante raptu Carolam numquam est amore prosequutus, quare eam unius mensis spatio secum retinuit, nec parentibus restituit? Insuper quid boni poterat, praeter honoris restitutionem, puella sperare ab illo matrimonio? Haereditatem? Sed puella ecclesiasticum non civilem matrimonii contractum exigebat; et ab ecclesiastico coniugio effectus civiles praesenti lege non producuntur. Declaratio Ioannis potius sibi quam Carolae favebat ; et velut divortium pacificum erat. Si tam poterant gravem incutere timorem Carolae parentes animo Ioannis, civile coniugium coegissent eum contrahere. Si timebat Ceraulo Ioannes pa-

rentes Carolae, sollicitant suum exitum a panormitana civitate statim ac'parentes sponsae ad matrimonium ipsum cogèrent, ut iam egit quando vocatus fuit ad ius. Sed Curia cefaludensis ait in praedicta declarationis scriptura, nihil de impotentia demonstrat. Sed illa verba quae exprimunt causam, ob quam puella violata non fuerat « *attentis meae salutis conditionibus quibus utor, nullum feci eidem puellae malum, neque facere poteram.* » quid innuunt nisi impotentiam? Denique Curia cefaludensis tribuit virginitatis integritatem puellae aliis causis , sed quaenam huiusmodi causae esse possunt? Non potest sententiam iudicis possibilitati pro certo niti, sed facti realitati.

Quae cum ita sint, ut nullitatem matrimonii in themate demonstrent, si adhuc virgo est Carola Locasto, si vir vel est mortuus, vel ne quidem patria eius habebunt spolia, nemo enim scit quo ipse moretur, superest ut saltem puellae gratiam largiri dignetur Sanctissimus Pater ad alia vota transeundi dispensando in matrimonio rato et non consummato, ne periculum fornicationis incurrat. Viginti duos annos habet, cognovit allicientes voluptates, difficilis est ei continentia.

VOTUM CANONISTAE. In primis itaque sciendum est quod Ioannes Baptista Ceraulo, vir nullius Religionis, habita repulsa a parentibus, et ab ipsa Carolina de matrimonio cum eadem contrahendo, adeo ipsam allicere studuit, ut inopinato domum paternam deserere et secum aufugere ei suaserit non solum, sed et per integrum mensem cum ipsa cohabitaverit, et condorinierit. Hoc pessimum vitae genus procul dubio diutius perdurasset, nisi instantis nonnulli consanguinei tanto malo remedium adhibere conati fuissent, iratum parentum ipsius animum demulcendo, et legitimum matrimonium eisdem suadendo, ad familiae et infelicis Carolinae dedecus aliqualiter reparandum. At hic opus, hic labor! Nam Ioannes Ceraulo utpote atheus, admittens tantum contractum civilem, matrimonium ecclesiasticum absolute respuebat, ita ut nonnisi ob minas, et violentias ipsi illatas, ad hoc ineundum consenserit.

Post haec ipse Ceraulo relicto Panormo, ut videtur, in aliam regionem se contulit, ac semper contumaciter se gessit, ita ut quamvis pluries diligenter quaesitus fuerit, numquam tamen inveniri potuerit. Infelix autem Carolina Locasto oblato supplici libello Curiae panormitanae petiit ut matrimonium nullum declararetur ex capite impotentiae. Curia recensitum matrimonium nullum declaravit. Defensor vero vinculi matrimonialis, appellationem contra dictam sententiam promovit penes seniorem Episcoporum illius Provinciae, nempe Cefaludiensem iuxta Bullam Pii Noni quae incipit: « Multis gravissimis > qui oppositam omnino sententiam pronunciavit die 11 Maii 1888, scilicet praedictum matrimonium esse validum.

Patet ergo nos in praesenti causa inter duas oppositas iudicum sententias versari, una pro validitate pugnat, alia pro nullitate militat. Quoad primam sententiam abs re non erit animadvertere quod eius acta sacris canonibus haud in omnibus conformia sint; et praecipue instructioni huius S. Congregationis diei 22 Augusti 1840, nec non S. Officii. Brevitatis autgm gratia, ceteris omissis, sequentia notare liceat. In prima instructione haec leguntur: « Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor' matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata cancellario, seu notario, aperienda illo postulante, ex iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans. » Interim dum pars erit examinanda ipse cancellarius exscribet in processu primam interrogationem , et deinceps singulas ex ordine post quas scribet responsiones a iudice dictandas : - Exhibitis notulis a partibus, iudex eliget quinque peritos tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his in quibus partes consentiant : - Defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata super quibus fieri debet examen peritorum. « iudex tres saltem obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico et altero chirurgo, seligendis ex celebrioribus civitatis, tum quoad scientiam, tum quoad religionem, et honestatem sedulo erunt in-

struendae de recognoscendo visu, et tactu in muliebrium inspectione. »

« Tandem iuxta S. Officii instructionem matrona quae omnibus actibus ab obstetricibus, et peritis exequendis praeesse debet, non qualiscumque persona esse potest, sed talis quae sit . . . antiquae virtutis, nullique exceptioni obnoxia. »

Praedictarum legum observantiam non levis esse ponderis in causis matrimonialibus neminem latet, cum non raro hae leges impediant quominus aliqua coniugum collusio, aut fraus detegatur, quae non immerito in praesenti casu accidisse inter coniuges, et testes septimae manus suspicari posse videtur. Et revera isti septem testes instantis nempe pater, quatuor eius filii, et duo generi in verbo Carolinae Locasto iurant super supposita absoluta impotentia coniugis Ceraulo, omnesque prout sunt consanguinitate coniuncti, ita omnino concordes in asserenda ipsius veracitate, ingenuitate, et innocentia, tam ante fugam cum Ioanne Bapt. Ceraulo, quam post cohabitationem unius mensis cum eodem, domum paternam repetiit; unaque voce iisdemque verbis veluti immaculatam columbam proclamant, verumque asserunt quod ipsa deposuit. O vere siugularis ingenuitas, o simplicitas nova, o innocentia inaudita! Mulier decem et novem annis nata, acceptis antea a suo amasio amatoriis epistolis, sponte paternam domum deserens, cum ipso fugam arripit, per unius mensis spatium cum eodem cohabitat, et condormit, eiusque insistentia, et pertinacia carnis conamina in semetipsa experitur, et tamen ingenua, et puerula coram iudice declarari audetur.

Insuper facta quae matrimonii celebrationem sequuntur, attente perpensa eo magis superius dicta confirmant, et mutuam coniugum, et instantis parentum collusionem adstruunt. Nam die secunda post initum matrimonium a germana Carolinae sorore de ipsius consumatone sciscitatur, et de Cerauli impotentia suspicatur; obstetrix familiae Elisabeth Spata accersitur, a qua inspectione peracta, sponsa virgo declaratur, sponsa ipsa dimittitur a Ceraulo, et paternae

domui restituitur, de eodem Ceraulo formalis declaratio, si non materiali, *morali saltem coactione* obtinetur , in qua seipsum accusat, veniam implorat, suam impotentiam aliqualiter profitetur, se a Panormo abscessurum promittit, et quod promittit absque ullo temporis intervallo executioni mandat, ita ut de ipso nulla in posterum notitia haberi potuerit. Haec omnia brevi temporis spatio summa festinatione completa, et contra Ecclesiae leges sola tantum auctoritate privata exequuta, nonne merito nobis rationabile exhibent argumentum collusionis et fraudis?

Quod autem talia facta acciderint in persona Ioannis Baptistae Ceraulo nil mirum est; ipse enim utpote atheus, habita iam cum instante suae pravae passionis omnigena satisfactione, nihil optabilius ei erat quam plena sua libertate gaudere, et maiora mala sibi forsitan imminentia vitare. Properandum autem nunc est ad examinandas probationes, quae afferuntur ad adstruendam Cerauli impotentiam absolutam: ad hoc facit ad rem illud iuris principium a doctoribus unanimiter admissum tamquam axioma: impotentia perpetua ad copulam reddit irritum subsequens matrimonium. » Nempe impotentia non lato sensu, sed stricto sensu accepta iuxta decretales *tit. De frig. et malef.* et nil aliud importat nisi veram inhabilitatem ad carnalem copulam habendam. Quibus praemissis, neminem latet quod iuxta canonicas sanctiones, et communem canonistarum sententiam, quando de impotentia coeundi agitur, probatio potissima est inspectio corporis. Confessio autem coniugum, et testimonium septimae manus sunt probationes auxiliares, et confirmati vae. Si ergo prima probatio Claudicat, reliquae etiam infirmantur. At in presenti casu potissima probatio non solum Claudicat, sed omnino abest cum ipso Ceraulo, prout superius dixi, semper et vere contumaciter se gesserit, numquam coram tribunali comparuerit, ac numquam medicorum inspectioni se subiecerit: ac per consequens de illius impotentia ad iuris normam nullum iudicium efformari potest.

Restat ergo ut super testimonio septimae manus ali-

quantulum insistamus: ad id notandum est quod testes septimae manus concorditer iuraverint super verba instantis, cuius suppositas virtutes summopere exaltant. Ipsa vero deponit quod Ceraulo non obstantibus conatibus carnalibus cum ipsa habitis, matrimonium non consummaverit. At heic statim observandum est quod uno tantum die cohabitaverint coniuges post initum matrimonium, quo transacto, et exorta de impotentia suspicione, sponsa dimittitur a sponso. Dixi una tantum die, quia tempus cohabitationis coniugum ante matrimonii celebrationem, nihil ad rem nostram officit ; nam non unum diem, sed triennale experimentum coniugibus a sacris canonibus conceditur.

De cetero potuit Ceraulo impotentiam simulare, vel innaturali modo cum sua amasia coire, et voluptatem tantum quaerere, vel ita caute actum explere, ne integritas ipsius violaretur.

At dato, et non concesso, idest admissis omnibus quae in mense cohabitationis, et condonationis instantis cum Ceraulo acciderunt, quid inde? de ipsius forsitan impotentia constaret? absit: sed factum tantummodo de inconsummatione pateret, non absolutam, et perpetuam ipsius impotentiam demonstraret. At indubitatum est quod aliud est loqui de facto consummationis, aliud est de potentia ad consummationem loqui; factum consummationis, vel inconsummationis externum est, ac sub sensibus cadit, potentia autem ad consummationem naturae mysteriis saepe devolvitur, ita ut nec oculus, vel scientia peritissimi medici de illa iudicium ferre valeat. Quapropter Reiffenstuel *lib. 4 decret, tit. Be frig. et male f. n. 34* ait : « Etiamsi ambo coniuges in foro externo fateantur ex parte unius adesse impotentiam perpetuam, non potest eos Iudex separare, nec matrimonium illorum annullare, nisi prius legitima a sacris canonibus praescripta adhibeatur probatio. » Hanc canonicam probationem debere prae ceteris adamussim conformari celebri Constitutioni Benedicti XIV incipienti *Bei miseratione,* et instructioni S. C. C. diei 22 Augusti 1840, nec non S. Of-

fìcii indubitatum est apud omnes sive theologos, sive canonistas. De balneo aquae tepentis a peritis *recognoscendo,* prius quam mulier in ipso immergatur, ne verbum quidem in actibus reperitur. Notulae a partibus non fuerunt exhibitae, et loco quinque in arte peritorum duo tantum admittuntur; et interrogatoria pro ipsorum examine clausa, et obsignata, nec non instructiones pro obstetricibus a peritis non exhibentur. Tandem quod incredibile prorsus videtur, maximum in re tanti momenti negotium germanae instantis sorori committitur, gravissimum scilicet matronae officium, in inspectione corporis eiusdem instantis contra S. Officii instructionem, in qua expresse iubetur quod matrona non solum *antiquae virtutis,* sed insuper *nulli exceptioni debeat esse obnoxia :* quae exceptio in praesenti casu absolute est admittenda.

Sententia vero Panormitana sic se exprimit : « Petitiones istius De Locasto procedant, et ideo matrimonium de quo agitur declaratur nullum. >

Ex quibus omnibus merito actorum processualium nullitas sequeretur dicente Piringhio *tit. 15 Be frig. et male f. n. 33;* « Forma probationum iure praescripta, propter eius omissionem vitiatur sententia. » Felinus pariter *Be rescript. C. Cum dilecta IO ampi,* primo ait : « Omissio formae in qualibet minima parte, « vitiat totum processum. » Denique Fagnanus *Be poenit. et remiss. C. qui Presbyterum n. 51* ait: Forma etiam in minimis servanda est, alias actus est nullus. > Nihilominus acta primae sententiae absque ullo partium studio perpendentes adstruimus duplicem inspectionem ab Elisabeth Spata obstétrico facta in genitalibus instantis paucis momentis post initum matrimonium, nullius ponderis esse, utpote carentes omnibus conditionibus a sacris canonibus requisitis, et nuper relatis. De inspectione autem a Curia panormitana exequuta advertimus, ipsam aliquantulum claudicare: 1. ob defectus superius recensitos, *2.* ob officium matronae ab istantis germana sorore expletum, 3. ob longum temporis spatium decursum a matrimonii ce—

lebratione, ad inspectionis executionem, nempe quinquennium,, per quod mulier, si caste vivat, talis apparere potest, qualis revera non est, scilicet integra cum sit violata et corrupta. Hoc praeter quotidianam experientiam periti in arte sive medica, sive chirurgica confirmant. Unde Zacchias *lib. 4 Quaest, medie, legal, tit. 2. quaest. 1. n. 28 ad 31 :* Potest, inquit, hymen integrum remanere, corrupta existente muliere praecipue si virga tenui existente in, viro, hymenis orificium sit ampliusculum, nam absque hymenis laceratone mulier corrumpi potest et concipere. » Et inter recentiores Barzellotti in opere cui titulus : *Questioni di medicina legale lib. 1. n. 78* docet « quod bene evenire potest matrimonii consummatio, et conceptio absque hymenis fractione. >

Procedendum nunc mihi esset ad examinandam oppositam appellationis sententiam a Curia cefaludiensi latam die 11 Maii 1888, de qua in praemissis dixi peccare per excessum. Quae verba non ita sunt intelligenda quasi debilis sit, aut claudicans, ideoque infirmanda, absit; quinimo omnino tenenda videtur: sed quia Defensor aequitatis limites excessit in sui officii executione, ipse enim nimis intentus matrimonii validitati vindicandae, totis viribus eiusdem matrimonii consummationem defendit, et matrimonii consummationem strenue substinet, quia, iuxta ipsum, de virginitate in desponsata nulla haberi potest certitudo : quasi unum idemque sit matrimonium ratum, seu validum, et matrimonium consummatum. Nam saepe saepius verificantur matrimonia valida, et non consummata, quod in praesenti casu revera accidisse indubium videtur.

Ut autem excessus in casu clarius pateat, ex dicendis apparebit. Defensor matrimonii ut integritatem Carolinae Lo-Casto absolute excludat, varias congerit peritorum in arte sive medica, sive chirurgica sententias, ex quibus demonstrare conatur nullius ponderis esse quaelibet inspectio in partibus genitalibus feminae, ita ut numquam certi esse possimus de ipsius integritate, vel corruptione. Quibus admis-

sis nemo non videt quod inutiles prorsus dicendae sunt omnes doctrinae et regulae^ quas celebres scriptores tam antiquiores, quam recentiores nobis hac super re tradunt. Supervacaneae pariter retinendae sunt sapientes Ecclesiae praescriptiones in huiusmodi inspectionibus exequendis, et praesertim celeberrima S. Pontificis Benedicti XIV constitutio , S. Congr. Concilii Instructio diei 22 Augusti 1840, nec non Instructio S. Officii : quod nullus sanae mentis asserere audebit. Certitudo absoluta, et physica a sacris canonibus non exigitur, quia plerumque nullimode obtineri potest. Quapropter ad rem Coscius *lib. 3 de sep. tori 2. n. 146,* ait; « Cum agatur de facto occulto, a quo testes absunt, probationes esse non possunt certae, certitudine physica, sed sufficiunt certae certitudine morali, quae fundare valeant Iudicis animum, quemadmodum sunt coniecturae, indicia, et alia argumenta coniunctim ponderanda; ut docent communiter canonistae, et theologi. » Eadem veritas a Zacchia confirmatur *lib. 4 tit. 2 quaest. 2 n. 8-9* qui ad virginitatis cognitionem, descriptis symptomatibus quoad carúnculas, colorem, et unionem partium tum in virginibus , tum in corruptis, ita concludit: « Itaque haec omnia signa simul conspirantia integrae virginitatis evidentem coniecturam praebent. Nam quod singula per se testari non possunt, simul unita poterunt. Quamobrem si ultra haec ipsa , quae iam notavimus, ea quae infra notanda veniunt apparebunt, de virginitatis incorruptibilitate non inane iudicium ferre licebit. »

Quamvis vero matrimonium in casu validum dicendum sit, consummatum tamen haudquaquam dicere possumus. Hoc enim probant 1. Instantánea coniugum separatio inconsummationis causa secunda die a matrimonii celebratione. 2. Bina inspectio in genitalibus instantis ab obstétrica Elisabeth Spata, peracta in primis matrimonii momentis , et in iudicio iuramenti sacramento deposita. Hae inspectiones etsi privata auctoritate volitae, cum tamen a persona idonea, et publica exequutae fuerint, et post quinquennium eo-

ram Tribunali iuramento confirmatae, vim praeseferunt ad instantis virginitatem clare, et manifeste assertam, et matrimonii inconsummationem demonstrandam. 3. Periti in arte medica ad hoc electi. 4. [Obstetrices ab Ordinario deputatae. 5. Testes omnes septimae manus ad deponendum in casu vocati. Hi omnes recensiti unanimiter instantis virginitatem apertis verbis, et sub iuramenti sanctitate tuentur.

Indubitatum est Summum Pontificem verum in terris Christi Vicarium, suprema pollere in universam Ecclesiam auctoritate, qua vinculum matrimonii rati et non consummati relaxare possit. Coscius *desep. tor. lib. 1 cap. 26 n. 3.*

Ceterum ut valeat dispensatio, vel saltem ut recte impertiatur, oportet ut adsint gravissimae causae pro ipsa dispensatione concedenda. « Licet enim, ut docet Sánchez *de Sacram, matrim, lib. 2. disp. 15. n. 5* probabile sit valere dispensationem Pontificis in matrimonio rato absque causa iusta concessam, verius tamen est, uti docet *n. 6 conclus. 2.* dispensationem absque causa iusta factam non tenere : quia ut iam docuerat *disp. 13 n. 6* indissolubilitas matrimonii est de iure naturali, et divino, in quo dispensatio Pontificis absque causa iusta concessa, est prorsus irrita: ut Theologi communiter, et iuris utriusque doctores fatentur. »

Restat ergo tantummodo inquirendum an in praesenti casu iustae ac sufficientes causae adsint pro matrimonii rati, et non consummati dispensatione concedenda. Causas autem adesse graves ad dispensationem concedendam nemo dubitat si consideretur quod sponsus patriam dereliquerit, nec requisitus inveniri potuerit; quod sponsa adhuc in fiorente aetate castitatem servare perpetuam deberet, quod graves extiterint discordiae, quae iterum exardescerent.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Carolina Locasto matrimonium, quod, volvente anno 1882 sub die 21 Maii, in aetate annorum undeviginti constituta, iniit cum Ioanne Baptista Ceraulo duos supra quadraginta annos nato, *raptus, clandestinitatis impotentia eque* vitiis infectum anno 1887 proclamavit. Eique fortuna in primo iurisdictio-

nis gradu arrisit, Nam panormitanus iudex die 28 Novembris 1887 sine ambagibus rescripsit: - *Petitiones istius de Locasto procedant, et ideo matrimonium, de quo agitur, declaretur nullum.*

Sed causa vi appellationis per sacramenti vindicent ad Cephalüdis episcopum, iuxta apostolicas literas s. m. Pii Papae IX - *Multis gravissimis* - delata; ibique ad iuris tramites discussa, cephaludensis episcopus, die 11 Maii 1888, Iosepho Localce, Francisco Bianca et Salvatore Cino suffragantibus, panormitanam sententiam cassavit, et matrimonium edixit quaquaversus validum. Neque sit qui putet Carolinam quae perhibetur pauper, succubuisse indefensam. Etenim Carolina a die 13 ianuarii 1888, in forma iuris valida, sibi adlegit defensorem capitula probatoria in huiusmodi iudiciis nec necessaria nec usitata ad luxum adhibuit. Imo in die controversiae disceptationi praefinito, video alium quoque Advocatum, nomine Misuraea, qui Carolinae causam etiam atque etiam orat.

Post tot discrimina rerum Carolina initi connubii valorem agnoscit, et ad Sacratissimum Principem conversa dispensationem efflagitat super matrimonio, quod illa opere completum fuisse inficiatur. Si Carolinam audias , Ioannes in arena coniugali est inutile lignum, et incassum per integrum mensem ante nuptias ac nonnullis subinde diebus genio maritali incubuit. Nihilo tamen secius illa huiusmodi viro nupsit, quia puella *sedecennis* res geniales ignorabat. Obiter advertam Carolam non sexdecim sed undeviginti annos natam fuisse. Neque facile inducar, ut credam puellam in illa aetate constitutam, siculam, quae ex condicto cum amasio fugam arripuerat, infantili innocentia praeditam. Formidolosissima praeterea mihi est Ioannis Ceraulo agendi ratio, qui postquam Carolinam rapuerat, postquam in matrimonium consenserat; quodam die solemniter coram compluribus testibus Carolinam intactam, ut Minervam, renuntiat seque profitetur maritali operi imparem, Panormo disparet, nec quo ille confugerit, iudex inquisitor deprehendere valuit.

In aprico est de gente agi in dolo, fraudibus atque insidiis struendis versatissima. Nihil tamen minus actorum moderator incredibile dictu est quantum bona fide abundaverit. Profecto specimen in actricis corpore, quod in presenti causa alpha et omega fieri sivit cautelis necessarissimis, ad fraudes praece vendas a saeculo in vectis, destitutum. Actricis enim corpus exploratum est primum a quadam obstetrice, auctorante Carolinae patre, deinde a tribus obstetricibus, matronae officio fungente Carolae sorore.

Quapropter obstetricum ac medicorum testimonium huiusmodi fiocci faciendum est. Sed, si actrix vera ea censet quae asserit, inspectionem ad iuris tramites peragi sinat. Videlicet -*primo* - matronae munere fungatur femina , quae iuxta instructionem S. C. Conc., sit « *antiquae virtutis et nulli exceptioni obnoxia »: - secundo* - obstetrices ac medici qui eas instruere debent, ita deputentur ut ad officium sibi commissum accedant, quin atrix eorum nomina et agnonima praenoscat, vel cum iisdem prius colloqui possit: - *tertio* - obstetrices, praemisso sueto aquae tepentis balneo , seorsim explorationem corporis expleant; subinde scriptam peractae inspectionis relationem unaquaeque edat antequam scire possit quid sententiant ac referant aliae obstetrices; - *quarto* matrona ac obstetrices orali examini supponatur; *quinto* demum formali examini subiiciendi erunt praefati medici, quorum iudicium exquirendum est super relatis et depositis ab obstetricibus.

Quae cum ita se habeant, haud interiecta mora, ad suprascriptam rogationis formulam « *An sit consulendum SS. pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* » responsum postulo « Negative », sin minus « *Dilata et compleantur acta processus, iuxta instructionem dandam.»*

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 12 Iulii 1890 respondere censuit: *Affirmative.*

Ex quibus colliges I. Resolvi posse matrimonia in quibus mulier proclamaverit dicens: « volo esse mater, volo filios procreare et ideo maritum accepi, sed vir quem accepi frigidae naturae est, et non potest illa facere, propter quae illum accepi. »

II. Attamen haec omnia, a muliere proclamata, probanda sunt: et si uxor virgo est, ac virginem remansisse constet, etiam multos post annos reclamare potest et audiri meretur.

III. Experimentum triennalis habitationis tolerari quando inpedimentum impotentiae dubium evadat, *si frigiditas probari non posset cohabitet per triennium;* non exigi vero quando pro certo habetur, ne castitas coniugum maximo periculo constituatur.

IV. Ne irritus fiat recursus mulieris contumacia viri, qui peremptoria citatione accepta venire contemnit, aut impedit ne citatio ad eum perveniat, aut malitiose sese occultat, testes tamen admittendi sunt, et si de causa liqueat ad definitivam sententiam perveniri posse.

V. Per impotentiam carnalem coniugium, ceu naturalis contractus, carere materia conventionis, et nullum fieri; quia est de essentia contractus matrimonialis potentia generandi.

VI. In probanda impotentia viri, ne mulier, contra ius, invita ad coelibatum cogatur, haud exigi certam et concludentem probationem, sed satis esse quod dicta impotentia sit adeo probabilis ut R. Pontifex illam veram existimare possit, ut ad gratiam moveatur.

VII. Impotentiam viri in themate probatam fuisse per corporis puellae inspectionem cum usu balnei, et per iuratam mulieris confessionem, confirmatam per omnium testium depositiones, tandem per viri ipsius confessionem.

VIII. Adhibendam esse legitimam probationem, per sacros canones volitam, antequam iudex irritum matrimonium declaret, etiamsi ambo coniuges in foro externo fateantur ex parte unius adesse impotentiam perpetuam.

IX. Ideoque nullitatem actorum processualium merito sequi, et vitiari sententiam, si forma probationum, iure praescripta, non observetur etiam in minimis.

X. Certitudinem physicam et absolutam non requiri a sacris canonibus, quia plerumque obtineri nequit; nam cum agatur de facto occulto testes absunt; et probationes suffultae esse possunt certitudine non physica, sed tantum morali.

CARCASSONEN.

IURIUM

Die 14 Iunii 1890.

Sess. 24 cap. **1** De ref.

COMPENDIUM FACTI. Post concordatum a Pio VII cum Napoleone consule initum, et die 15 Iulii 1801 Parisiis signatum, cum de Ecclesiae statu, immani persecutione ferme deleto ab imis, ex integro restituendo in Gallus ageretur, Episcopis ad novas Dioeceses missis id primum cordi fuit, ut cathedralium earumque capitulorum tituli et iura decernerentur.

Ad hunc effectum Arnaldus de la Porte, Episcopus Carcassonensis die 18 Maii 1803 publicum ferebat decretum quo statuit quae sequuntur: nostra Ecclesia cathedralis perfunctorie erigetur in Ecclesia s. Michaelis huius civitatis.

Antea' enim carcassonensis Dioecesis cathedralis ecclesia ad ss. Nazarii et Celsi erat: curnam vero ibidem restituta non fuerit, ex actis non liquet. - Clerus Ecclesiae nostrae cathedralis, ait Episcopus, constabit decem canonicis titularibus. Curatus Cathedralis, et rector Seminarii locum obtinebunt inter canonicos titulares. Omnia iura quae exerceri possent in dicta Cathedrali sibi reservavit.

Cum vero Cardinalis Caprara suis litteris diei 6 Aprilis 1802, quae incipiunt *CumSanctissimus.,*...... et quibus ad executionem demandábate concordatum, iussisset Ordinariis

arbitrio et prudentia constituere et definire omnia quae Capitulorum erigendorum statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem etc. respiciunt: idcirco carcassonensis Praesul ad haec statuta condenda animum intendit. Statuta conscripsit, quae plus minusve cum Parisiensibus aliisque, quae in Gallus obtinent coincidunt, et in quorum postremis quatuor articulis, qui nostra modo speciatim intersunt, quoad sacras functiones et exercitium curae animarum in cathedrali ecclesia haec speciatim disposuit : Episcopus divinis officiis adest quoties id expedire censet- Canonici intersunt per proprium turnum. Curatus in proprio stallo aderit divinis officiis. Missa solemnis capitularis dominicarum festorumque est Missa paroecialis Cathedralis. Exequiae baptismi, matrimonia servitia et sermones ordinarii fiunt per curatum aut eius vicarios. Solus Episcopus constituit horam, locum et caeremonias pro diversis officiis.

Interim die 26 Februarii 1807 legatus a latere Cardinalis Caprara, Cathedralis carcassonensis erectionem suis litteris ratam habebat et confirmabat.

Notandum autem est non satis constare utrum Card. Legatus suo decreto cathedralis erectionem unice approbaverit, an etiam ipsa capituli statuta. Ceterum hodiernus carcassonensis Episcopus ait : « Mihi autem et capitulo nullum dubium est, quin ea iam probata a Gubernio civili, sua auctoritate apostolica Legatus a latere confirmaverit. »

Quidquid sit, interim meminisse iuvabit, penes huiusmodi capitulum omnia pacifice processisse usque ad ultimos hosce annos, in quibus, cum ad curam animarum in cathedrali ecclesia, quae adhuc ad s. Michaelis est, vocatus fuisset sacerdos Larroque, hic confratres suos valde aemulari coepit. Praedicabat enim, capitulum nonnisi hospitem esse in s. Michaelis ecclesia, ipsamque Episcopi sedem ad tempus ac perfunctorie heic constitutam: quapropter parochialia iura cum omnium sacrarum functionum exercitio, integra sibi ac libera in sua ecclesia, aeque ac ceteris parochis in suis sedibus, esse debere.

Cum autem, nec Episcopus, nec Capitulum eius reclamationibus morem gerere viderentur, vertente anno 1888 ad S. C. C. supplex accessit, et relato decreto Episcopi de la Porte, quo cathedralis ecclesia ad s. Michaelis constituebatur, eundem Episcopum in primis quasi Pistoriensis conciliaboli doctrinis addictum renunciavit quia in eo decreto contra fas et ius - omnia qualiacumque iura in cathedrali ecclesia exercenda in manibus suis reservavit.

Episcopus pro informatione et voto de more rogatus paulo post, audito capitulo, sua et capituli iura quasi tuiturus respondit: « Facta in libello exposita vel veritate nequaquam nituntur, vel ex eis falsae conclusiones eruuntur. Et postquam super singulos articulos mentem suam aperuisset, sic concludebat: « Pax et concordia viguere semper inter Capitulum et antecessores Mauritii Larroque. Et ipse statum Ecclesiae cathedralis, priusquam parochus institueretur, ratum libentissime habuit. Quin etiam, ut viri fide digni affirmant, se nihil unquam contra iura Capituli moliturum promisit; at mox, promissi immemor, et licet pietate insignis, natura plus aequo rixosus, lites saepius movit: dicas illum in animo habere, ut iactitat, pium Episcopi senatum ex Ecclesia s. Michaelis eiicere una cum Episcopo , quasi sint in sede cathedrali extranei. Et infra : « mihi autem valde optandum superest, quod S. C. Concilii, causa mature perpensa, illum statum rerum in mea cathedrali tueatur quem sanxit Sedes Apostolica in omnibus Galliarum cathedralibus, etiam in iis quarum Parochus archipresbyter non est de gremio capituli; etenim ex quantulacumque Capituli iurium imminutione magna oriretur perturbatio. Capitulum munia sua peragit piissime, et parochus, ceu eius antecessores, curae animarum incumbit nullimode impeditus.

Disceptatio Synoptica

PAROCHI DEFENSIO. Punctum et fundamentum totius pro parocho argumentationis inde videtur sumendum quod ecclesia s. Michaelis non sit, nisi precario et ad tempus in

Cathedralem electa ac deputata. Quae quidem dispositio in dubium revocari non potest, cum in controverso decreto Episcopi de la Porte ea inveniatur expresse nunciata, et ipse hodiernus carcassonensis Ordinarius eam confiteatur his verbis: « Fateor equidem DD. de la Porte relicta ob gravissimas causas antiqua ecclesia cathedrali ss. Nazario et Celso dicata, sedem cathedralem anno 1803 in 'ecclesiam s. Michaelis eiusdem civitatis, *ad tempus,* uti ait, transtulisse. » Imo tam precaria videtur fuisse ab initio capituli et cathedralis collocatio in ecclesia s. Michaelis, ut Card. Caprara in suo confirmationis decreto ne mentionem quidem fecerit de s. Michaelis ecclesia, sed ss. Nazarii et Celsi aedes Dioecesis carcassonensis cathedralem simpliciter renunciaverit.

' Posito autem hoc facto duplex videtur in iure conclusio, primum, animarum curam ne habitu quidem penes capitulum residere, sed universam in parocho solidari. Quod quidem etiam ex alio argumento evinci posse videtur. Nam sub restaurationis initium paroeciae et capitula in cathedralibus separate constituta sunt; et nonnisi anno 1807 primus omnium parisiensis Praesul in sua metropolitana ad paroeciae et capituli unionem devenit. Et quamvis Imperatoris minister deinceps ceteris Ordinariis exemplum parisiensis Antistitis imitandum proposuisset; maior tamen Episcoporum pars hisce hortationibus nec morem gessisse, nec benignas, aures praebuisse videtur. Unde Consilium Status decreto diei 24 Iulii 1824 recognoscere debuit usque tum nonnisi 33 uniones fuisse factas. Inter eas vero unionem paroeciae s. Michaelis cum cathedrali capitulo carcassonensi minime numerari. Ergo inde confirmatur, paroeciam s. Michaelis a cathedrali capitulo esse prorsus divisam.

At si precario, si absque ullo ne habitualis quidem curae iure, uno verbo si tamquam hospes cathedralem capitulum carcassonense ecclesiam s. Michaelis ingressum est, vel maiora sequuntur. Siquidem in una *Fulginaten. Suppressionis et Unionis* 22 Martii 1841 citata in una *Marsorum*

Nullitatis unionis et pensionis 3 Sept. 1870 haec leguntur : « Ingrediente rectore alterius parochiae in ecclesiam ex reparationibus vel ex collapsis aedibus, ibi degere debet tamquam hospes, sese limitans in altari erigendo sub titulo antiquae paroeciae. » Quod pari ratione et de Capitulo dici posse videtur.

Vicissim vero parochum in propria ecclesia omnes sacras functiones peragere, parochialem missam praecinere, triduanas preces, novendalia aliasque supplicationes etiam haud stricte paroeciales peragere posse res vulgatissima ac notoria est. Recolere ad rem sufficit quod SS. RR. C. nuper, die nempe 19 Augusti 1872 decrevit, « parochum teneri diebus dominicis missam celebrare aliasque functiones exercere in parochiali ecclesia. »

Quin obsit in eadem ecclesia receptum quoque esse capitulum, ceu nuper decrevit S. C. C. in una *Pampilonen. Iur. paroch.* 23 Ianuarii 1886 et 29 Ianuarii 1887. Et quin -etiam pro vocetur ad contrariam aliquam quadragenariam vel centenariam consuetudinem; quippe quae contra iura parochialia numquam praevalere potest, ceu eruitur ex *Baren. Iur. Paroch.* 28 Augusti 1756, *Nullius Sublacen. Iur. Paroch.* 29 Augusti 1725. *Firmana Iurium* 30 Iulii 1877 *§ Urget, et Oritana Iur. Paroch.* 22 Septembris 1877 *§ Incassum.* Et quin etiam confugi denique possit sive ad episcopale decretum diei 18 Maii 1803 sive ad capitularia statuta huic cohaerenter confecta. Etenim haud licet Episcopis, quod ceteroquin egit Praesul de la Porte, parochialia iura sibi servare, ut ea in capitulares transferant, ad tradita per Fagnanum in *cap. Ex part. 6 De off. vic. n. 19* cum communi. Et idcirco ille Praesul, inspecto saltem iure communi, ab excessu potestatis in agendo excusari non posse imo doctrinam pseudo-synodi Pistoriensis a Pio VI per bullam *Auctorem fidei* § 7 damnatam reapse fovisse videtur, dum omnia qualiacumque iura in ecclesia s. Michaelis sibi servavit et attribuit, ut de iis pro lubitu disponeret.-

Quod eo vel firmius retinendum, et idcirco sive episco-

pale decretum anni 1803, sive subsequa capitularia statuta radicitus emendanda esse, quisque sibi facile suadet, si paululum perpendat, ea quae in decreto anni 1803 et in capitularibus statutis ordinata sunt, damna et impedimenta recto animarum regimini in dies magis parare. Testatur enim parochus morem canonicorum missam jet vesperas quotidie decantandi, non sustineri nisi magno cum incommodo paroeciae, necnon damno cleri parochialis, qui saepissime missam cantandi pro defunctis in die depositionis libertatem non habet.

Quae cum ita sint, prono veluti alveo descendit, novam rerum ordinationem in S. Michaelis ecclesia esse omnino praescribendam, prout enixe parochus petit.

DEFENSIO EPISCOPI. At vero ex altera parte observandum est, suppositum archipresbyteri Larroque multipliciter falsum videri, ipsaque inde collectas conclusiones haud legitime inferri. -- Sane admisso parumper archipresbyteri supposito quod nempe Episcopus cum suo capitulo *ad tempus* et *uti in aedibus parochi propriis* ad s. Michaelis ecclesiam se receperit, non inde fluere videtur quod ille contendit. Nam etsi parochus de sua sede pulsus vel aufugiens et in aliam receptus, ibi qua hospes se gerere debeat; hoc tamen de Episcopo eiusque capitulo in simili casu praedicari non potest. Non enim par est conditio parochi et Episcopi; et in casu Episcopi non agitur de migratione aequalis ad aequalem, sed de migratione superioris ad inferiorem; et Episcopus in qualibet suae Dioecesis ecclesia pastor est, primas ubique partes agere debet et principem locum tenere, et analoge etiam capitulum quia de Episcopi potioritate participat, et cum eo « unum et idem corpus constituit. » De Luca *De praeem. disc. 17. n. 14.*

Imo si, ad tradita per eundem De Luca *Miscel. disc. 29 n. 1-8* cum communi, Episcopus qui per maiorem anni partem residet in oppido suae Dioecesis, ecclesia eius loci qua cathedrali uti potest ad pontificalia, cum id « honorificentiam potius ecclesiae eiusque rectoris importet » ; a fortiori

id fieri poterit, si Episcopus non pro lubito, sed ex necessaria causa antiquas cathedrales aedes relinquere et apud aliam ecclesiam, etsi perfunctorie, hospitium quaerere cogatur.

Nec satis, nam si Episcopus et capitulum in aliqua parochiali ecclesia ad tempus necessario di versentur, inter eos unio aeque principalis habebitur, quae semper verificatur, quoties unio momentanea sit ad tradita per S. C. C. in *S. Miniati* 12 Dec. 1733, *Meliten. Dismembrai.* 15 Ianuarii 1738, *Leopolien. Uiiion.* 1 Sept. 1736. Atque in unione aeque principali in sacris canonibus statutum habemus, ut essentialia utriusque partis iura, quoad possibile est, intacta serventur et in confiictu inferior superiori cedat et minus dignus digniori. Ideoque in themate, et in supposito quidem unionis aeque principalis, in quo parumper haeremus, consequens erit, ut essentialia capituli et parochi iura serventur, et in conflictu, et ubi animarum praeiudicium non subintrat, parochus, utpote inferior et minus dignus, Capitutulo et Episcopo cedere teneatur.

Porro ex ipso Tridentino *sess. 24 cap. 4, 12 et 13 De reform,* plane edocetur proprium parochorum officium esse sacramenta ministrare, praedicare et populum christianam doctrinam docere: vicissim vero canonicorum esse divina obire officia, atque in choro ad psallendum vacare.

Et quamvis parochi ad alia sibi non omnino propria munera peragenda admittantur, imo et compellantur, quoties in sua ecclesia soli ac liberi sint, nihilominus in suppositae unionis casu, ne exitialis rerum confusio oriatur et ne capitulum inter et parochum continuae contentiones habeantur oportet, ut utraque pars intra limites sibi a iure stricte praefinitos se contineat.

Quod quidem in ecclesiastica disciplina omnino receptum videtur: nam SS. RR. C. decrevit in *Baionen.* 13 Septembris 1879 ad VI « Functiones in ecclesia cathedrali, quae simul est parochialis spectant ad capitulum, excepta tamen sacramentorum administratione. >

Ideoque etiam processiones, prout eadem S. C. decrevit die 23 Maii 1873, his verbis: « Processiones collegiatae ante vel post missam et vesperas pertinent ad hebdomadarium. »

Et a fortiori etiam solemnis missae, vesperarum, aliorumque officiorum celebratio cum cantu; nam id expresse cavit Benedictus XIV *const. Cum semper oblatas.*

Nec aliter dicendum videtur de fontis baptismalis benedictione in vigiliis Paschae et Pentecostes. Siquidem in primis ex SS. RR. C. decreto *Urbis et Orbis* 10 Dec. 1703 ad 6. negatur quod benedictio fontis de iuribus mere parochialibus sit. Insuper haec functio in cathedrali iuxta *eoerem. Episc. lib. 2 cap. 27 n. 16* Episcopo reservata est, et ab eo peragenda dicitur, vel, eo impedito, ab aliquo ex dignioribus capitularibus, quem ipsemet Episcopus designaverit.

Ceterum in themate quaestio de fontis benedictione mala potius fide quam iusta dubitandi causa promota a parocho videtur, quoniam constat ex testimoniis, illum obstinate noluisse hanc explere functionem.

Quapropter quum utrisque muneribus, parochi scilicet et capituli, sua propria distinctaque provincia maneat, in casu unionis utraque munera sine offensione in eadem ecclesia optime consistere possunt, ceu passim etiam in Urbe consistere videmus.

Quin imo etiam in Cathedrali carcassonensi ea rite procedere videntur, et nonnisi in archipresbyteri mente oppugnare, ceu refert Ordinarius.

Itaque etiam hypothesi admissa quod nempe Episcopus ad tempus et quasi in hospitium ad paroecialem s. Michaelis ecclesiam se receperit, non ideo quae archipresbyter vult reapse inferri viderentur. Nam ex unione aeque principali capitulum inter et paroeciam iuridice flueret, ut parochus intra suos limites stricte se continere deberet, et Episcopo et capitulo suarum functionum exercitium permittere.

At insuper constitutio cathedralis sedis ad s. Michaelem non adeo perfunctoria videtur, ut adversa pars supponit.

Latet quidem quomodonam contigerit, ut vetus ss. Nazarii et Celsi ecclesia in Dioecesis restauratione fuerit omissa: cum tamen sciamus, tempore revolutionis permultas Ecclesias etiam cathedrales alienatas esse, easque alienationes a Sede Apostolica fuisse recognitas, *Concordat, tit. 5 a. 1 et 2;* iam temerarium non est autumare, ea de causa ecclesiam ss. Nazarii et Celsi reiiciant esse, quia vel destructa vel alienata erat; et ea etiam de causa Episcopum de la Porte cathedrale templum « au moins provisoire » ad s. Michaelis constituisse, quia ad primitivas antiquissimis aedes haud amplius poterat redire.

Quidquid sit in praesentiarum ipse parochus Larroque auctor est ac recognoscit, nullam ferme spem dari veteris cathedralis instituendae. Quapropter casus evenisse videtur, de quo sermonem habet Pitonius *addit, ad, discept. 9 n. 8 et 11* ut nempe translatio, licet ab initio temporanea, perpetua fìat; quod quidem tunc evenisse censetur cum restitutio, ad primitivam sedem moraliter impossibilis evaserit, et 40 anni lapsi sint absque ulla reparationis spe. « In hac enim materia, ait, spes probabilis reparationis intelligitur si sit proxima » Atqui in themate, ipsa adversa parte fatente , spes nulla restitutionis et reparationis habetur, et nedum 40 sed 80 et amplius anni in huiusmodi statu lapsi sunt.

Porro si unio capitulum inter et paroeciam s. Michaelis licet ab initio temporanea, in praesentiarum saltem perpetua evaserit, eo minus parochus potest contra Episcopum et capitulum insurgere, eosque hospites renunciare, et qua tales quasi in inferiorem locum reiicere.

Verumtamen haec omnia quasi ad abundantiam dicta esse retinendum est; et ut pateat, etiam in archipresbyteri hypothesi haud quidquam descendere ex iis quae ipse cupit et studet. Ceterum ipsa eius argumentationis basis ac fundamentum impugnari merito potest.

Sane Pius VII bulla *Qui Christi Domini* diei 29 Novembris 1801 veterem statum Ecclesiarum Galliae penitus extinxit, novumque creari iussit. Veteri vero ecclesiarum statu

ita penitus suppresso et extincto, sequitur, antiquam Dioecesis carcassonensis cathedralem ecclesiam ss. Nazarii et Celsi non maiora sibi vindicare potuisse privilegia ac potestates, quam parochialem s. Michaelis ecclesiam : utramque imo omnibus antiquis iuribus mansisse expoliatam. Ex quo, uno veluti ictu, omnis archipresbyteri argumentatio subverti, et fundamentum cui universa eius contentio innititur prorsus dilabi videtur. Supponit enim ipse dominum ac rectorem ecclesiae s. Michaelis non Episcopum, non capitulum, sed unum parochum esse, quia ab initio et ante Gallicam revolutionem id obtinuerat ; et idcirco Capitulum et episcopalem cathedram non in sua, sed in aliena sede esse, hospites esse, et consequenter ad rectoris ac parochi exigentias subordinata. Atqui huiusmodi suppositum, ex dictis, falsum undequaque est: nec ad actualem parochum s. Michaelis maiora iura competere possunt, quam quae in Carcassonensis dioecesis restauratione ex Episcopi decretis eidem obtigerunt.

Accedit in casu nostro et pro cathedrali Ecclesia carcassonensi explicita apostolici Legati approbatio, quae certe se porrigit ad episcopale decretum diei 18 Maii 1803, quo cathedralis erigebatur; at probabiliter ad ipsas etiam capitulares constitutiones sese extendit, ceu Episcopus cum capitulo tuentur. Quapropter de horum actuum valore et legitimitate modo disputare ferme temerarium videtur.

Ceterum quo ad erectionis decretum in specie se attinet haud inutile erit recolere quod si in eo omnia spiritualia iura quae in cathedrali exercenda venirent, in manibus suis interim remanere Episcopus iussit, id fecit, non ut haec iura sibi in perpetuum vindicaret: quin imo paulo post eadem divisit et partim parocho, partim capitulo communicavit: sed id egit, ut maiori cum ponderatione deinde agere posset quod in ea temporis augustia prohibebatur, et ut, rebus maturius perpensis, omnium iura rite constabiliret, atque interim canonicorum et parochi aemulationes vitaret.

Ad statuta vero capitularia quod attinet meminisse sufficiat ea conformia apprime esse cum Parisiënsibus, aliisque

quae in Gallus obtinent, et quorum unum exemplar S. C. C- nuper examinavit in *Tarbien.* 28 Aprilis 1888, nec improbavit, sed remisit ad S. C. super Negotiis E. E., a qua demum approbatum fuisse fertur.

Quae cum ita sint, ratio non apparet cur capitulum inter et parochum nova concordia iniri debeat: praesens enim chori ordinatio, statutis legitimis invecta, nec iuri communi, nec aequitati naturali repugnat: quin imo conformis est usui omnium aliarum Galliae Cathedralium, et insuper fere centenaria observatione probata invenitur. Iamvero ut docet Rota in *Aretina Iur. Par. cor. Ansaldo* « consultus est observatae consuetudini deferre, quam aliud in dissensionem populi, novitate quadam adhibita statuere; et nimis durum est immutare ea quae longo temporis cursu servata sunt. » Cui accedit enixum votum Episcopi, ut nihil innovetur eo quod « ex quantulacumque Capituli imrium imminutionem magna oriretur perturbatio. »

His itaque adductis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An decretum episcopale diei 18 Maii 1803 sustineatur in casu.*

II. *An solemnis missae dominicalis et vesperarum celebratio, processionum deductio, ac benedictio fontis in vigiliis Paschae et Pentecostes ad parochum spectent in casu.*

Et quatenus affirmative

III. *An et quomodo novus vivendi modus capitulum inter et parochum sit praefiniendus in casu.*

RESOLUTIO. S. Cong. Concilii, re discussa sub die 14 Iunii 1890 censuit esset respondendum: *Nihil innovandum et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Quum Episcopus et Capitulum cathedralis unum idemque corpus efficiant, in qualibet suae Dioecesis Ecclesia diversentur, primas partes agere, locumque principalem tenore valent.

IL Episcopum uti posse, ad pontificalia, Ecclesia alicuius oppidi suae Dioecesis, in quo residet per maiorem anni partem idque vertere honorificentiae ipsius Ecclesiae eiusque Rectoris.

III. Episcopo et Capitulo diversantibus ad tempus in aliqua paroeciali Ecclesia, inter eosdem enasci unionem aeque principalem; in qua unione aeque principali ex iure constitutum est iura utriusque partis essentialia intacta servanda esse quoad fieri possit, et in conflictu, inferiorem superiori, digniori minus dignum cedere debere.

IV. Iura Canonicorum consistere in obeundis divinis officiis, et in choro vacando ad psallendum; parochorum vero iura, ex Tridentino, esse sacramenta ministrare, praedicare et populum christianam doctrinam docere.

V. Parochum, utpote inferiorem, in conflictu cum Capitulo quoad iura, cedere debere Capitulo, quoties non subintrat animarum discrimen.

VI. In Ecclesia cathedrali, quae simul sit paroecialis, functiones, excepta sacramentorum administratione, processiones, ante vel post Missam, ad Canonicos pertinere.

VII. Fontis baptismalis benedictionem in vigiliis Paschae et Pentecostes, quum non sit de functionibus mere paroecialibus, Episcopo reservari, ab eodem peragendam vel ab aliquo ex dignioribus Capitularibus , quem ipse Episcopus designaverit.

VIII. Quamobrem in themate etiamsi, per hypothesim , Episcopus et Capitulum ad tempus et quasi in hospitium ad paroecialem Ecclesiam sese receperint, tamen Parochus stricte suis iuribus contentus esse deberet, et Episcopo et Capitulo suorum functionum exercitium permittere : ideoque iuxta datam resolutionem S. C C . *nihil esset innovandum.*

MELEVITANA

SUBSIDII

Die 14 Iunii 1890.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Familia Borg de Pares, quae adeo locuples olim erat, ut inter primores illius insulae gentes recenseretur, quaeque eâ pietate flagrabat, ut complura legata piasque fundationes Ecclesiae reliquerit, hodie, Episcopo et parocho testibus, in tanta egestate versatur, ut nil ferme habeat quo vivat, dum aere alieno premitur.

Paterfamilias itaque, Benedictus nomine, in suae paupertatis levamen ac maxime ut aliqua dote instruat alteram suam filiam adhuc nubilem, et quamdam educationem masculis filiis praestet, a SSmo suppliciter poscit subsidium 1000 scutatorum melitensium, idest libellarum 2083, sibi tribui ex quodam legato missarum ecclesiae collegiatae loci *Senglea*, ab ava sua Aloysia anno 1852 relicto, cuius sors ad duo millia scutatorum, idest 4166 libellas, ascendit.

Rogatus Ordinarius pro informatione et voto ita respondit: etsi orator alias obtinuerit subsidium aliquod super eodem missarum legato, tamen quoniam ipse maxima urgetur paupertate, haud nequeo eum enixe commendare apostolicae Sedi. Nec praeteream non obstare gratiae concessioni ullum discrimen sacerdotibus obventurum; quoniam Dioecesis ditatur magno fundationum missarum numero. Attamen, prosecutus est Ordinarius, ne pia institutio gravi afficiatur discrimine aut substantiali immutatione, censerem ut gratia ad quingentos scutatos melitenses limitaretur.

Disceptatio Synoptica.

PRECES EXCIPI NEQUEUNT. His in facto relatis, in iure animadvertere praestat, « semel Deo dicatum non esse ad

humanos usus ulterius transferendum » prout habet *reg. 5 iur. in VI* cum *can. 4 caus. 19 q. 3* et *c. Ad haec 4 De relig. dom.* Id namque exigit tum divini cultus tum promissionis et factae donationis ratio, ipsaque demum voluntatis donatoris observantia. Imo quando res sit de legatis missarum, quae natura sua animae suffragium et expiationem respiciunt, vulgatum est apud omnes, nonnisi gravissimis prorsus de causis Ecclesiam uti sua, qua quidem pollet, auctoritate, commutandi fundatorum vel testatorum voluntates.

PRECES EXCIPI QUEUNT. Verumtamen ex adverso stat summae aequitatis regula quae ita in *cap. Quicumque 30 caus. 16 q. 7,* legitur: « Quicumque fidelium propria devotione de facultatibus suis aliquid Ecclesiae contulerint, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant.» Imo si ad extremam egentium paupertatem sublevandam officii Ecclesiae sit, iuxta *can. 20 caus. 12 q. 2,* aurum, calices aliaque pretiosa vendi; a fortiori in benefactoris ac patroni subsidium demi poterit aliquid ac restitui ex iis quae olim ipse aut eius familia praestarunt.

Et magis etiam, si agatur, prout in themate, de filiorum educatione et de dote nubili ac pauperi puellae comparanda, quam quidem causam maximo semper favore prosequuta est Ecclesia. Meminisse etiam iuvabit beati Urbani I sententiae, quae ita est: « Ipsae res fidelium *quae Domino offeruntur,* non debent in alios usus quam ecclesiasticos et christianorum fratrum vel indigentium converti; quia vota sunt fidelium et pretia peccatorum ac patrimonia pauperum. »

Demum cum huiusmodi sit illius insulae conditio, ut piae fundationes et missarum legata adeo affluant, ut, teste Ordinario in ipsa hac causa, oneribus satisfieri ordinate non possit, sequitur, ex petita missarum imminutione sacerdotibus, quibus de altari vivendi ius est, gravamen non inferri.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces oratoris essent excipiendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 14 Iunii 1890 censuit respondere. *Pro gratia,, iuxta votum Episcopi ita tamen ut onus missarum reducatur ad tertiam partem usque ad complementum scutatorum melitensium quingentorum; facto verbo cum SSmo.*

CONVERSANEN.

PARTICIPATIONIS

Die 12 Iulii 1890.

Sess. 21 cap. 6 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In cathedrali capitulo conversanensi 24 olim numerabantur canonici, et 20 minores beneficiati, qui *participantes* vocabantur. Modo vero, communem ceteris Italiae ecclesiis passum iacturam, capitulum 12 dumtaxat habet canonicos et participantes. At vero feliciter contigit, ut dum minuebatur choralium numerus, singulorum reditus augebantur. Cuius rei haec fuit causa: cum enim in eo capitulo massa communis habeatur, ad quam omnes tam canonici quam beneficiati participant, arte et industria sua gestores capituli obtinuerunt, ut fiscus ratione onerum aliorumque titulorum partem aliquam ex singulis supprimendis canonicatibus et participationibus massae communi relinqueret. Insuper cum capitulum cura animarum habituali polieret, quam per archipresbyterum exercet, pro quota curata amplissimam assignationem fecerunt, quam fiscus probavit, et idcirco iuxta decretum S. C. C. *Ad dirimendas* capituli conditio etiam ex hoc melior evasit.

Interim sive ad augendum choralium numerum, sive ad multorum onerum implementum expediendum , nonnulli admissi sunt, ut deservirent ecclesiae in quotidiana officiatura cum iure tantum ad avventitia. Iis nomen datum est *extranumerum.*

In iis adiunctis, cum quinque ultimae participationes, ex civilis auctoritatis decretis supprimendae, nuper vacas-

sent, Episcopus proposuit, et a S. C. C. petiit, ut fieri posset parva massa ex residuis spectantibus ad quinque participationes, quae nuper vacaverunt; ad cuius massae participationem admitti possint *quotannis,* ad nutum Episcopi, omnes sacerdotes *extra numerum,* qui digni reputentur, his de conditionibus: 1. Ut habeant parva insignia participantium, sed sine voce in capitulo. 2. Ut onus habeant choralis officiaturae, et punctaturis subiiciantur, rela|$ ad eorum proventus. 3. Ut onera ferant quinque inhaerentia participationibus vacuis, minime exclusa conventuali, implenda per turnum inter eosdem, semper relate ad qu'nque participationes.

Capitulum, de mandato S. C. C. super hac re interrogatum, respondit: sese in hoc subiicere iudicio Emorum. Patrum, dum tamen exhiberet nonnullas animadversiones, haud faventes petitioni Episcopi. Hic tamen easdem plene et diserte re tutavit.

Disceptatio synoptica

Dissimulas non potest capituli votum argumentis plausibilibus inniti. Etenim quinque quotae participationis , de quibus quaestio, rationem beneficii habent; -et quamvis a laica potestate suppressae, coram Ecclesia tamen adhuc existunt, et non solum existunt titulo sine re, sed titulo ac re: siquidem ipse Episcopus auctor est, hisce participationibus partem aliquam redituum fuisse feliciter servatam. Cum autem agatur de beneficiis, in praesentiarum vacantibus, aliquid circa ea innovari vetat ipsa rubrica *tit. 9 lib. 3 Decr.* « *Ne sede vacante aliquid innovetur.* »

Insuper in voto Episcopi, contra id quod sentit capitulum, proponitur omnium harum participationum suppressio, unio, et nova quaedam constitutio, ut inde peculiaris massa formetur in favorem inservientium, quos *extra numerum* vocat. At vero suppressions, divisiones uniones beneficiorum odiosae sunt, et pene instar alienationem habentur *cap. 8 fin. De his qnae fiunt a Prael.*, De Luca *De pa-*

rochis disc. 35 n. 6, ReiíFenstuel ad *tit. 5 L 3 n. 68* cum communi. Et ideo, ut ratae sint, fieri debent ex magna et evidenti Ecclesiae necessitate vel utilitate, *cap. 33 De praeb.* alias irritae sunt, ipso iure S. O. C. 23 Augusti 1755 apud Pallottini *28, 33* Garcia *lib. 12. 2, 113:* et de consensu tum capituli cathedralis ecclesiae, tum eorum, quorum iura ex suppressione, divisione aut unione forte laederentur, ex *reg. 29 iur. in VI, Clement. 2 De reb. Eccl. non alien.* et *Clem. 1 § Ad haec De statu monach.* In themate autem capitulum ab his suppressionibus, unionibus et divisionibus, quas Episcopus proponit, prorsus dissentit; eiusque dissensus magni faciendus videtur, nedum quia cathedralis capituli est, sed insuper quia interesse habentis etiam est.

Praeterea Ecclesia cathedralis conversanensis receptitia numerata est, in qua portiones vacantes, nisi ad ápices iuris alicui assignentur, ad massam communem redire debent, et inservientibus accrescere. Ideoque non immerito contendere videtur capitulum, ut vacantes participationes, aut iuxta recepta illius ecclesiae statuta conferantur, aut ad massam communem cedant, et inter chorales prout de iure dividantur.

Attamen est et alia observatio, qua sive Episcopi sive capituli propositio summoveri pariter videtur. Sane natura ecclesiae receptitiae secumfert, ut tot participantes in ea recipiantur, quot honeste ex eiusdem reditibus sustineri possunt, *arg. cap. Q De const. 25 De prueben., idtim. De coìte, praeb, in VI.* Porro si participationes capituli conversanensis paululum auctae in praesentiarum sint, nonnisi provide id contigisse videtur, nam in praesentiarum et pretia rerum aucta sunt, et plus nunc, quam olim ad vivendum pecuniae requiritur. Quapropter haud opportunum esset, auctas participationes ad veterem augustiam reduci. Nam etsi pro canonicis, qui aliquid aliud, praeter participationem sibi vindicant, id grave non esset, gravissimum tamen pro beneficiatis videretur.

At vicissim considerari oportet, in conversanensi Capi-

tulo plures sacerdotes, octo erant nonnullos ante annos, *supra numerum* haberi, qui a plurimo iam tempore choro et ecclesiae deserviunt, ius tantum habentes ad *avventitia;* eorumque praesentiam et operam necessariam esse, nam pluribus diversisque oneribus cathedralis ecclesia premitur, quibus praesens choralium numerus satisfacere non potest.

Porro ipsa aequitas suadet, ut iis succurratur, et nedum uni vel alteri, sed omnibus, quatenus saltem fieri possit, et digni sint, subsidia vitae praestentur. Ad hoc autem Episcopi propositio magis certe conducit, quam capituli votum; nam iuxta capitulum quinque dumtaxat, et praevio concursu atque examine, provideri deberent: dum e contra, iuxta Episcopi consilium, omnes quotquot supra numerum sunt levamen et beneficium sentirent.

Utique ex hac novitate, quam Ordinarius introduci postulat, suppressio, unio et nova quaedam divisio quinque beneficiorum haberetur; verumtamen, iuxta dicta superius , haec licet odiosa, ultro tamen admittuntur, quoties magna ecclesiae utilitas aut necessitas id exigat. Hanc autem in themate non deesse, nedum Episcopus suo et suorum antecessorum voto comprobat, sed ne capitulum quidem audet inficiari: imo aperte admittit, dum participationes, quae ultimo vacaverunt magis quam in massam communem immitti, provideri sinit et desiderat, ut choralium et inservientium ecclesiae numerus augeatur.

Nec offendere potest quod quinque participationes, seu potius residua quinque participationum e massa communi demantur, et per hoc actualium participantium portiones imminuantur. Quandoquidem in primis residua harum quinque participationum maxima ex parte missarum vel quotidiani servitii stipendia repraesentant; ideoque ea non sibi absolute vindicat massa. Insuper cum, in vim pseudo-legis civilis, suppressae fuerint 26 participationes: capitulum enim 24 canonicis et 20 beneficiatis constabat, etsi e massa communi residua bona quinque participationum demantur, adhuc tamen eidem superessent ceterarum 21 beneficiorum proven-

tus. Demum prae oculis etiam haberi debet onera capituli, prout Episcopus recolit, fuisse valde reducta; et idcirco ex titulo maioris laboris, maiores reditus canonici et beneficiati sibi vindicare non possunt.

Quae autem Episcopus dicit de dispensatione a lege concursus, de collatione ad nutum harum novarum participationum, ac demum de imminutione parvae huius massae pro rata damni, si forte capitulum in nonnullis causis pendentibus exitium patiatur, adeo perspicue ab Episcopo proposita sunt et defensa, ut super his nil addendum videatur.

Hisce praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo ex reditibus ad quinque participationes, quae nuper vacaverunt spectantibus, et adhuc residuis, constituenda sit massa communis, in favorem sacerdotum, extra numerum *cathedrali ecclesiae inservientium, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 12 Iulii 1890, censuit respondere: *Durantibus praesentibus circumstantiis affirmative, iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

MBLBVITANA

INDULTI PRO ABSENTIA

Die 9 Augusti 1890.

Sess. 25 cap. 9 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Coniuges Salvator et Natalitia Xuereb testamento diei 27 Martii 1814 parvum legatum seu beneficium 37 scutatorum melitensium constituerunt sub his legibus, ut sacerdos eodem investitus resideret in pago Zeitun, duas missas in fundatorum anniversario celebraret, et fidelium confessiones bis in hebdomada audiret; quod si huic muneri obeundo impar esset, christianam catechesim quater in hebdomada doceret.

Cum vero nuper huiusmodi beneficium vacavisset parochus loci Zeitun, silentibus et acquiescentibus fundatorum consanguineis, quamvis publico edicto monitis, ad beneficii possessionem nominavit atque elegit puerum 12 annorum

Iosephum Zarha, clericum, seminarii *della Floriana* in oppialo *Senglea* alumnum, ex cognatione fundatorum, ac, teste etiam Episcopo, passive vocatum.

Qui statim supplici libello petiit ut ab onere huic beneficio adiecto residendi et catechesim docendi in pago Zeitun dispensaretur, spondens vicissim, se quibuslibet festis diebus christianae doctrinae institutioni vacaturum in parochiali ecclesia oppidi Senglea.

Verum cum huiusmodi petitio directe obsisteret fundatorum voluntati, eique mos non videretur gerendus, rescriptum prima vice fuit *negative.*

Disceptatio Synoptica.

Eadem semper manet difficultas ex fundationis tabulis desumpta: neminem enim latet testatorum praescripta et pias decedentium voluntates summo studio esse servanda nec unquam sine necessitate violanda.

Ex altera tamen parte Ordinarius pro expetita gratia preces commendat, a'ens: oratorem alibi domicilium habendo gravi onere premeretur si quotidie petere deberet civitatem a qua multum distat. Ille enim, prosequitur Episcopus, onus idem implere fructuose posset in loco domicilii, ubi maior est defectus. Quatenus vero gratia indulgeatur, expresse conditio docendi catechesim omnino renovanda est clerico postulanti.

Accedit quod orator bonae spei iuvenis a seminarii moderatore dicatur, et quod adeo pauper sit, ut nisi a pia quadam persona subveniatur, impar esset necessariis sibi ad studium comparandis.

Nec omittendum denique est, S. O. C. passim solere arctatis ad chorum et residentiam indulta absentiae ratione studiorum concedere prout liquet ex *Ferentina Dispensationis* die 7 Iulii 1860. Unde C. Petra *tom. 3 comm. ad const. 9* Bonifacii VIII *n. 11 n. 13* haec tradit « non improbabiliter evenisse quod indultum vacandi a residentia causa studiorum, clausum fuit in corpore iuris, adeo ut nostris temporibus potius pro regula iuris, quam pro gratioso privilegio haberi debeat. >

Quibus praemissis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re discussa sub die 9 Augusti 1890 censuit respondere: *Non expedire.*

LITTERAE Sanctissimi Patris N.Leonis XIII ad Emum Archiepiscopum florentinum quoad cultum sacrae Familiae praestandum. — Adiicitur formula consecrationis familiarum et oratio quotidie recitanda.

Novum argumentum perspecti tui erga hanc Apostolicam Sedem studii et obsequii prodiderunt litterae Augusto mense exeunte ad Nos datae, quibus vota Nobis significasti plurium fidelium, ut veneratio quae Christo Domino ac Matri Virgini et s. Iosepho domesticae Eius societatis consortibus, sub Sacrae Familiae titulo exhibetur, ad ampliorem in Ecclesia cultus dignitatem provehatur, atque de hac re, uti fieri debet in causis gravibus, fidem ac disciplinam spectantibus, sententiam et iudicium huius Apostolicae Sedis postulasti. Tuae observantiae et prudentiae officium Nos plurimi aestimantes, confestim postulationis tuae rationem habendam censuimus, ac rem propositam Consilio Nostro sacris ritibus praeposito cognoscendam mandavimus, ut deinde ad Nos consulta et exquisita referret. Re itaque diligenter expensa, Tibi nunc significamus, ob peculiares iustasque causas Nos decrevisse, ut pietatis cultus erga sacram Familiam, nullis aliis inductis eius exercendi novis formis, in eo statu servetur, in quo auctoritate huius Apostolicae Sedis probatus fuit, atque ut potissimum christianae domus sacram Familiam ad venerationem et exemplum propositam habeant, iuxta instituta piae illius Consociationis, quam Decessor Noster fel. rec. Pius IX suis litteris die v. Ianuarii Anno MDCCCLXX datis, probavit et commendavit, atque in spem certam maximorum fructuum latius in dies propagari exoptavit. Quam spem salutarium bonorum et Nos ultro in eiusdem Societatis spiritu ponimus: confidimus enim Fideles omnes probe intelligentes, in cultu quem Sacrae Familiae exhibent, sese mysterium vitae absconditae venerari, quam Christus cum Virgine Matre et S. Iosepho egit, inde magnos stimulos habituros ad fidei fervorem augendum et virtutes imitandas, quae in divino Magistro, ac Deipara, Eiusque Sponso sanctissimo fulserunt. Hae autem virtutes, ut non semel monuimus, dum aeternae vitae mercedem pariunt, ad prosperitatem etiam domesticae et civilis societatis tam misere hoc tempore laborantis spectant; cum ex familiis sancte constitutis, civitatis etiam commune bonum, cuius familia fundamentum est,

necessario consequatur. Maius vero fiducia Nostra incrementum capit dum cogitamus, sacrae Familiae cultores ex instituto Societatis quam diximus, a Christo Domino gratiam per merita Matris Virginis et S. Iosephi sedulo efflagitantes, propitiam indubie opem experturos, ut vitam sancte componant, atque uti in domibus suis concordiam, caritatem, in adversis tolerantiam, morumque honestatem laetentur efflorescere. Vota igitur ad Deum effundimus, ut germanus memoratae Societatis spiritus in dies latius inter Fideles emanet ac vigeat, atque in hanc rem operam suam collaturos tum sacrorum Antistites, tum omnes Ecclesiae administros non dubitamus. In mandatis autem dedimus Consilio Nostro sacris ritibus praeposito, ut orandi formulam ad Te mittat, quam confici et edi curavimus in usum fidelium, ad domos suas Sacrae Familiae consecrandas, tum etiam quotidianae precationis exemplar a fidelibus in Sacrae Familiae venerationis persolvendam Tuo demum in Nos obsequio, Dilecte Fili Noster, parem dilectionis affectum ^libenter profitemur, et in auspicium caelestium munerum, Apostolicam Benedictionem Tibi, et Clero ac Fidelibus, quibus praesides, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Novembris Anno MDCCCXC, Pontificatus Nostri Decimotertio.

LEO PAPA XIII.

FORMULA

recitanda a christianis familiis
quae se sacrae Familiae consecrant.

O Jesu Redemptor noster amabilissime, qui e caelo missus ut mundum doctrina et exemplo illustrares, maiorem mortalis tuae vitae partem in humili domo Nazarena traducere voluisti, Mariae et Iosepho subditus, illamque Familiam consecrasti, quae cunctis christianis familiis futura erat exemplo, nostram hanc domum, quae Tibi se totam nunc devovet, benignus suscipe. Tu illam protege et custodi, et sanctum Tui timorem in ea confirma, una cum pace et concordia christianae caritatis; ut divino exemplari Familiae tuae similis fiat, omnesque ad unum quibus ea constat, beatitatis sempiternae sint compotes.

O amantissima Jesu Christi mater et mater nostra Maria, tua pietate et clementia fac ut consecrationem hanc nostram Jesus acceptam habeat, et sua nobis beneficia et benedictiones largiatur.

O Joseph, sanctissime Jesu et Mariae custos, in universis animae et corporis necessitatibus nobis tuis precibus succurre; ut tecum una et beata Virgine Maria aeternas divino Redemptori Jesu Christo laudes et gratias rependere possimus.

ORATIO

quotidie recitanda ante Imaginem sacrae Familiae.

O amantissime Jesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus et vitae domesticae exemplis familiam a Te electam in terris consecrasti, clementer adspice nostram hanc domum, quae ad tuos pedes provoluta propitium Te sibi deprecatur. Memento tuam esse hanc domum; quoniam Tibi se peculiari cultu sacravit ac devovit. Ipsam benignus tuere, a periculis eripe, ipsi in necessitatibus occurre, et virtutem largire, qua in imitatione Familiae tuae sanctae iugiter perseveret; ut mortalis suae vitae tempore in Tui obsequio et amore fideliter inhaerens, valeat tandem aeternas Tibi laudes persolvere in caelis.

O Maria, Mater dulcissima, tuum praesidium imploramus, certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis obsecuturum.

Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha sancte Joseph, potenti tuo patrocinio nobis succurre, et Mariae manibus vota nostra Jesu Christo porrigenda submitte.

Indulgentia 300 dierum semel in die lucranda ab iis qui se sacrae Familiae dedicant iuxta formulam a S. Rituum Congregatione editam. (LEO PP.XIIL)

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

INTERAMNE N.

ABSOLUTIONIS ET REDUCTIONIS ONERUM

Die 12 Iulii 1890.

Sess. 23 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Cardinalis Ludovicus Gazzoli, supremis tabulis quibus anno 1858 decessit, duas capellanias, alteram ecclesiasticam, alteram laicalem, instituit Interamnae, in suae familiae ecclesia. Priori 90 millia libellarum dotem assignabit, alteri 150 millia libellarum. Utrique vero onus imposuit 8 missas lectas et unam cum cantu celebrandi in die suae mortis anniversario; et insuper alias 100 per annum: et voluit insuper, ut uterque investitus solveret quotannis libellas 79, 80 quae insimul conflatae unam constituerent dotem lib. 159, 60 favore nubilis pauperisque puellae a possessore capellaniae ecclesiasticae nominandae. Ad duas autem capellanias ipsemet primum fundator duos suos pronepotes nominavit.

Verum quo tempore ab exercitu italico ea provincia occupata est, capellania ecclesiastica canonice erecta adhuc non erat, et hinc inter duas lineas familiae Gazzoli et demanium longa lis efferbuit, illis servare conantibus, hoc vicissim pinguis capellaniae bona occupare adnitente. Vicit autem fiscus, et ideo ex bonis ecclesiasticae huic capellaniae legatis vix 14, 000 libellarum hodie superesse dicuntur.

Melior tamen sors laicali capellaniae fuit; nam Ludovicus Gazzoli eam sibi, qua privatum bonum, vindicare valuit et ideo, licet cum gravibus litium impensis, dotem integram huic servavit.

Porro hic Ludovicus, occasione sui matrimonii cum Faustina Mazzocchi anno 1865, ex asse familiae plus bonorum obtinuerat, quam sibi debitum esset. Ideoque aliquot post

annos, cum pater suus moreretur, acceptorum bonorum partem conferre debuit, ut octo fratribus suis legitima constitui, et matri suae luliae Simonetti dos in matrimonio allata restitui inde posset. Verum dum hoc egit, (an ex errore an ex malitia, nescio) loco bonorum patrimonialium portionem dotis capellaniae attribuit. Et sic mater possessionem nacta est bonorum capellaniae pro valore 10, 678 libellarum, Ludovici fratres pro valore 14 millium circiter libellarum. Paulo post etiam Ludovicus supremum diem oppetiit. Et exinde eius vidua mulier Faustina Mazzocchi, eo quod successionis et aeducationis filiorum causa plures expensas obire debuit, per quinque aut sex annos capellaniae oneribus satisfacere non cogitavit.

In hoc rerum statu Faustina Mazzocchi supplex S. Sedem adivit harum omissionum absolutionem exposcens, et despondens in posterum oneribus plene se esse satis facturam. Simul vero etiam Iulia Simonetti pro parte sua postulavit ut de bonis a filio acceptis et ad capellaniam spectantibus libere disponere posset.

Episcopus ad rem rogatus, mentem suam aperuit.

Disceptatio Synoptica

Patet, ex officio animadvertitur, Episcopum in suo voto plus postulare, quam duae mulieres in suis precibus. Quidquid sit, grave certe videtur quod egit defunctus Ludovicus Gazzoli, cum bona valoris 25, 000 circiter libellarum e capellaniae censu dixtraxit, et consanguineis divisit. Pariter non sine reprehensione dimitti debet viduae Faustinae incuria, qua factum est, ut per aliquot annos tam modicorum onerum implementum esset omissum. Imo cum absolute loquendo et omissa impleri, et Capellaniae dos in integrum restitui certe possit, ad utrumque cogenda familia videtur, veluti exigunt notissimae leges, quae ultimas hominum voluntates, praesertim pias, sartas tectasque servari iubent.

Idem dicendum de dimidio dotis a Capellaniae laicalis possessore solvendo. Ut enim iustissimum est onera eccle-

siasticae Capellaniae adscripta pro rata damni et imminutionis bonorum reduci, ita iniquissimum videtur onera laicalis capellaniae imposita imminui, quum huic instituto pinguis dos salva omnino manserit.

Verum ex altera parte perpendere necesse est, Ludovicum Gazzoli non sine expensis et labore capellaniae laicalis bona tuitum esse, et servasse; quapropter alienationem fundorum pro valore 25, 000 circiter libellarum ab eodem favore matris ac fratrum suorum peractam, considerari posse quasi ad compensationem factam, nempe ut indemnem se faceret de litis et redemptionis expensis.

Quod eo facilius admittendum videtur, cum etiam 'detractis 25, 000 libellis, piae huic institutioni adhuc supersit dos 125 millium libellarum, quibus abunde oneribus satisfieri potest.

Demum ne reiiciantur preces, peculiares viduae eiusque filiorum conditiones ipsumque Ordinarii votum, idest pietatis simul et auctoritatis causae, suffragantur.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die 12 Iulii 1890 censuit respondere: *Quoad Iuliam Simonetti et Faustinam Mazzocchi pro gratia iuxta eorum preces, iniuncta aliquot missarum celebratione arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

RAGUSINA

FUNERUM

Die** 12 **Iulii 1890.

Sess. 22 cap. **11** De reform

COMPENDIUM FACTI. Municipium Ragusinum quinque comprehendit paroecias, urbanam scilicet, suburbanam, *di Gravosa,* s. Magdalenae et s. Ilarionis. Urbana se porrigit ad totum antiquum oppidum constructum in extremitate exigui

cuiusdam promontorii Dalmatiae litoris, et hinc mari per gyrum, illinc moeniis septum. Suburbana immediate succedit et ambit. Remotius ad partem septemtrionalem, ubi et tutissimus sinus et frequentior portus habetur, se extendit paroecia vulgo dicta *di Gravosa.* Reliquae ex aliis partibus circumstant, nec in praesenti actione versantur.

Quaestio enim hodie agitur inter parochum suburbanum et Gravosae. Ad cuius intelligentiam oportet praemittere plura esse in municipio Ragusino eiusque territorio coemeteria. Sicut enim paroecia alia ex dictis proprium sepulcretum in suo territorio dicitur habere; sic proprium quoque tenet intra suae iurisdictionis fines paroecia *Gravosa.* Sed in territorio suburbanae paroeciae tria adsunt coemeteria. Antiquius mari adiacens et nunc obsoletum, eo quod praescriptionibus sanitariis non respondeat, appellatur *aile Bance.* Eius loco erectum et suffectum fuit coemeterium S. Crucis *a Boninovo.* Huic proximum tertium adest S. Georgio *alle tre chiese* dicatum. Ad quos vero, et quomodonam ad hos magis quam ad illos, tria haec sepulcreta pertineant, haud pacificum est inter partes.

Itaque, iuxta parochum loci Gravosa, coemeterium S. Crucis *a Boninovo* est comunale et pertinet ad cunctum municipium Ragusae, idest ad paroecias Ragusae, suburbiorum, Gravosae, s. Magdalenae, et s. Ilarionis. Episcopus in eamdem abit sententiam.

At e contra parochus suburbanus de tribus coemeteriis in suo districtu existentibus notat, alterum, nuncupatum s. Georgii proprium esse Confraternitatis s. Georgii, quae olim pertinebat ad paroeciam Gravosae et nunc ad paroeciam suburbiorum Ragusae. Quoad alia duo vero haec scribit : novum coemeterium s. Crucis a Boninovo erectum fuit in veteris substitutionem, quia praescriptionibus sanitariis haud respondebat. Et hoc in coemeterio incolae quoque aliarum municipii partium, et etiam alienigenae sepeliri queunt si praescriptum solvant canonem. Quod autem Parochus Gravosae nullum ius habeat in coemeteriis Parochiae suburba-

liae ex facto evincitur, quod quoties Parochus Gravosae tumulandum defert cadaver in dictis coemeteriis, de hoc certiorem facit parochum suburbanum ut factum notetur in suis regestris. Adiici debet quod Parochus suburbiorum functiones explet ecclesiasticas die s. Crucis, titulus Ecclesiae, et die commemorationis omnium defunctorum.

Et in confirmationem allegat exemplaria trium litterarum, quibus parochus loci Gravosa confratri suo, parocho suburbiorum, iusta funebria in coemeterio s. Crucis peracta nunciat. Quinimo pensitandum est, huiusmodi exemplaria, esse typis impressa, quod significat de re satis assuefa agi. Insuper tria quae exhibentur documenta sub his diebus signari 18 Decembris 1887, 16 et 22 Februarii 1888, quod iterum indicare potest, quanta frequentia defuncti e paroecia Gravosa humentur in coemeterio s. Crucis.

Haec cum ita essent accidit, ut sub finem anni 1887 quidam Valencic Spalati diem obiret supremum; et eius pater, antiquus magistratus ragusinus, statuit ut filii corpus humaretur Ragusae in coemeterio s. Crucis a Boninovo, ubi conditorum sibi suisque ipse fecerat. Contendit insuper parochus suburbiorum, hunc defunctum Valencic parochianum suum fuisse, quia eius pater, olim, dum praeses erat civilis tribunalis Ragusini, in suburbio morabatur, et quamvis hodie domicilium suum Spalati constabilierit, nihilominus ad civitatem Ragusinam adhuc pertinet, ubi pensione iubilationis donatus fuit. Animadversum quoque fuit, quod filius ratione sui officii alibi morabatur et quod tantum valetudinis causa Spalatum petiit, ubi apud patrem mortuus est. Ex hoc plane patet omni fundamento destitui parochi suburbani contentionem, quod nempe defunctus sibi subditus esset.

Interea ex hoc facto coepit discordiarum origo; nam parochus suburbanus, huic praesertim innixus motivo quod cadaver sepeliendum erat in suo coemeterio, illud recipere et parentare praesumebat. Vicissim cum navis, quae corpus vehebat ad portum Gravosae appellerei, parochus Gravosae edicebat ius recipiendi et sepeliendi cadaver sibi magis esse :

quapropter ad Ordinarium recurrendum fuit. Qui die 21 Decembris 1887 tulit decretum, quo edicebat, neutrum parochum neque Suburbiorum neque Gravosae, ullam habere iurisdictionem super cadavere Valencic. Attamen sese retinere quod cadaver ad parochum pertineat in cuius paroecia appellere debeat navis, cadaver deferens, et per quam transire debeat comitatus cadaveris. Ast navis portum Gravosae appellet, funusque per eamdem ducetur, et ideo ad Parochum Gravosae pertinebit paroecialis iurisdictio. Ex canonistis liquet quod parochus in alieno territorio actum suae iurisdictionis exercere nequeat, multoque minus stolam deferre. Neque obiicere iuvat coemeterium esse in paroecia suburbiorum, quia hoc commune est paroeciis limitrofis.

Cohaerenter ad hoc decretum, cum corpus defuncti Valencic Gravosam appulit, parochus huius loci illud excepit, et sacerdos, qui illud usque ad portum comitatus fuerat, stolam exuit ct funebri associationi se adiunxit. Non videtur autem, aut saltem ex actis non constat, parochum Gravosae funebre officium cum missa super cadaver peregisse, dum nil aliud dicitur fecisse quam comitari et sepulturam dare huic cadaveri.

Rebus absolutis, parochus suburbanus utpote laesus in suis iuribus, et etiam ad futuros similes casus praecavendos ad S. C. C. appellavit.

Episcopus de informatione et voto rogatus , decretum a se latum sustinet, quia receptum moribus dicit, ut defuncti qui ad portum Gravosae appellunt, recipiantur et ad sepulcrum deducantur ab eiusdem loci parocho. Id parochus Gravosae autumat esse in praxi ab immemorabili.

In his adiunctis, agitur causa, quae ad hoc unum se porrigit, ad quem scilicet associatio et tumulatio defuncti Valencic competeret.

Disceptatio Synoptica

In iure compertum est parochum proprium pro funeribus illum esse in cuius districtu, quis, dum moritur, domicilium

aut quasi domicilium habet. *C. 3 De sepult, in VI Clern. Dudum De sepult,* et *Rit. Rom. De exeq.* Et idcirco ad parochum domicilii aut quasi domicilii competit, nedum corpus efferre et deducere funus; sed insuper, si defunctus in parochiali sepeliendus sit, exequiales preces super illum peragere ac demum humo eumdem mandare. Vecchiotti *Inst. Can. vol. 2 lib. 3 cap. 5.* Quod si defunctus magis quam in parochiali, in alia electa aut familiari sepultura condi debeat, tunc de iure ordinario et communi ad parochum proprium non spectat nisi corpus levare, illudque ad ecclesiam, uti hodie vocant, *exponentem,* seu futieran tem deducere, ad quam exinde cetera, nempe exequialem missam celebrare et corpus sepulcro reddere, pertinent, soluta tamen parocho de omnibus emolumentis quarta funeraria. Vecchiotti *I. c. § 60 v. Quaestio.*

Quod si casus contingat, olim raras, modo frequentior ut electa aut familiaris sepultura in dissita regione sit, non ideo iura mutantur. Sed ad parochum domicilii adhuc competit defunctum efferre, funus deducere, et corpus ad turn ulantem ecelesiam comitari, ad quam deinde cadaveris condendi ius et officium spectat. Tantummodo differentia in hoc datur, quod nempe, cum sepulcrum in dissita regione sit, ne defuncto suffragia nimium differantur, plerumque, saltem ordinario, ipse domicilii parochus iusta funebria super cadaver persolvit; et idcirco illud ad parochialem ecclesiam primum conducit, et inde, omnibus absolutis ad tumulantem associât. Hoc statuta Romani cleri praescribunt, hoc ipsa pietas suadet ; hoc demum respondet ipsis iuris principiis. Nam licet ius funerandi cohaereat tamquam accessorium iuri sepeliendi, unum tamen ab altero differt, Rota *decis. 76 cor. Decursii* § c[7] et idcirco, data iusta causa, potest unum ab altero seiungi, prout monet in sua *Sum. tom. 3 § 481* Emus D'Annibale innixus resolutioni S. C. C. diei 16 Iunii 1827 iuxta ephemer. *Acta S. S. v. 5 p. 566.*

lustissimam autem, ni dicam iuridicam, causam seiungendi funus a sepultura praebet magna sepulcri distantia.

Imo si canones et iurisperiti passim tradunt, dietae unius, seu itineris unius diei distantiam sufficere, ut omnino adimantur et admodum cessent iura illius ecclesiae ad quam ex lege tumulatio competeret (Cfr. Benedictus XIV *Inst. eccl. 105, n. 43 seq.,* Donatus *De sepult in ord. ad tract. IO, q. 3);* a fortiori ex hac vel maiori distantia eadem iura adimi poterunt saltem ex parte, nempe quoad exequialis missae celebrationem.

Ceterum quoties defunctus vel defuncti familia suis impensis constituant, ut, parentalibus expletis, corpus in remota regione humi mandetur, iam certum est, statim ac cadaver quo humandum est pervenerit, ecclesiae tumulantis iura reviviscere, parochum defuncti proprium cadaveris traditionem rectori ecclesiae peragere debere, cui deinde corpus, benedictionibus praeviis, sepelire reservatum est, Benedictus XIV, *not. 105.*

Haec perspicua plane sunt: verumtamen punctum in quo maxime causa haeret, et unde maxima difficultas enascitur, illud est, quod nempe defuncti Valencic sepulcrum non in aliqua determinata ecclesia, nec in coemeterio uni peculiari ecclesiae proprio et adnexo existebat, sed in coemeterio municipali s. Crucis, ad quod plures ecclesiae ius habent. Obvium proinde erat ut quaestiones orirentur et effervescerent.

At vero duo, qui, ut ex facti specie liquet, in hac causa contendunt, suburbanus et Gravosae parochus, plura quidem pro re sua argumenta innuunt; sed non omnia ad rem. Ne igitur iurium confusio fiat, utilia ab inutilibus apprime distinguere oportet.

Itaque vero si parochus suburbanus ideo sibi ius sepeliendi vindicaret, quia coemeterium in suo districtu est oppido se fallerei. Nam regula certa et probata est, quod municipalia coemeteria singularum ecclesiarum sepulturis subrogata censentur, adeo ut singulae ecclesiae iura, quae olim apud se, nunc in respectivis coemeteriis exerceant: et cohaerenter dicatur, ex lege qua intra moenia defunctorum

corpora humari prohibebatur, nulli ecclesiae sublatum fuisse ius sepeliendi, sed dumtaxat variatum locum. Vecchiotti *I. c. % 61 in nota,* Emus D' Annibale *L c. not. 84* et S. O. C. expressis resolutionibus in *Ariminen Funerum* 16 Iunii 1827, *Forolivien.* 26 Ianuarii 1833, *Rostan.* 26 Octobris 1862 aliisque passim.

Quapropter in themate etsi coemeterium S. Crucis in suburbano districtu sit, non ideo suburbanus parochus sibi exclusive vindicare potest ius in eo sepeliendi, cum potius commune conditorium illud sit.

Pariter si parochus loci Gravosa ideo funeris et sepulturae ius sibi tribueret, quia corpus ad suam paroeciani appulit, et per eam pertransiit, in errore versaretur. Nam receptum probatumque in praesentiarum est Benedict. XIV *not. 105,* Innoc. XI *decr. a. 1676* apud Ferraris *v. Parochus % 3 n. 40,* ipsaque S. C. C. in *Ragusina Funerum* 7 Martii et 11 Iulii 1885 p. s. parochum defuncti proprium alienam paroeciam ingredi posse cum stola et cruce sive ut inde efferat, sive ut per eam ad tumulantem ecclesiam comitetur, sive demum ut ad coemeterium cadaver ipse deducat, quin parochus loci, quo funebris associatio transit, obsistere, aut tributa quaerere, aut iurisdictiones sibi vindicare possit; dummodo quidem *sine solemni pompa et recto tramite* huiusmodi transitus per alienam paroeciam contingat, prout monet Vecchiotti *I. c. % 62 in nota* et Emus d'Annibale *tom. 3 § 481 not. 79 in fine* iuxta resolut. S. C. C. dier. 24 Ian. 1846 et 24 Feb. 1872.

Sepositis itaque atque expunctis hisce rationum momentis, alia tamen suppetunt, quae causam disputabilem adhuc efficiunt.

Etenim parochus suburbanus potest in primis pro re sua proponere, quod etsi dominus coemeterii S. Crucis ipse non sit, sed potius municipium, ceu argumenta in facti specie relata forte suadent, sin minus qua rector et proximus et immediatus coemeterii superior haberi certe debet. Ipse enim sacras functiones in die S. Crucis ibi celebrat, ipse notam

defunctorum, qui inibi tumulantur, redigit et conservat. Qua de causa cum aliquis, a quacumque ex Ragusinis paroeciis extraneus in hoc coemeterio sit sepeliendi!s, inter diversos parochos is videtur praeferendus, qui quasi rector et custos huius coemeterii habetur, nempe suburbanus. Cum enim ceteri nullum peculiarem titulum producere possint, ut praeferantur et ut huius extranei sepulturam sibi avocent, hic suum et quidem plausibilem praelationis titulum profert, qui proinde praevalere debet.

Cui accedit quod pater defuncti Valencic in suburbana paroecia olim morabatur; ex quo saltem indicium praesumptae voluntatis et delegationis favore suburbani parochi ad funus et tumulationem agendam oriri videtur.

Verum ex altera parte favore parochi Gravosae stat consuetudo, de qua dubitari, post Episcopi testimonium, non licet, et ex qua, quoties corpora defunctorum ad portum Gravosae appellunt, non alii quam huius districtus parocho illa recipere et ad conditorium deducere reservatum dicitur. Porro consuetudo in funeribus utramque paginam facere vulgatum est apud omnes iuxta *cap. Certificavi De sepult.* et S. C. C in *Fabrianen. Quartae faneralis* 10 Martii et 7 Aprilis 1731, *Ar ¿minen. Funerum* 22 Augusti 1885 et 23 Ianuarii 1886, aliisque sexcentis (1).

Praeterea e portu Gravosae ad coemeterium S. Crucis funebris associatio cum *solemni pompa* deducenda erat , et deducta revera est. Porro in eo casu iura parochi loci sarta tectaque esse debebant iuxta doctrinam superius laudatam ; nec certe potuisset parochus suburbanus ad portum Gravosae accedere, defunctum recipere, ac solemniter inde deducere; nam fines et iura alterius paroeciae plane invasisset, contra id quod canones sanciunt. Barbosa *De off. par. pag. L I. 12.* Benedictus XIV *not. 105.*

Demum cum in themate sin minus de re dubia, et a sa—

(1) Prostat quaestio haec Vol. XVIII, 455. Confer notam in calce paginae 459 eiusdem Vol. XVIII; in ea relatae sunt citationes quamplurhnae quoad quaestiones funerum et iurium parochialium, de quibus agitur locis citatis.

cris canonibus haud penitus definita ageretur , in legitima Episcopi potestate erat, ingruente casu, rem definire. Cum autem Ordinarius favore parochi Gravosae negotium résolvent, iam huius parochi iura Episcopi quoque auctoritate iuvari videntur.

His itaque perpensis, fuit propositum enodandum

Dubium

An associatio a portu Gravosae ad coemeterium S. Crucis et sepultura defuncti Valencic ad parochum Gravosae competebat in casu.

RESOLUTIO. S. C. C. re discussa sub die 12 Iulii 1890 censuit respondere: *affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Ad parochum domicilii vel quasi domicilii competere super cadaveribus ius efferendi corpus et deducendi funera: et si paroecianus sepeliendus sit in paroeciali ecclesia competit ad eundem parochum ius peragendi preces exequiales, ac demum humo corpus mandare.

II. Quatenus vero defunctus extra paroeciam sepeliri debeat apud electam aut familiarem sepulturam, tunc, de iure ordinario et communi, competit Parocho proprio tantum ius levandi cadavera, et illud ad Ecclesiam funerantem deducendi, percipiendo de omnibus emolumentis, solum quartam funerariam; competit vero Ecclesiae funeranti seu exponenti ius faciendi missam exequialem, et corpus sepulcro reddere.

IV. Etsi ius funerandi cohaereat tamquam accessorium iuri sepeliendi, tamen, data iusta causa, potest unum ab altero seiungi; ceu ipsa pietas suadet quando corpus deferendum sit ad sepulturam electam, sive familiae, in dissitam regionem; tunc enim parochus domicilii iusta funebria persolvit apud ecclesiam paroecialem, ne suffragia nimium differantur, deinde ad tumulantem associât.

III. Ex iure canonico et iurisperitis , ex una dieta, seu ex distantia itineris unius diei, adimi et cessare iura Ecclesiae tumulantis; hinc mirandum non esse si data eâ-

dem distantia vel maiori, adimantur ex parte, nempe quoad exequialis missae celebrationem.

V. In themate corpus deferendum erat non ad sepulturam familiae vel electam, non ad coemeterium uni ac determinatae Ecclesiae propriam et adnexam, sed ad coemeterium ad quod plures Ecclesiae ius habent; et cum potius sit publicum conditori um, super eodem nullo iure gaudere potaßt parochus in cuius paroecia extructum reperitur.

VI. Parochum defuncti proprium ingredi posse, sine tamen *pompa solemni et recto tramite,* alienam paroeciam cum stola et cruce, sive ut inde efferat, sive ut per eam ad Ecclesiam tumulantem comitetur, sive demum ut ad coemeterium cadaver deducat, quin parochus loci, quo funebris associatio transit, obsistere possit aut tributa quaerere.

VII. Cum in themate corpus, ex voluntate parentis, deferendum esset cum solemni pompa per paroeciam Gravosae, cum nihil ex iure definitum fuerit, casui applicandum, omnino deferendum erat consuetudini, Parocho Gravosae favorabili; eo quod consuetudo in funeribus utramque paginam faciat ex communi consensu.

MECHLINIEN.

LEGITIMATIONIS

Die *12* ***Iulii*** *1890.*

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Nuperrimis litteris Mechliniensis Ordinarius haec scribebat: « Suzanna Mathildes Van "Wulven, hodie in dioecesis mechliniensi habitans, anno 1855 in Hollandia nata a patre catholico et matre lutherana, a ministro haeretico baptizata fuit haeresimque professa est. »

«. Die 24 Decembris 1876, coram magistratu civili Ixellensi, dioecesis mechliniensis, civile matrimonium contraxit cum Francisco Aegidio Iosepho Schmitz, in Borussia nato, viro catholico quidem sed a religione allenissimo. Tres pueri

ex hac unione prodierunt catholice baptizati et educati. Vir autem F. A. I. Schmitz in insaniam incidit, et nunc in quodam manicomio seu domo amentium inclusus est ; nec datur, teste medico, spes sanationis. >

« Hodie Suzanna Mathildes Van Wulven ad meliorem frugem conversa, haeresim abiuravit et sub conditione baptizata in Ecclesiae catholicae gremium recepta est. » (1)

Quum vero eius matrimonium coram civili magistratu initum invalidum sit in Belgio, ubi haeretici non eximuntur a lege Tridentina *Tametsi,* a suprema Congregatione S. Inquisitionis matrimonii illius convalidationem petivit per sanationem in radice, idque praesertim, ut duae proles eius superstites coram Ecclesia legi timentur. »

« Die porro 8 Decembris 1889, suprema S. Inquisitionis Congregatio, Emo Cardinali Goossens Archiepiscopo Mechliniensi rescripsit his verbis - Sacer hic consessus quoad sanationem in radice non expedire censuit ut concedatur ; quod vero ad legitimationem prolis, cum haec per Rescriptum Summi Pontificis obtineri possit, oratrix si ei Iubet, recurrat ad S. Congregationem Concilii. »

« Ad pedes igitur S. V. prostrata, praefata oratrix humiliter et enixe postulat, ut sibi de benignitate Apostolica per S. Congr. Concilii concedere dignetur declarationem legitimationis duarum prolium suarum scilicet *Helenae Margaritae Palmyrae Schmitz* baptizatae in ecclesia S. Bonifacii, Ixellis, 25 Martii 1880; et *Petri Constantii Mariae Schmitz,* baptizati in ecclesia B. M. V. Tungroruni, 11 Maii 1884. »

Disceptatio Synoptica.

Legitimatio definiri solet: actus quo liberi illegitimi Anguntur ex iusto matrimonio nati. Olim plures erant legitimandi modi, nunc vero duo solummodo habentur, idest sub-

(1) Recolé qniil constituit S. Congr. Inquisitionis quoad iterationem Baptismi Vol. XI, 695, et Vol. XVI, 415.

sequens matrimonium et rescriptum Principis. Prior, in casu de quo agimus, locum habere non potest; quia vir amentia laborat et hoc ipso emittendi iterum validi consensus professionem est incapax; et aliunde S. O. S. Officii matrimonium in radice sanare expediens haud iudicavit. Quapropter haec legitimationis assequendae via datur, nempe SSmi gratia.

Porro omnes admittunt, Principem posse suprema sua potestate uti, ut natalium macula eruatur, relate ad filios naturales, nempe procreatos ab eis inter quos matrimonium consistere potest: omnes enim agnosci possunt et legitimari praeter spurios, seu natos ex damnato coitu , iuxta *Auth. C. Si quis De natur. liber., cap. 6. Qui filii sint legit.* Imo Oiraldi *part. 1. tit. 17 lib. 4 Decret,* animadvertit, ex auctoritate Benedicti XIV in const. *Redditae Nobis* § *39* et ipsius Alexandri III in decret. *Tanta sub tit. Qui filii sint. etc.* eos solos a legitimatione excludi qui ex adulterio sunt procreati; ceteros proinde omnes, incestuosis non exceptis, legitimationis capaces reputari. Imo « et spuriis et adulterinis et incestuosis id beneficium denegari non solere » tradit Heinecius ad *tit. 10 lib. 1 Iust. in fin.*

Iamvero in themate Mathildem inter et Iosephum matrimonium optime consistere valebat, et filii ab eis nati haud possunt dici ex damnato coitu procreati: imo coram civili auctoritate legitimi sunt: eorumque mater, quae catholicam fidem nuper amplexa est, nonnisi in obsequium fidei et coram Ecclesia filiorum legitimationem exposcit.

Quibus praenotatis quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 12 Iulii 1890, censuit respondere : *Consulendum SSmo pro gratia legitimationis, iuxta preces.*

VENETIARUM

ABSOLUTIONIS ET REDUCTIONIS ONERUM

Die 14 Iunii 1890.

Per Summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Litteris diei 14 Iulii 1889 Emus Patriarcha Venetiarum referebat piae domui olim *derelictorum* nunc di *ricovero*, illius civitatis incumbere onus satisfaciendi nonnullis legatis missarum, vulgo *mansionariis*, et celebrandi annuas quasdam exequias. Ast variis de causis contigisse, ut piae domus administratores iam tum ab elapso saeculo obligationum implementum, modo plus modo minus, nunc ex arbitrio, nunc implorata Apostolicae Sedis venia, omiserint.

Quapropter ad tot ac tam diuturnis abusibus occurrendum, et ut eisdem tandem finis ac stabilis obex pararetur , Emus Patriarcha, nomine Congregationis Charitatis, quae piam refugii domum nunc administrat, suis litteris implorabat diversas sanationes et reductiones onerum.

Seorsim vero idem Emus Patriarcha ad Emum S. C. C. Praefectum scribebat, quod si ex una parte conditio oeconomica piae domus, hodie restituta satisque bona, suaderet, ut administratoribus onus imponeretur omissa omnia resarcienda ex altera tamen iusta motiva non deesse ad exaudiendas preces. Enumeravit autem quae sint iusta motiva.

At, hisce non obstantibus, die 29 Augusti 1888 rescribi placuit: « *Prout petitur non expedire., et scribatur Emo Patriarchae, qui opportune moneat administratores ut suae conscientiae consulant.* »

Iussa faciens Emus Patriarcha, administratores monuit, ut reformarent preces, et sponderent omissa pro viribus restituturus; at nihil obtinere potuit; imo praeses Congregationis Charitatis iterum supplicavit, ut primae suae petitioni S. C. C. benigne annuere!. Et Emus Patriarcha iterum commendavit oratorum preces.

Disceptatio Synoptica.

PRECES RESPUENDAE VIDENTUR. Quominus preces exaudiantur obstat potissimum hodiernus status satis locuplex piae domus ceu notat Emus. Ordinarius. Si enim sine iusta et necessaria causa ultimae voluntates commutandae non sunt ex *cap. 6 sess. 22 Conc. Trid.;* iam in themate haec iusta causa deficere videtur, dum pium institutum abundant! reditu instructum dicitur, et capax omissa omnia, paullatim restituendi.

Imo cum tanta, tam continua et arbitraria piarum voluntatum subversio in eo instituto hucusque contigerit, recta ratio suaderet videretur, ab indulgentia abstinendum esse, praesertim cum hodie possibilis quaedam reparatio sit et sive poenae sive vindictae ergo, omissionum restitutionem esse iubendam.

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. At ex adverso considerari oportet omissionum, quarum absolutio poscitur , numerum valde imminui, si decreto 30 Septembris 1 8 1 8 suus valor tribuatur. Imo cum in vim subsequentium rescriptorum plus missarum celebratum fuerit quam decretum anni 1 8 1 8 iuberet, quaedam compensatio enata iam videtur, et praefestinata onerum solutio.

Insuper cum omissiones contigerint quo tempore arcta erat piae domus conditio, iusta causa praesto esse videtur, ut sanetur quod, licet ex arbitrio, non sine tamen fundamento iustitiae gestum tunc fuit. Nota namque res est, saepiusque in his foliis repetita, imminutis reditibus, locum, etiam esse onerum absolutioni et redactioni. Quod si hoc principium semper et ubique valet, maxime custodiendum idem erit in themate, in casu nempe redituum ad inopum, et infirmorum solatium constitutorum.

Et post haec mitto loqui de ea prudentiae ratione, quam accurate Emus Patriarcha enucleat et quae maxime suadet, ipsam legatorum utilitatem exigere ut quamcitius preces

admittantur, sanetur quod gestum hucusque est, et novus ordo ab integro constituatur. Et potius observo, ne de praeteritis plena satisfactio exigatur, et ne super his conscientia praesentium administratorum oneretur, id etiam suffragari, 1. quod attento civilium legum tenore impossibile aut valde difficile eisdem administratoribus sit, tantum pecuniae desumere quantum omissa hucusque onera exigunt, 2. quod praesens administratio valde diversa sit ab antiqua, et si ditior est, id minime tribuendum sit deploratis hucusque omissionibus, sed aliis prorsus causis, novisque forte oblationibus, quae certe peculiarem propriamque habere debent applicationem.

Quod vero attinet ad 3m precum punctum nil ferme difficultatis obesse videtur. Sive enim tres mansionariae retineantur, in quibus singulis 240 missae cum eleemosyna 485 libellarum celebrentur, prout fert decretum Milesi; sive 728 missae habeantur cum 2 libellarum stipendio pro singulis, eadem prorsus res esse videtur; nam idem est missarum suffragium, eademque retributio.

Potius paullo gravius est quod in 4 precum capitulo petitur, ut nempe mansionariorum seu legatorum missae de quibus hucusque sermo habitus est, ubique celebrari possint. Verum cum id non ex arbitrio, non sine causa, sed dumtaxat in necessitatis casu fieri poscatur, nimia non videtur petitio; quae talis imo est ut ncn semel fuerit a S. Sede in similibus concessa.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo precibus esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 14 Iunii 1890 censuit respondere: *Pro gratia, ita tamen ut reductio et translatio missarum cohibeatur ad decennium, facto verbo cum SSmo.*

———W # ¥———

MOLEN.

ABSOLUTIONIS ET REDUCTIONIS ONERUM

Die O Augusti 1890.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Quidam Iacobus Quadalti testamento diei 19 Novembris 1804, 1000 scutata et quamdam domum ad sacrum patrimonium instituendum assignavit, curn onere quotidianae missae diebus ferialibus in ecclesia sancti Francisci, diebus vero festivis in ecclesia s. Petroni Castri bononiensis, celebrandae.

Haeredes autem fiduciarios et executores testamentarios ele ait Franciscum Emiliani et Dominicum Mattioli cum prece et potestate sibi constituendi successores in ius nominationis ad sacrum patrimonium . . . . atque eosdem instituendo haeredes proprietarios cum pleno dominio . . . . Primus hoc sacro patrimonio gavisus est Carolus Macabini et post hunc Baptista Macabini. Casum etiam fundator contemplavit in quo primus investitus cessaverit, et alter non reperitur adhuc huic investitioni aptus, et voluit ut pro tempore intermedio, reditus perciperentur ab executoribus testamentariis cum onere litandi missas modo praescripto. Praesentes executores sunt Ennius Guidi et Sac. Ioseph Emiliani.

Demortuo at vero anno 1880 secundo investito Battista Macabini, Ennius Guidi innixus verbis testatoris quoad usum fructum favore executorum; reputando dispositionem hanc non esse limitatam ad casum primae vacationis, sed indolem perpetuitatis induere, sibi addixit reditus sacri patrimonii, missas tamen non adimplendo ob graves necessitates quibus vexatur. Orator, ait Ordinarius, paupertate praemitur.

Disceptatio Synoptica

Preces oratoris, ex officio animadvertitur, sunt, ut in primis condonatio et absolutio de fructibus indebite hucusque perceptis, et de missis non celebratis sibi concedatur , et ut ulterius missae in posterum reducantur, simulque VJ-

nia sibi fiat percipiendi superèxtantés reditus, usque dum filius suus, adepta aetate canonica, ad subdiaconatum promoveri possit, et sacro patrimonio in vestiri.

Age vero, missis, quae ad condonationem et absolutionem de praeterito, nec non ad reductionem onerum quoad futurum pertinent, super quibus sapiens EE. PP. discretio quid agendum sit constituet; quoad propositas preces hoc unum observandum est, nempe si peculiares fundationis leges, quae nos latent, huic proposito non obsistant, optime posse de enunciato benefìcio clericorum, duodeviginti annorum oratoris filium etiam nunc provideri. Ad communia enim beneficia quae capellaniarum, patrimonii sacri aut alio simili nomine veniunt, obtinenda, sufficit aetas 14 annorum ex Trid. *Sess. 23 cap. 6 De reform.;* dum adiuncta onera, si quae sunt, quae a clerico 14 annorum obiri non possunt, interim per alium impleri permittitur, iuxta Fagnanum in *Cap. 1 n. 65 De aet. et quaiit. etc.* Quapropter in errore versari videtur orator, si maiorem filii aetatem attendendam putat, ut beneficium filio conferat.

Quod eo tutius asserendum videretur, si , ceu probabile est, patrimonium sacrum, de quo quaestio, in titulum ecclesiasticum et in canonicum beneficium, attenta dotis natura, non sit adhuc erectum.

Verumtamen cum oratoris filius in seminario missionum alatur, et forte peculiaribus obligationibus obstrictus existat, remissum fuit EE. PP. decernere, utrum expediat sive sequentibus annis eidem in titulum hoc beneficium seu patrimonium sacrum concedi.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo oratoris preces essent dimittendae.

RESOLUCTIO. Sacra C. O. sub die 9 Augusti 1890 re discussa, censuit respondere: *Pro gratia absolutionis et condonationis quoad praeteritum, imposito aliquo missarum numero, arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo. In reliquis non expedire.*

EX S, CONGREG. EPISC. ET REG.

IANUEN.

SEU ORDINIS SANCTI BENEDICTI
CONGREGATIONIS CASSINENSIS
DISMEMBRATIONIS PAROECIAE

CAUSAE PROSEQUUTIO. In plenariis comitiis diei 29 Septembris anni 1889 proposito dubio : *An et quomodo fiat locus dismembrationi Paroeciae SS. Martini et Benedicti et erectioni in paroeciam novae ecclesiae in casu :* Emi Patres sequens responsum dederunt : *Praevia restitutione rerum ad Ecclesiam S. Martini pertinentium, praestitoque a creditoribus hypothecariis consensu in forma iuris valida, pro erectione novae Paroeciae ad effectum arcendi ab eadem quamlibet actionem realem, affirmative in omnibus ; imposito onere rectori novae paroeciae tradendi quotannis Ecclesiae S. Martini in festo S. Titularis tres libras cerae elaboratae in signum matricitatis.*

Edito hoc rescripto Procurator generalis Ordinis S. Benedicti, licet decretum novae paroeciae erectionem pro accepto haberet, tamen novae auditionis beneficium imploravit, petens, ut conditiones a S. Congregatione praedicto rescripto impositae intra terminum praef!gendum executioni ad unguem mandarentur, utque in finibus novae paroeciae statuendis, aequitati non minus quam dignitati antiquae Ecclesiae matricis consuleretur. Hinc typum variis coloribus distinctum exhibuit , ex quibus palam fiebat, quam territorii partem paroeciae erigendae assignare maluisset.

Verum cum Archiepiscopus Ianuen., qui de suo voto requisitus fuerat, acriter obstitisset et finium divisionem iuxta typum a se propositum, utpote a maiori fidelium spirituali bono reclamatum, fieri petiisset, causa , iuris ordine servato, proposita fuit.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO PROCURATORIS GENERALIS. Patronus a generali Ordinis procuratore electus petit prae primis, ut conditiones ab H. S. G. rescripto diei 27 Septembris praescriptae ad unguem observentur, et terminus perentorius praefigatur, intra quem praescriptae conditiones executioni tradantur: tandem ut confinia inter duas ecclesias statuta aequo modo definiantur.

Post haec ad conditiones adversariis impositas gradum faciens, animadvertit primam conditionem, quae iuxta citatum rescriptum, in *restitutione* consistit rerum omnium quae ad Ecclesiam S. Martini pertinebant, adhuc impletam haud. esse : et huiusmodi conditionem regulis iuris magis conformem esse, ad tradita per Ferraris *Bibi. Can. V. dismembratio n. 24 et25.* Summam autem restituendam, quippe quae variis ex titulis Ecclesiae S. Martini spectabat, ad lib. 14, 306. 83 ascendere. Et ad praecavenda incommoda, quae obvenire possent, si praedicta summa S. Martini fabricae moderatoribus traderetur , petit ut ipsa fidei personae eommendaretur a S. Congregatione designandae. Idque eo vel magis quia novae paroeciae dismembratione peracta, antiqua fabrica subsistere amplius non potest.

Relate vero ad alteram conditionem per praedictum rescriptum adversariis impositam ; ut scilicet a creditoribus hypothecariis consensus *in forma iuris valida pro erectione novae paroeciae ad effectum arcendi ab eadem quamlibet actionem realem;* patronus asserit eiusdem executionem adhuc desiderari. Idque non ob adversariorum culpam, sed ex eo quod creditores suis iuribus valedicere renuunt. Ideoque pro viribus postulat, ut in hypothesi quod resolutio 27 Septembris firma remanere debeat, eiusdem conditionis adimplementum a S. Congregatione exigatur, antequam decretae dismembrationi locus fiat.

Quo vero ad aequitatem in nova parochiarum circumscriptione sequendam, relevare nititur nonnullos errores facti, in quos Archiepiscopum incidisse ait, cum de angustia et di-

stantia Ecclesiae S. Martini ac de accessus difficultate, nec non de parochianorum voto sermonem instituit, quod praetensum et a veritate alienum appellat. Et hoc deduci posse autumat ex facto, quod plusquam tria millia parochianorum et fere omnes oppidi sodalitates preces sacratissimo Principi porrexerunt petentes, ne ab antiqua S. Martini paroecia divellerentur.

Post haec examini subdens duo novae circumscriptionis schemata hinc inde proposita, observat integram S. Martini paroeciam duabus partibus constare, quarum una, praeter viarum asperitatem, populum dispersum, parum frequentem et egestate pressum habet; altera vero, praeter vias faciles et latas, habet territorium angustum inter mare et torrentem *Varenna* comprehensum, ubi populus quam maxime frequens est; excepta enim quinta parte, ceteri parochiani habitant ibi.

Hinc est, subdit patronus, quod si nova circumscriptio iuxta typum ex adverso oblatum fieret, antiquae parochiae s. Martini 1077 parochiani tantum tribuerentur, qui ex parte maxima, utpote operarii vel agris addicti, pauperes sunt. Novae vero paroeciae 3934 parochiani assignarentur, inter quos plures familiae, tam nobilitate, quam censu conspicuae reperiuntur. Quod quam sit ab aequitate et iustitia alienum nemo est, qui non videat.

Praeter haec observat impossibile esse, ut unus parochus omnia munia parochialia explere, praesertim vero assistentiam infirmis et moribundis praebere valeat. Hinc saepe saepius contingere, ut infirmi sine parochi vel alterius assistentia ex hac vita decedant, cum parochus non possit, ob defectum necessarii redditus vel emolumentorum, Vicarium sibi adsciscere.

Hisce aliisque perpensis, patronus concludit petens ut provideatur existentiae et decori perantiquae paroeciae Sancti Martini, cui f. m. Gregorius XVI, decreto 6 Novembris 1844 perpetuam existentiam et dominium tribuit, tam super bona adnexa, quam super ecclesias vel paroecias, quae ab ipsa dependerent.

DEFENSIO ARCHIEPISCOPI. Verum ex parte Archiepiscopi observatum fuit appellationem a sententia interpositam effectum suspensivum inducere ad tramitem *ley. uni. tit. VII ff. de libellis dimissoriis. Appellatione interposita . . . . nihil nov ari oportet, et Cap. dilectis filiis, de Appell. - Cum interim appellatione interposita procedere non debuerit ad sententiam exequendam;* Quibus concinit *tit. 16, lib. 2 decret.* ubi praescribitur : *Ut lite pendente nihil innovetur.* Cum igitur ex deductis decretum diei 27 Septembris 1889 executioni dari non poterat ex facto adversariorum qui ab eo appellationem interposuerunt; Archiepiscopus intelligere nequit, curnam ex adverso questus moveantur, si conditiones citato decreto, a S. Congregatione favore paroeciae S. Martini impositae, adhuc suspensae remaneant.

Verumtamen, hisce praetermissis, Archiepiscopus fidem facit haeredes Borgo a tribunali civili veniam obtinuisse, ut inscriptio hypothecaria novae Ecclesiae deleretur ; et omnia in promptu esse, ut iuxta S. Congregationis mentem ad conditionum executionem deveniatur.

Quo vero ad pecuniam paroeciae S. Martini restituendam, Archiepiscopus, nonnullis animadversionibus ac exceptionibus ad rem praemissis, pro viribus sustinet praedictam pecuniam non ad lib. 14, 306. 83 ascendere, ceu ex adverso contenditur; sed lib. 8000, vel ad summam lib. 8188, 93 cum relativis fructibus, pertingere. Et subdit quod utilitati paroeciae S. Martini magis consuleretur, si haec summa, non fabricae Ecclesiae solveretur, quae gubernii vigilantiae obnoxia est, sed in capsa ecclesiastica dioecesis deponeretur, ut favore paroeciae S. Martini investiatur, imposito onere parocho pro tempore, ut fructus ex huiusmodi summa percipiendi in bonum suae paroeciae vertantur.

Tandem relate ad confinium quaestionem praemissa theorica, quod dismembratio tum solum concedi solet, cum utilitas vel necessitas id exigat; quodque, salva remanente congrua paroeciae dismembrandae , ipsi annuus canon tribuendus sit in recognitionem matricitatis, quoad confinia cuili-

bei paroeciae assignanda Archiepiscopus contendit, hoc opus prudenti ipsius Archiepiscopi iudicio remittendum esse , rationi innixus, quod nemo alius prae Ordinario cognoscere valet, quid ab bonorum fidelium suae dioecesis magis conferat. Et hanc esse constantem S. C. Concilii praxim, ceu videre est in *Sagten, dismembrationis Paroeciae et erectionis* diei 8 Augusti 1885, ubi proposito dubio, *An et quomodo Sagiensi Episcopo facultas concedenda sit pro ordinandis finibus paroeciarum loci Argentan , et pro erectione novae paroeciae ad S. Martinum in casui* respondit: *Affirmative ad utrumque.* Cui concinit *Concordien divisionis Paroeciae et erectionis* diei 15 iunii 1889, in qua sequenti dubio: *An et quomodo annuendum sit precibus pro divisione ecclesiae parochialis S. Martini de Asio et erectione novarum paroeciarum in casu?* S. C. respondere censuit: *Affirmative prudenti iudicio Episcopi, dummodo cautum sit de convenienti congrua pro singulis paroeciis erigendis.*

Hisce omnibus enucleatis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An et quomodo sit confirmandum vel revocandum Rescriptum diei 27 Septembris 1889 in casui

RESOLUTIO. Sacra Cong. Episc, et Regul. omnibus maturo examini subiectis in plenariis comitiis diei 14 Martii 1890, prout sequitur respondere censuit: *In decisis etiam quoad fines utriusque paroeciae iuxta typum propositum ab Archiepiscopo et ad mentem. Mens est:*

I. Quod Villae Durazzo Pallavicini et Doria, etsi ingressum principem habeant in nova paroecia, pertinere debeant ad paroeciam s. Martini.

II. Quod, relate ad restitutionem rerum ad Ecclesiam s. Martini pertinentium, intelligi debeant caput libellarum 8000 cum relativis fructibus, a die qua constet, illos perceptos amplius non fuisse ab Ecclesia s. Martini, nec non libellae 2503, 57.

III. Quoad praedicta capita deponi debeant in capsa dioecesana, et investiri a R. P. D. Archiepiscopo favore paroeciae s. Martini, cuius rectori rependentur relativi fructus : et amplius.

EX QUIBUS COLLIGES. I. Appellationem ab edita sententia interpositam ipsius sententiae executionem suspendere.

II. Paroeciarum dismembrationi, ex SS. Canonum doctrina, tum locum fieri, cum utilitas vel necessitas id exigat.

III. Dummodo tamen congrua Paroeciae dismembrandae non imminuetur, et ipsi animus canon assignetur a nova paroecia in signum matricitatis solvendus.

IV. In dismembrationibus confinium ordinationem prudenti Episcopi arbitrio et iudicio relinquendam esse, ipse enim prae ceteris cognoscit, quid ad animarum bonum magis conducere valet.

ROMANA

PENSIONIS

Die 22 Augusti 1890.

COMPENDIUM FACTI. Vertente mense Iulio anni 1888 Sacerdos G. Tombolini Vice-parochus S. Nicolai in carcere de Urbe, supplici porrecto libello, S. Congregationi Ep. et Reg. exposuit, in electione novi Archipresbyteri dictae Ecclesiae cognovisse, quod in Bullis fundationis Archipresbyteratus annua pensio scut. 20 imposita reperiebatur favore Viceparochi *pro tempore* eiusdem ecclesiae, quam ipse , perdurantibus quatuordecim annis servitii a se in dicta ecclesia praestiti, numquam receperat. Exposuit insuper quod, re cognita, nonnullum lapidem movit, ut Parochum Centi ad solutionem praeteritarum summarum induceret, sed in irritum sua conamina cessisse.

Precibus *pro informatione et voto* Emo Urbis Vicario die 3 iulii delegatis, sub die 14 ianuarii 1889 Emus re-

spondit, ex rationum momentis a Parocho Centi in scriptis datis haec argui posse; scilicet in Bulla, qua parochia S. Nicolai ipsi collata fuit, haud existere pensionem de qua in fundationis Bulla mentio fit : parochum vel paroeciae valedicturum, vel omnem vim adhibiturum fuisse , ut pensio expungeretur, quoties in dicta institutionis Bulla imposita reperiretur. Praedictam pensionem, dato quod extiterit, impositam fuisse in supplementum praebendae Vice-parochis assignatae; quippe quae nimis exigua erat; in posterum Vice-Parochi T. praebendam pinguem, imo pinguiorem praebendis ceteris Vice-parochis de Urbe assignatis evasisse; ac proinde ab institutionis Bullis expunctam fuisse.

Hisce praemissis, Emus Vicarius retinet bonum ius parocho Centi prae Vice-parocho favere, ob hanc praesertim rationem, quod beneficii onera atque emolumenta demetienda sint a Bulla qua benficium confertur, quodque post triennalem pacificam possessionem beneficii status haud facile immutari soleat.

Hisce habitis, S. Congregatio rescribere censuit, ut Emus Card. Vicarius rem de bono et aequo componere satageret, antequam causa in plenario Emorum Patrum conventu pertractanda proponeretur.

Studuit quidem Emus Vicarius S. Congregationis iussa facere, sed inutiliter. Hinc S. Congregatio praescripsit ut quaestio ad tramitem iuris dirimeretur.

Disceptatio synoptica

IURA VICE-PAROCHI. Favore Vice-parochi pensionem annuam scutorum viginti impositam fuisse, nullatenus dubitare sinunt Bullae erectionis verba quae sic sonant: « Computatis vero distributionibus quotidianis aliisque incertis centum octoginta ducatorum auri de camera secundum communem existimationem valorem annuum non excedunt, super quibus, ut pariter asseris, onus solvendi annua scutata viginti veteris monetae romanae pro tempore existenti vice-

parocho ipsius Collegiatae Ecclesiae, apostolica auctoritate impositum reperitur. »

Hisce in facto praeiactis, ad ius quod spectat, allata fuit auctoritas Clericati, qui propositae quaestioni: utrum pensio, per longum tempus haud soluta, extincta censeatur, ita respondet *de pension,* discord. 15 n. 17 et 18 «ibi» Irrefragabilis est iuris regula, quam legistae, canonistae ac theologi admittunt, quod in praescribendis annuis praestationibus requiruntur anni triginta; et tunc non censetur extinctum totum annuum debitum, seu tota annua praestatio, sed tantummodo summa unius anni, ita ut pro aliis viginti novem annis semper est locus petitioni, ut firmat Antonellus *de temp. legali 2 cap. 68 n. 75,* ubi Rotae decisiones allegat, ex quibus inducit, quod licet pensio non fuerit petita per annos 30, per hoc non dicitur extincta , sed semper peti posset a pensionarlo pro annis 29, quod post longam disputationem tenet Gigas *de pension, q. 83* in qua addit *n. 9 et 10* duas alias rationes; scilicet quia pensio comparatur usufructui annuo atque alimentis; et in his praescriptio solutionis non factae per annos triginta nihil praeiudicat. Unde concludit d. q. 83 *erit ergo conclusio quod pensio non soluta per annos triginta, non erit praescripta, nisi pro illa prima rata, a cuius decicrsione efßuxere anni triginta.* Hanc Gigantis doctrinam quam pluries Rota amplexa est, sequitur etiam Card. De Luca *de pens. disc.* 67. n. 6 ita scribens: verum facilis erat responsio quoniam aut dictum silentium deducebatur in ordine ad praescriptionem et illa non intrabat, cum ageretur de annuo debito conditionali, in quo receptum est, etiam triennalem praescriptionem non sufficere nisi pro annualitatibus decursis. »

Si igitur de pensionis existentia favore Vice-parochi impositae Bullae verba dubitare non sinunt: si contra ipsam praescriptio invocari nullo pacto potest, ex hoc etiam quia Vice-parochus summas ab anno 1874 ad annum 1886 non solutas petiit: iam per se patet, Archipresbyterum ad praedictae summae a Vice-parocho titulo pensionis reclamatae solutionem teneri.

Quin ab hac obligatione adimplenda Archipresbyterum exonerare valeat factum, quod scilicet in Bulla collationis paroeciae, praedictae pensionis nulla mentio fìat. Quandoquidem ex adverso perpensum fuit, huiusmodi onus comprehensum esse sub generali clausula in ipsa Bulla expressa ; scilicet : *cum omnibus iuribus et oneribus adnexis.*

IURA ARCHIPRESBYTERI. EX altera vero parte pro Archipresbytero observatum fuit, iuxta doctrinam ab ipso Clericatu traditam et pluribus in locis a S. Rota confirmatam, pensiones quae per aliquod temporis spatium exactae haud fuerunt, praescriptioni obnoxias esse. Sane S. Auditorium *decis. 591 n. 9 coram Buratto* docet, praesumendam esse nullitaten\seu extinctionem pensionis, quae saltem per quinquennium exacta haud fuit. Praeter haec in *part. 16 recent,* et *in decis. 266 n. 22 coram Priolo* tradit, ceu extinctam habendam esse pensionem, quae per decem annos nunquam praestita fuit. Voet vero in *Comment, ad lib. 33 ff. de usu et usufruct. n. 4* in fine ad rem haec habet. « Plane si immemoriali tempore reditus nullus annuus praestitus fuerit , totam annui reditus obligationem peremptam esse facilius quis admiserit; uti et illud, quod triginta annorum aut trientis saeculi decursu tota redditus obligatio praescribi possit, si quis ad redditum solvendum interpellatus recusaverit solutionem, et se redditus debitorem esse negaverit, eoque ex tempore illud annorum spatium praeterlapsum sit. »

In themate autem cum agatur de pensione, quae non ab anno 1874 ad annum 1885, sed ab immemorabili tempore praestita amplius fuit, quaeque nec in S. Datariae regestis recensetur, forsan, ceu perpendit Emus Vicarius, quia aliunde Vice-parochi sustentationi provisum fuit; iam per se patet Archipresbyterum ad controversae pensionis praestationem non teneri.

Hisce breviter delibatis, propositum fuit dirimendum sequens

Dubium

An et quomodo eoc-Archipresbyter S. Nicolai in Carcere teneatur persolvere Vice-parocho eiusdem Ecclesiae annuam pensionem scutorum 20 pro annis 14, quibus hic Vice-parochi munere functus est.

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regul. re perpensa sub die 22 Augusti 1890 respondere censuit: *Negative et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Annuas praestationes praescriptioni obnoxias esse, si per aliquod temporis spatium solutae haud fuerunt.

II. Ad eas praescribendas non requiri tempus immemoriale vel triginta annorum aut trientis saeculi decursum ; sed, iuxta S. Rotae doctrinam, satis esse decem vel quinque annorum lapsum.

III. Huiusmodi praescriptionem eo vel magis in themate admittendam esse cum Vice-parochi sustentationi aliunde satis provisum sit, et in Bullis collationis paroeciae de pensionis onere nulla mentio reperiatur.

EX 3. CONGR. INDULGENTIARUM

Circa necessaria ad validam erectionem Stationum Viae Crucis.

Die Q Augusti 1890.

Episcopus Constantiensis et Abrincensis, provinciae Rothomagensis in Gallia, huic S. Indulgentiarum Congregationi humiliter exposuit :

Quum in una Apamiensi de die 25 Septembris 1871, *Decret. Authent S. C. Indulgentiarum, edit Ratisb., n. 294,* legatur dispositio sequentis tenoris : « Circa erectionem stationum[1] Viae Crucis, impetratis antea ab Apostolica Sede necessariis et opportunis facultatibus, omnia et singula, quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio quam eiusdem

erectionis concessio, quarum instrumentum in actis Episcopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus paroeciae seu loci, ubi fuerint erectae praefatae stationes »; hinc quaeritur:

I. An postulatio erectionis scripto fieri debeat sub poena nullitatis?

II. An ipsa concessio Episcopi, qui ab Apostolica Sede facultatem obtinuit erigendi stationes Viae Crucis, item scripto fieri debeat sub poena nullitatis?

III. An in ipsa Episcopi concessione mentio fieri debeat facultatis obtentae ab ipsa Apostolica Sede erigendi stationes Viae Crucis, sub poena nullitatis?

IV. An tandem testimonium erectionis in actis Episcopatu aut in codicibus paroeciae seu loci, in quo fit erectio stationum Viae Crucis, inserendum sit sub eadem nullitatis poena?

Porro S. Congregatio propositis quaesitis ita respondendum censuit:

Ad I. Negative; cf. Decretum sub n. 175 (1).

Ad II. Affirmative; cf. Decretum sub n. 445 (2).

Ad III. Congruit ut fiat mentio, sed non est necessaria.

Ad IV. Praescribitur insertio testimonii erectionis in actis episcopalibus et in codicibus paroeciae seu loci, etc., sed non sub poena nullitatis; cf. Decretum sub n. 294.

Romae, ex secretaria eiusdem S. Congregationis, die 6 Augusti 1890.

(1) En citatum decretum: « Cum diversis non obstantibus regulis a S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 3 Aprilis 1731 ex Brevi s. m. Clementis XII die 16 Ianuarii eiusdem anni, et sub die 10 Maii 1742 ex brevi Ssmi D. N. diei 30 Augusti 1741. ad varia explananda dubia, circa modum erigendi stationes, quas Vias Crucis, seu Calvara, vocant, emanatis, non semel controversiae, ad ipsammet S. Congregationem delatae fuerint super subsistentia, vel nullitate erectionis stationum huiusmodi, ex de tectu licentiae vel consensus respective obtinendi, ut in praeallegatis brevibus clare praecipitur : eadem S. Congregatio ad quascumque in futurum eliminandas in hac re difficultates, die 30 Iulii 1748 censuit praescribendum esse, quod in erigendis in posterum eiusmodi stationibus, tam sacerdotis erigent is deputatio ac superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii, vel Antistitis, et parochi, nec non superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi eiusmodi erectio fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia, ut praefertur, in scriptis et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae. »

De quibus facta per me infrascriptum ipsius S. Congregationis Pro-Secretarium SSmo D. N. die 3 Augusti eiusdem anni relatione, Sanctitas Sua votum S. Congregationis benigne approbavit.

(2) Decretum, de quo hic sermo est, relatum fuit Vol. XII, 116.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Bartholomaei Mariae Dal Monte sacerdotis et institutoris piae societatis missionum.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?

In mystica Domini vinea operarius inconfusibilis et divini verbi indefessus praeco extitit Bartholomaeus Maria Dal Monte, sacerdos bononiensis. Àrdentissimâ ipse flagrans charitate totum se dedit lucrandis Christo animabus, pro quibus sacras expeditiones per multas Italiae civitates et pagos nullis territus periculis nullisque laboribus parcens suscepit; atque in eiusmodi sacri ministerii operibus ineffabili zelo ad mortem usque perseveravit. Et Deus, qui dat verbum evangelizantibus virtute multa, per hunc suum fidelem servum pene innumeras animas e peccatorum coeno retractas ad rectum christianae vitae tramitem reduxit. Societatem insuper* idem Dei Servus instituit presbyterorum, qui eius spiritu imbuti incepto sacrarum expeditionum operi assidue adlaborarent. Denique fractus viribus supremum diem in osculo Domini obivil anno MDCCLXXVIII in pervigilio Dominicae Nativitatis, praeclaram relinquens sanctitatis famam.

Haec porro sanctitatis fama caelestium quoque charismatum nec non prodigiorum, quae sui famuli intercessione a Deo patrata ferebantur, suffulta, post illius obitum nedum non intercidifc, sed per integrum saeculum et amplius adeo succrevit, ut ad Inquisitionem super his instituendam ordinaria auctoritate in Curia ecclesiastica bononiensi tandem deventum sit. Qua rite expleta atque ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut dubium de signatura Commissionis introductionis Causae praedicti Servi Dei ageretur in ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum, licet nondum elapso decennio a praesentatione Processus informativi in

actis eiusdem Sacrae Congregationis, neque ipsius Servi Dei scriptis adhuc perquisitis et examinatis.

Hinc Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanensis huiusce Causae relator, instante Rmo Dno Petro Crostarosa Antistite urbano eiusdem Causae Postulatore, attentisque Postulalatoriis litteris plurium Emorum S.R.E. Cardinalium, Rmorum sacrorum Antistitum, aliorumque Virorum tam ecclesiastica, quam civili dignitate praestantium, in ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?*

Et sacra eadem Congregatio, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, sanctae Fidei promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 17 decembris 1889.

Quibus omnibus Sanctissimo Dno Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae ven. Servi Dei Bartholomaei Mariae Dal Monte praedicti. Die 22 Ianuarii 1890.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R:* C. *Praefectus.*

L. h& S.

VINCENTIUS NUSSI 5. *R. C. Secretarius.*

INFORMATIO

Synopsis vitae Servi Dei. Bononiae, ex Horatio Maria Dal Monte et Anna Maria Bassani lucem primo Dei Famulus aspexit pridie Idus Novembris an. MDCCXXVI. Obtigit illi parentibus uti, tum opibus, tum pietate conspicuis, qui eodem natalitio die in metropolitano s. Petri templo infantem sacro Baptismate ablui curarunt, Bartholomaei, Caroli, Mariae et Melchiorris nominibus impositis. Memoriae proditum est hanc susceptam a parentibus prolem manifesto referendam esse prodigio; nam, praeterquamquod parentes iam graves erant aetate,

nunquam mater in se conceptos liberos maturo tempore in lucem ediderat. Ubi tamen quinto se praegnantem esse sensit, ut res bene succederet, multas preces diu noctuque ad Deum fudit, ac supplex etiam ad opem caelestem s. Francisci a Paula, cui se voto obstrinxit, fidenter confugit, eoque apud Deum suffragante, firmae bonaeque valetudinis Bartholomaeum feliciter peperit. Huius accepti beneficii memoria adeo eius animo insedit, ut s. Francisci vestem, quam ante partum induerat, ad obitum usque gestaverit.

Ob egregias autem virtutes, quae ab ineunte aetate in puero ducebant, qualis ille quantasque futurus esset, iam conficiendo iudicabant omnes; nec concepta eos fefellit opinio. Fuit scilicet adulescens aspectu iucundo et ingenuo; veritatis adeo diligens, ut, mortis periculo etiam instante, ne per iocum quidem mentiri ausus esset. Parentum dicto audiens, et ad pietatem maxime proclivis; nam quamvis puerulus, iugi vacabat orationi, quam saepe ad multam noctem, etiam saeviente hieme, protrahebat. Licet interdum morbo conflictaretur, nihilo secius omnes vigilias ab Ecclesia praeceptas religiose servare voluit; adeo ut spirituales eius moderatores mater adierit, ut tantae asperitati vitae modum imponerent. Cum enim pectore laborare et sanguinem ex ore crebro eiicere coepisset, verebatur mater, ne quid gravioris detrimenti illius valetudo caperet.

Indoli, quae sese prodebat in puero, candidae et ingenuae magna ingenii vis accedebat, quod illico seduli parentes excolendum curarunt. At praecipua parentum cura fuit, ut omnia virtutum germina timorque Domini, qui verae sapientiae initium est, in tenello pueri animo insererentur. Nec ulli unquam industriae, nulli labori pepercerunt, ut christianis praeceptis ille imbueretur. Hinc optimis praeceptoribus eum tradiderunt, sub quorum custodia difficile dictu est quantum profecerit. Primis grammaticae rudimentis perfunctus, ad humaniores litteras et philosophicas disciplinas animum applicuit, quibus citissime absolutis, pater, qui de eo magna sibi portendebat, mercaturae filium designavit, eumque in mensa sua nummaria exemplandis litteris addixit. At longe diversa erat via, quae altius Bartholomaeo praemonstrabatur. Deus enim iam tum ad sacram militiam vocabat adolescentem, ut sapientissimis divinae Providentiae consiliis serviens eius gloriam quam latissime propagaret: et divinae voluntati libentissime Bartholomaeus obsequebatur. Qua de

caussa quidquid temporis vacuum a studiis haberet, in precibus fundendis, in templis invisendis aliisque id genus pietatis exercitationibus impendebat. Patrum Oratorii domum ventitabat, qui puerum exercebant in sacris sermonibus memoriae mandandis.

Crescentibus annis, desiderium etiam ecclesiastici status capessendi in Bartholomaeo augebatur. Hoc porro desiderium s. Leonardo aperire studuit, qui illum suaviter alloquens in suscepto consilio confirmavit, illique Missionarii vitam praedixit. Quare non modo a sacra militia sibi minime recedendum esse, sed imo in coepto proposito alacrius sibi insistendum constituit iuvenis.

Simul ac eius parens, cui unicus iste filius supererat, eiusmodi Dei Famuli propositum audivit, adeo irae indulsit, ut plures vexationes adhibuerit, quo facilius a praeconcepto consilio eum dimoveret, et ut aliam viam capesseret, quam ipse illi iam straverat ac munierat. Imprimis itaque Bartholomaeo vetuit, ne in posterum ad Rmum parochum Zani se conferret. At Dei Servus nefas esse ducens hominibus parere, cum humana mandata divinae voluntati opponuntur, praeceptorem rogabat ut clanculum illuc pergerent. Quod cum pater rescivisset, praeceptori iterum mandavit ut natum Ferrariam duceret, quo vocatio ad statum ecclesiasticum facilius ab eo exularet. Aequo animo interea cuncta Dei Famulus perferebat, et quo satius divinam voluntatem agnosceret, quin Ferrariam pergeret, una cum praeceptore suo in templum vulgo - *delle Muratelle* - secessit, ubi octiduo spiritualibus exercitiis vacavit. Hisce peractis, rursus susceptum consilium patefecit parenti, qui magis magisque in iras exardescens eo prorupit, ut a verberibus contra natum non abstineret, et, Bartholomaei vocationem in priorem praeceptorem coniiciens, hunc expulit, natique educationem Canonico Garofali, spectatissimae vitae Sacerdoti, commisit. Hic porro, aliquot post dies in conspectu patris constitutus, eum strenue coarguit, quia divinae voluntati obluctari audebat; quam alter tandem agnoscens, aegro licet animo, concessit ut Bartholomaeus ecclesiastico ministerio sese manciparet.

Clericalis vitae curriculum ingressus anno 1745, ad omnia exercitia et pietatis opera, quae ad novum vitae genus pertinere poterant, diligenter et impense incubuit. Hinc ieiunia, orationem, castimoniam, studium magis magisque dilexit. Ad Scholas Pias sacrasque Sodalitates, quae diebus festis habebantur,

itabat, populum erudiebat per Catecheses ad diálogos dispertitas.

Sacerdotio insignitus ad theologicas disciplinas acrius incubuit, et studiis iam expletis et Laurea donatus, non amplius sui se esse iuris intellexit, atque ideo ad postremum usque vitae suae tempus in vinea Domini adeo sudavit et alsit, ut sempiternam tantum proximorum salutem adamaret. Erga omnes mitis et suavis, sacris confessionibus excipiendis saepe dies noctesque integras traducebat, charitate in proximum quotidie magis effervescente, ad verbum Dei populis nuntiandum vocabatur: et ideo sacras Scripturas, opera sanctorum Patrum, Canones conciliorum perlegebat et summatim perstringebat, et in rem suam derivabat, ut materies apta fieret ad quaslibet conciones. Acerrima vero, qua praeditus a natura fuerat memoria, fiebat ut, quidquid ex concionatoribus sacris audivisset, quam fidelissime retineret.

Quamvis iam inde, ex quo ad Sacerdotii dignitatem evectus fuit, itineribus, missionibus, exercitiis et quadragesimalibus concionibus maximam dierum partem impendere coepisset, nihilominus inter tot tantasque apostolici ministerii curas aliqua opuscula in lucem edidit. Neque sunt omittenda pia pro Ecclesiasticis exercitia, quae manuscripta reliquit, quaeque magnis laudibus efferuntur. Vere aureus est ille libellus, quem clericis ad maiores Ordines aspirantibus inscripsit, cui titulus - *Ordinandis monita.* Hisce adiecit caeremoniarum compendium, quae in sacris litandis servari debent. Practicam etiam Instructionem pro Confessione et Communione rite peragenda exaravit. At opus, quod paribus verbis commendari nequit, illud fuit quod titulum praesefert - *Gesù al cuore del Sacerdote secolare e regolare.*

Accidit ut anno 1730 a Rmo D. Julio Caesare Canali, viro sanctitate vitae eximio, qui in templo S. Isaiae parochi munus obibat, curatum sit ut bis in anno ad duas paroecias bononiensis dioeceseos, quae spirituali auxilio magis indigerent, nonnulli sacerdotes mitterentur, qui christiana praecepta populum educerent. Huic muneri anno 1750 Dei Famulus deligitur, qui, sibi sociis adscitis doctrina, zelo et pietate insignibus, eas paroecias impiger et naviter evangelizare coepit. Hinc exordia petenda sunt longorum illorum laborum, quos in sacris missionibus obeundis ad obitum usque peregit. Porro incredibile dictu est quantum Dei Famulus insudaverit, ut ad bonam frugem pecca-

tores converteret. Nec ullus ei laborum modus, nec ulla ab operibus quies dabatur; quocumque accitus esset, e vestigio occurrebat nihil intempestam noctis horam, aestum vel aeris asperitatem aliaque itinerum incommoda pertimescens. Immensum porro fuisse eius missionum fructum, innumerasque peccatorum conversiones omnes unanimiter testantur. Tam uberis spiritualis boni fama ubique propagata, suis petitionibus eum Episcopi urgebant, illius operam et ministerium pro dioecesibus studiose efflagitantes. Nec aliter res cedere poterat; nam, quae omnia ad optimum et sanctum oratorem instruendum desiderari possent, in eo reperiebatur. Quibus accedebat gratia divinitus data, ob quam hominum corda in Deum rapiebantur.

Infinita prope sunt, si omnia recenseri vellent loca, quae plus quam viginti quinque annorum spatio apostolicis excursionibus ille peragravit: in omnes enim fere Italiae provincias accitus fuit. Quum porro innumeri essent fructus, qui eius Missiones sequebantur, commune erat Christifidelium desiderium eum iterum audiendi. Occasione autem universalis Iubilaei a memorato Pontifice indicti, Cardinalis Urbis Vicarius Marcus Antonius Colonna Romam D. F. arcessivit, eique missionem in Foro Agonali peragendam commisit. Tanta fuit civium omnium ordinum frequentia ac tanta animorum commotio effecta est, ut, magna lacrymarum vi ex audientium oculis exundante, incredibilis prope fructus ex eius sermonibus ab omnibus caperetur.

Huius apostolici zeli, quo ipse flagrabat, monumentum reliquit. Cum enim ob parentis obitum sat amplum patrimonium adiverit, pro animarum bono, cui unice prospiciebat, omnes divitias impendere constituit, statuitque *Piam Missionum Operam* instituere, quae ab eius nomine nuncupatur. Duplicem porro finem sibi assequi proposuit. Primo quidem peccatorum omnium conversionem ac animarum salutem cuiuscumque regionis vel dioeceseos, si fieri potest, spectabat. Deinde vero maxime cupiebat, ut bononiensi Dioecesi nunquam defuturi essent apostolici viri. Porro ut pateat quanta prudentia opus istud excitaverit, sufficit testamentarias eius tabulas consulere. Illud interim non abs re erit adnotasse, benedixisse profecto divinam Bonitatem huic Operae a *Dal Monte* institutae: siquidem etiam hodie videre est non exiguos inde fructus in italarum dioecesium bonum derivari. Quod certe argumenti est eumdem Fundatoris spiritum non minus in sodalibus ac in moderatoribus adhuc integrum perseverasse.

Cum haec et alia multa pro animarum salute peregisse!, ad 52 aetatis annum pervenit. Hic laborum ac mortalis curriculi finis Bartholomaeo fuit. Nam febri correptus post acerbos morbi cruciatus, quos patientissime tulit, caducam hanc vitam evangelicis laboribus attritam, et virtutum omnium ornatu praeclarissimam cum sempiterna felicitate commutavit. Diem obiit supremum Bononiae pervigilio Nativitatis Domini an. 1778. Vix eius mors fama evulgata fuit, ingemuere omnes, qui porro Sanctum e vivis fuisse ereptum conclamabant. Sub diem eius corpus ob nimium populi concursum transferri debuit in paroeciae templum S. Michaelis Archangeli. Eius exuviae quatriduo expositae eumdem colorem ac flexibilitatem servarunt, tamquam si vita fruerentur, donec, parentalibus persolutis, tumulatae fuerunt in memorato templo ante aram Crucifixi et B. M. Virginis titulo Apostolorum. Hic servatae fuerunt usque ad annum 1808: hoc vero anno in celeberrimam S. Petronii Basilicam translatae ac prope aram Beatae Paciferae Virginis conditae sunt. Sanctitatis et miraculorum fama, qua vivens floruerat, quin imminueretur, magis magisque, eo demortuo, percrebuit, latiusque se propagavit, praesertim cum plura ferantur prodigia eius intercessione a Deo patrata, de quibus mox sermo instituendus est.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

De Fide heroica. Quum de theologicis et cardinalibus virtutibus, quae in Dei Famulo excelluerunt, sermonem instituere debeamus, a theologalibus initium capimus, utpote quae praestantiores sunt, uti docet divus Thomas 2. 2. quaest. 23. art. 6. Porro eas inter principem locum tenet Fides, quam non immerito tridentina Synodus nuncupavit « humanae salutis initium, fundamentum et radicem omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire » *Sess. V. Cap. 8.* Hinc s. Petrus Damianus illam definivit « originem virtutum, bonorum operum fundamentum, et totius humanae salutis exordium » *Opp. Tom. 3 opuse. 1 de fide pag. 385.* Iamvero quisquis recte ac diligenter Actorum tabulas lustret, indubia et laudanda quidem virtutis huius argumenta Dei Famulum prodidisse fatebitur. Ipsa enim vitae suae primaeva aetate piis tantum sodalitiis interesse studuit, prae laetitia gestiens si cum eorum moderatoribus daretur immorari,

ut fidei veritates et quidquid ad catholicam Religionem pertineret posset addiscere. Nec firmiter tantummodo, quae ipse didicerat, credebat: nam eadem fidei mysteria alios edocere satagebat, et praecipua eius sollicitudo in eo erat ut christiana Catechesi pueri erudirentur.

Vivus autem, quem corde conceperat fidei ardor, effecit ut omne suum studium in sempiternam proximorum salutem conferret, nec aliud quidquam unquam quaesivit Dei Famulus, nisi ut peccatorum hominum animas Christo lucrifaceret. Ad hunc finem divitias, illecebras et saeculi fastum contempsit, ut Missionarii vitam laboribus atque omnigenis privationibus refertam arnplecteretur. Quin immo pro hac fide mortem oppetere paratus erat, prouti eius testantur verba, suspiria et consilia ab aliis quaesita, quotiescumque Asiam cogitans, remotissimam illam regionem animo spectabat flagrantissimo incensus desiderio, illic Evagelium nuntiandi, ac populos in fidem Christi recipiendi. Ex quo profecto desiderio perspicuum heroicae fidei argumentum petendum esse, scitissime docet Cardinalis de Laurea, ita. edisserens: « Etsi autem non acciderit casus expositionis vitae, adhuc tamen firma animi praeparatio ac dispositio se exponendi, si occasio urgeret, sufficit ad arguendam heroicam fidem *In 3 sentent, disp. 32 de viri. heroie. Art. 9 n. 231.* Ex quo desiderio incensus S. D. petiit a Secretario s. C. Propagandae ut ad infideles mitteretur.

At vero alia viri illius mens fuit. Quamobrem Servus Dei huius animadversionibus modum gerens, atque hinc perpendens debilem suam valetudinem, apostolicis laboribus attritum, illinc itinerum difficultatem, quae fortasse superare non valuisset,. tamquam divino oraculo, voci acquievit Secretarii Congregationis de Propaganda Fide, qui eum a praeconcepto proposito dissuadebat; atque ideo pro spirituali Italorum bono reliquum suae vitae tempus impendit. Verum tam ardens Religionis propagandae studium atque animarum salutis nequaquam irritum cecidisse dicendum est; siquidem illud caussae fuit cur stre nuus Christi miles alios sacerdotes hortaretur, ut ad infideles pergerent, eosque Evangelii lumine illustrarent.

Verum ad catholicae fidei veritates asserendas haud necesse fuit, ut ex Italiae finibus Bartholomaeus egrederetur, eo quia latissimus ei patuit campus pro spirituali Italorum utilitate suum incensum zelum exercendi. Non facile dictu est quot vicos et

oppida et civitates et provincias concionando peragraverit, quot impios e vitiorum veterno erexerit, et quot lañantes in fide confirmaverit. In dissidentium animis, discordia omni composita, iterum associandis, Dei Famuli verbum quam maxime valebat. Hac enim super re plura in medium proferri possent exempla.

Tota autem eius vita assidua praedicatio fuit, et in sermonibus, quos de Deo habebat, sancto pietatis fervore ipse incensus, omnes auditores commovebat. Porro quam maxime studuit ad omnium virtutum cultum fidelium animos informare et in eorum cordibus fidem excitare, ut operibus etiam eam fidem ostenderent, quam verbis profiteri asserebant. Qua de caussa in missionibus et quadragesimalibus sermonibus nunquam *fidei* concionem, ab se affabre elaboratam, praetermittebat. Praeterea maximo tabescebat dolore, quoties sive directe sive indirecte fidei integritatem ab hostibus carpi perspiciebat; neô ulli unquam pepercit industriae, ut e fidelium manibus libros pravitate infectos eriperet; doctos etiam ecclesiasticos viros, quibuscum amicitiae foedere iungebatur, etiam atque etiam exhortans ut pro fide decertarent.

Verumtamen si cum ipsis hebraeis vel haereticis agendum esset, haud acri stylo sed solidis argumentis utebatur, ut ad fidei veritatem amplectendam suaviter simul ac fortiter illos adduceret. Iamvero ex missionarii et concionatoris officio strenue exercito eximiae fidei argumentum desumi posse Rosignalius ita docet: « Altera actio externae fidei est tradere fidem aliis ». *De act. vir. lib.'L c. XIII.* Quin imo Benedictus XIV scribit, ideo aliquorum Servorum Dei heroicam fidem laudibus efferri, « quod longam, eximiam et laboriosam curam in tradenda doctrina christiana et rudibus in fide instruendis praestiterint » *Lib. III c. XXIII n. 9.* Utrumque quidem Dei Famulum praestitisse ex iis quae hucusque dicta sunt in aprico est.

At, quoniam sapientis est futuris etiam prospicere, hinc non praesentium tantum, sed futurorum quoque bonum Dei Servus intendit, et ad hunc finem magna cum prudentia et studio - Societatem Piae Operae Missionum instituit. Et quidem ad eiusmodi arduum opus suscipiendum eo fidei ardore impellebatur quo ille aestuabat, prouti ex eius epistola, quem Sanctimoniae cuidam scripserat, colligere datum est.

Clara quidem haec sunt, heroicae fidei argumenta: at perspicua adhuc suppetunt in Actis indicia, ex quibus plenior et

illustrior fidei demonstratio confici valeat. Quum enim « maximae fidei signum est maxima et non cessans oratio, quia maxime creditur Deum et posse et velle exaudire » *Card, de Laurea in 3 sentent. Tom. 2. disp. 32 art. 9 n. 195;* hinc, totis viribus vel a puerili aetate sanctae huic exercitationi vacavit Bartholomaeus. Etiam quum iter faceret, in meditatione rerum divinarum et precibus tempus absumebat.

Quid autem dicam de profunda veneratione erga ssmum Eucharistiae sacramentum, in quo verum Christi corpus et sanguis continetur? Semel in hebdomada primum consuevit ad sacram Synaxim accedere; deinde clericus factus quotidie. Iamvero ex pia et frequenti sacramentorum susceptione certum fidei argumentum inferri potest iuxta Matthaeum sententiam aientis: « Qui sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae utitur tempore non tam a lege praescripto, quam frequentissime, et maximo devotionis affectu ad illa accedit, hic, inquam, est plane fide heroica praeditus » *Praet. Theol, canon. lib. 2. c. 2. n. 1 et 17.* Nec silentio praeteriri debet quanto studio contenderit, ut maximi honores huiusmodi sacramento tribuerentur. Enimvero nedum pueros et aedituos reprehendebat, quoties haud genua flectentes ante Eucharistiae sacramentum transibant, verum etiam in postremis Missionum diebus satagebat, ut sacrum Christi corpus per viaticum aegrotantibus afferretur, omnesque hortabatur, ut debita, reverentia atque ordine una cum cereis accensis illum comitarentur.

Tam impensa devotae voluntatis significatio erga ss. Eucharistiae sacramentum seiungi certe non poterat ab intimo pietatis affectu, quo Deiparam Virginem venerabatur. Hanc semper habuit loco matris carissimae, ferventique amore dilexit: ut ad Mariam confugerent omnes hortabatur, eiusque devotionem in cordibus hominum incendere satagebat. Porro omni vi homines pravos impedisse, quominus Deo inferrent iniurias, praeclarum et ineluctabile divini amoris argumentum esse nemo negabit, fatente Augustino: « Bono zelo comeditur qui quaelibet prava, quae viderit, corrigere satagit; si nequit, tulerat et gemit » *s. August. Tract. 10 in loann.* Atqui idem criterium rei nostrae aptandum, quum de sancto Dei Famuli zelo Acta loquantur, quo ipse, erga divinam Matrem incensus, plurimum adlaborabat, ut eius honorem a perditorum hominum iniuriis tueretur.

Sed enim virtutis huius heroicitas luculentissime etiam de-

promitur ex praeceptorum Dei et Ecclesiae observantia, nam « qui credit Deo, attendit mandatis » *Eceles. 32, 28.* Hinc monet s. Gregorius: « Vera fides est, quae in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit etc. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus *Homil. 28 in Evangel.*

Demum ut heroicae fidei plena et concludens demonstratio habeatur, silentio praeteriri nequit obsequium, quo Ecclesiam eiusque supremum Pastorem venerabatur. Cum enim paullo ante eius obitum contra legitimam Ecclesiae potestatem a catholicae religionis hostibus acerrimum bellum susciperetur, quotquot doctrina eminerent viros hortabatur, ut omnes ictus a veritatis inimicis illatos retunderent, errores refellerent, mendacium confutarent. Hac ipsa de caussa ad doctissimum virum Stephanum Borgia, S. R. E. Cardinalem, epistolam misit, qua illum precabatur, ut contra Matris Ecclesiae hostes sui ingenii aciem adhiberet. Quum porro tam eximia praeditus esset fide, Romanum Pontificem uti Indulgentiarum dispensatorem ultro colebat, quas lucrari pro viribus satagebat. Iamvero si omnia indicia et argumenta, quibus heroica fides demonstratur, in Dei Famulo nostro reperimus, quid prohibet quominus fateamur primam hanc ex theologalibus virtutibus praeclarissime in eo eminuisse?

De Spe heroica. Ex fidei praestantia merito deducitur haud minus eximiam fuisse Dei Famuli Spem, propterea quod duae istae virtutes ita arcto inter se nexu copulantur, ut alteram alterius comitem esse oporteat, ceu docet s. Augustinus, dum scribit: « Necesse est, ut in quo est fides, quae dilectionem operatur, speret quod Deus pollicetur » *Serm. 53 de Verb. Matth. 5 cap. 10 n. 11.* Porro, neminem praeterit huius virtutis actus alios formales, alios virtuales esse. De utrisque summariae tabulae satis amplam et solidam materiam nobis suppeditant. Cum enim primarium et praecipuum spei obiectum in aeterna beatitate consistat, quam a bonorum omnium largitore expectamus, illuc Bartholomaeus a puerili aetate ad postremum usque vitae tempus omnes suas cogitationes, sermones ac opera direxit, nec propter apostolicos susceptos labores, ullum unquam humanum praemium spectavit, memor illius moniti: « Spera in Domino, et fac bonitatem » *Psal.* 3. *36.* Quod ex Actis liquet.

Ad actus formales spei pertinent etiam iuges et nunquam

intermissae precationes; quae quidem ad spem heroicam demonstrandam conferunt summopere, quia nemo quantumvis sapiens reperiretur qui plurimum temporis orando insumeret, nisi spem, saltem animo foveret, bonum, quod petit, sibi Deum fore concessurum. Quapropter et istud indubium spei indicium in Dei Famulo enituit.

Gradum faciendo ad virtuales actus animadvertitur, praecipuum sibi locum vindicare terrestrium bonorum contemptum, qui luculentissimum heroicae spei argumentum constituit, praesertim si perpendatur Dei Famulum ob plurima dona illi divinitus collata praeclarasque mentis et animi dotes ad dignitatum ac honorum gradus aditum sibi aperire potuisse. Verum ut studiosius et expeditius ad sempiternae felicitatis adeptionem, quam unice inhiabat, suas vires intenderet, mundana omnia, quibus homines inniti solent, despexit, cunctasque difficultates superavit, quae illi obiiciebantur ne in sanctis propositis perstare!; quin immo patris vexationes, illum a divino famulatu acrius prosequendo deterrentis, aequo animo pertulit. Vultus hilaritas ac perfecta divinae voluntati conformatio evidenter in Dei Famulo sese prodidit in diuturnis doloribus patienter tolerandis, quos ex pedis fractura perpeti debuit, nec non in laboribus, iniuriis atque alapis etiam invicto hilarique animo sustinendis. Infitiandum itaque non est D. S. heroica spe praeditum fuisse; nam « in patientia et spe erit fortitudo vestra », inquit Isaias, *Isaias 30, lo,* et Apostolus tradit: «Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei, non solum autem, sed gloriamur in tribulationibus; scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit » *Apost, ad Rom. 5, 2.* Quam ad rem s. Augustinus exclamat: « Oh spes! Tu omnia portare facis dulciter ac suaviter » *Serm. IS ad frat. in Erem.*

Hac spe erectus, aerumnosum et grave apostolicae vitae munus aggressus est; adeo ut neque innumeri Missionum labores, neque montes praerupti, neque frigoris, aestus, imbrium et lapsuum incommoda incensum eius zelum retardare valuerint. Iamvero cum haec omnia non humani cuiusdam emolumenti intuitu, sed caelestis haereditatis assequendae firma spe perpessus fuerit, dicendum oppido est, illum, tam divino motivo suis ipsis in laboribus innixum, suae heroicae spei argumentum novum exhibuisse. Quod firmatur per verba Auditorum Rotae in rela-

tione caussae s. Catharinae de Ricciis, *Part. 3 Tit. de Spe,* « nisi firmiter sperasset vitam caelestem, neutiquam contempsisset terrenam, nec per labores et asperitatem vitae in via spiritus se tenuisset, nisi certam sibi offerendam a Deo retributionem credidisset ».

Huc etiam referenda est illa firma et inflexibilis animi constantia, gua ab adolescentia tum cibi parsimonia, tum ciliciis aliisque flagellationibus seipsum excruciare consuevit, ne adversus spiritum caro insurgeret. Homo, qui terrenis solummodo voluptatibus allicitur, quoslibet dolores odit ac aufugit; verum si ultro illis occurrit, eosque iucunde amplectitur, id efficit aeternae felicitatis intuitu, ad quam nonnisi per multas tribulationes pervenitur.

Quum tam viva atque alacri spe polieret, aptissime illam in aliorum corda sciebat effundere. Siquidem in suis concionibus mirifice omnium animos ad spem erigebat. Hinc omnes ad Dei cultum, ad mandatorum observantiam Deiparaeque patrocinium implorandum hortabatur. Quid plura ? Dubia et anxietates e poenitentium cordibus discutiebat, peccatores solabatur, in peccatis obstinates pervincebat qui exinde, spe beatae immortalitatis divinâque misericordia erecti, delictorum veniam a Deo effiagitabant. Quamobrem, videtur nihil amplius desiderari posse ad virtutis huius heroicitatem ostendendam.

De lier olea charitate in Deum. Postrema inter théologales virtutes Charitas recensetur, eo quia fidem et spem praesupponit; nihilo secius excellentia et dignitate ceteras omnes antecellit virtutes, ex eo quod christianae perfectionis vinculum charitati innititur, prouti docet divus Thomas: « Per se quidem et essentialiter consistit perfectio christianae vitae in charitate, principaliter quidem secundum Dei, secundario autem secundum dilectionem proximi » *22 Quaest. 184 art. 3 in corp.*

Ut de priore in hoc titulo loquamur, quodnam sit praecipuum charitatis indicium ab ipso divino monemur Praeceptore, aiente: « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me » *Ioann. XIV 21.* De mandatorum divinorum observantia multa retulit testis 4. Ita vero evangelica consilia servavit, ut quamlibet noxam vel levissimam adversaretur; quin imo emori maluisse^ quam in Deum delinquere, et mendacii labe, licet iocosi, conscientiam suam maculare. Quocirca, cum adhuc puer esset, caelestia tantum spectabat, et, ut liberius Deo vacaret, puerili-

bus ludis sacram solitudinem praeferebat, donec temporalibus rebus relictis, quibus pater eum immiscuerat, divino famulatui se totum devovit.

Saecularibus itaque negotiis expeditus, in assidua rerum divinarum contemplatione exercebatur; nam diu noctuque plures horas in precibus Deo fundendis impendebat. Atqui oratio, docet Ioannes Chrysostomus, « magni amoris magnum indicium est » *Hornil. 26 Cap. XI.* Cui cohaeret Ioannes Climacus, tradens: « Frequens oratio est familiaris conversatio et coniunctio hominis cum Deo ».

Praeterea, quamvis Dei Famulus omnia fidei nostrae mysteria singulari quodam prosequeretur affectu, impensiores tamen erga patientem Dominum devotae voluntatis sensus pandebat. Hinc vivum istum charitatis ignem, quo eius animus incalescebat, in aliorum cordibus excitare nitebatur. Et quidem in sermonibus, quos de Passione dominica habebat, ita fidelium animos commovebat, ut plurimas peccatorum conversiones inde obtineret.

Nec minus praeclaras charitatis significationes edidit erga SS. Eucharistiae Sacramentum, quod « vinculum esse caritatis » scitissime docet S. Augustinus. Ecquis praeterea enarrare valuerit suavissima colloquia quae cum eo serenat, vel iaculatorias preces, quibus in amantissimum Dominum ferebatur? Tanto charitatis affectu ab ineunte aetate in eum rapiebatur, ut maxime curaret suam devotionem in aliorum animos infundere. Iamvero, ex heroico devotionis fervore, qui ab aliquo Dei Famulo proditur in quotidiana Missae celebratione, nobilissimum charitatis indicium desumitur, ceu recte docet Matta, inquiens: « Quartum heroicae charitatis indicium est quotidiana Missae celebratio, et frequens Sacramenti Eucharistiae perceptio, cum proprius effectus Sacramenti sit conversionis hominis in Christum » *Matta de Canonis. Sanet. p. 2 Cap. 15 n. 72.*

Quandoquidem, licet multa alia praesto essent argumenta ad heroicam Dei Famuli charitatem in Deum evincendam, sat esset prae oculis habere praeclaras eius res gestas ex zelo dimanantes, quo studebat peccati dominatum evertere et homines omnes ad Deum toto corde diligendum impellere. Atqui, docet Ambrosius, « zelus charitas est » S. *Ambros. Psalm. 118 ;* et divus Thomas tradidit: «zelus, quocumque modo sumatur, ex intentione amoris provenit » *s. Thom. 1, 2 Quaest. 28 art. 4.*

Quapropter Augustinus ita Christianos cohortabatur. « Etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque eius quibus potestis praedicando, ut unusquisque .... pro Christo et pro vita aeterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in aeternum sit cum ipso » *S. August. Traet. 51 in Ioann.* Iamvero, nonne Augustini monitum ad unguem Bartholomaeus sequutus est, qui ad obitum usque Dei gloriae in terris amplificandae se totum addixit?

Tanta vi divini amoris excitatus, infidelium plagas peragrare exoptavit, ceu iam vidimus, ut eos ad fidem converteret, et regnum Dei in terris eius opera propagaretur: nec hunc ad finem sanguinem effundere dubitasset. Quocirca labores, aerumnas, persecutiones pro Dei charitate libenter perferebat. Ex quibus omnibus concludendum est ita D. S. charitate in Deum eminuisse, ut ea extraordinaria fuerit, et heroicitatis fastigium attigerit.

De heroica in proximum charitate. Si tam eximia in Deum charitate Bartholomaeus enituit, ceu ex hactenus disquisitis manifesto liquet, deesse certe non poterat alteri mandato, quod Proximi dilectionem inculcat ac praecipit. Qui enim Deum diligit, et fratrem suum diligat necesse est. Unde sapienter docuit s. Augustinus: nemo diligit proximum nisi diligens Deum ; quem si ipse non diligit, nec proximum diligit » *Epist, ad Hyeron.* Et S. Ioannes tradit: « Si non amas proximum tuum quem vides, Deum, quem non vides quomodo potes diligere?» *Epist. I cap. 4.* Quocirca, ut numeris omnibus absoluta appareat Dei Famuli charitas, qua in Deum rapiebatur, tenerrimus ac flagrans eius amor ostendendus est, quo alios sibi similes prosequebatur. Verumtamen, quoniam eiusmodi dilectio duplicem operum speciem complectitur, prout animam, vel corpus respiciat, idcirco de spiritualibus eius operibus in antecessum loquendum est. Ipse quidem omnibus omnia factus, ex Apostoli monito, universam vitam viresque suas benefaciendo impedit; illud nempe alacri animo spectans et contentis viribus usque enitens, Christo animas lucrifacere.

Neque silentio praetereunda est indefessa eius sedulitas in confessionibus excipiendis. Saepe enim ieiuniis, et somni peni-

tus oblitus per dies integros et noctes in sacra expiatoria exedra sedebat, ubi omnes eodem charitatis affectu amplectebatur. At vero praecipue eximia eius charitas praefulgebat erga rudes ceterosque omni urbanitatis cultu expertes, quos exquisita benignitate summaque misericordia excipiebat. Cum tanta polieret scientia, undique eius consilia a viris, etiam dignitate spectatissimis exquirebantur, omnesque eximiam eius charitatem experti sunt. Nullum certe maius beneficium hominibus tribui potest, quam si a lethalibus culpae nexibus, quibus impediuntur, Dei gratiae et amicitiae restituantur. Iamvero ad hunc finem nobilissimum omnes D. F. labores spectaverunt. Hinc, ut pluries vidimus, a fine sibi proposito consequendo, non locorum asperitate, non itinerum incommodis, non caeli inclementia deterrebatur: immo nunquam fractus laboribus, nunquam animo remissus, quocumque accitus esset, e vestigio ad volabat, ut spiritualibus proximi necessitatibus opitularetur. Et re quidem vera flagrantem eius zelum pro animarum salute satius explicare non possem, quam corporis macerationes referre, ut in peccatis obstinates emolliret, et ad christianae vitae rationem reduceret. Hocce factum magnum quidem rei, quam pertractavimus, argumentum est; cum verissima illa Dionysii Areopagitae sententia habenda sit: « Omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in conversione errantium, et reductione peccatorum ad ipsum ». *In coelest. Hyer. cap. 3.*

Et quidem innumeros peccatores Deo reconciliavit Bartholomaeus. Per eum scilicet quamplures sublatae sunt discordiae, restincta odia, compressae libidines, frequentior sacramentorum usus, boni mores inducti. Nec aliter res cedere poterat; nam, praeterquam quod ex eius verbis quaedam ignota vis scatebat, qua omnium animi commovebantur, ipsi curae erat internoscere quae potissimum peccata vel scandala eo in loco dominarentur, ubi Missiones peragendae erant, quo tutius et efficacius contra illa veheretur.

Nec in templis modo, sed in viis etiam ac in plateis publice concionabatur; ac tam efficaciter, ut plurimi, concione audita, confessarium adirent, conscientias expiaturi. Quamplures mulieres, quae perditionis viam ingressae erant, Christo lucrifecit; pro iis vero omnem sollicitudinem impendebat, ut in coepto iam bonae vitae itinere constanti animo insistèrent.

Ceterum impensissimum eius studium omne genus hominum

respiciebat; quosque olim ad meliorem frugem revocasset, omni vi ac labore in officio ac pietate continere satagebat.

Prima huius tituli parte expensa, ad corporalia charitatis opera, quibus proximi indigentiis mederi studuit, sponte veluti sua deflectit oratio. Pauperum amantissimus vel ab ineunte aetate, nummulos a matre eiflagitabat, quos deinceps in eorum subsidium erogabat; imo sacerdos effectus, quidquid e quadragesimalibus concionibus perciperet, pauperibus elargiebatur.

Quid autem dicam de innumera egenorum multitudine, quibus alimonias suppeditabat? Heic loquantur tot pauperes illi, quibus large opitulatus fuit. Quae quidem in egenos charitas adeo ab ineunte aetate in Dei Famulo enituit ut sese fraudaret cibo, quo aliorum famem depelleret.

Quum tam eximia flagraret in proximum charitate, ad aegrotos certe animum convertere debebat, quos saepissime in nosocomiis invisebat, omnique auxilio sublevabat. Verum Dei Famuli charitas luculentius excelluit sive in iniuriis sibi illatis obliviscendis, sive in inimicis diligendis, quibus beneficia pro male acceptis rependebat. Hoc porro genus actuum summam heroicitatem portendit, ceu recte monet s. Gregorius Magnus. « Charitas vera est, cum et in Deo diligitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui iam et eos diligere, a quibus non diligitur, scit. Probari enim charitas per solam odii adversitatem solet » *Homi. 38 in Eoang.*

Ut itaque omnia, quae hucusque disquisita sunt, paucis contrahantur concludendum est, in tam multis ac gravibus charitatis operibus ita D. F. sese exercuisse, ut neque virium lassitudine débilitants, neque multitudine laborum perfractus ab officio suo unquam defecerit, sed per totum vitae cursum solummodo proximorum utilitati et saluti prospexerit, quos in Christo vehementer diligebat.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

De heroica prudentia. Quae hactenus disputavimus, facilem sternunt viam ad cardinales virtutes demonstrandas, quae eodem heroicitatis gradu in Dei Famulo excelluerunt. Iamvero eas inter primo loco Prudentia occurrit, quae, ceterarum omnium virtutum moderatrix et princeps, hominum actiones dirigit ad finem supernaturalem assequendum. Quocirca sapienter docet

divus Thomas: « Finem et media ad illum necessaria prudentia proponit » *2. 2. quaest 66 art. 3 ad 3.* Huius quidem prudentiae laudem sibi promeruit Bartholomaeus, qui, cum vitam operando consumpsisset, nihil spectavit aliud quam aeternam beatitatem et animarum salutem. Ipse enim a primaeva vitae aetate eximiae prudentiae indicia prodidit; ideo eum vidimus unice pietati fuisse intentum, et omnia media adhibuisse, quorum ope aeternum finem assequi valeret. Perosus quidquid Dei offensam vel leviter saperet, assiduae vacabat precationi, et reliquum tempus in studiis variisque pietatis operibus impendebat.

Quoniam in status electione, a qua maxime aeternae felicitatis adeptio dependet, praecipue prudentiae virtus enitescere debet, idcirco D. S. ecclesiasticum statum haud amplexus fuit, nisi post diuturnas preces, quibus vocationem suam comprobaret, et consilia a probis sanctisque viris exquisita.

Haec quidem spectant ad eam prudentiae partem, quae monastica dicitur, quaeque circa proprium bonum versatur. Etenim praestantioris prudentiae laude Dei Famulus commendatur in amplificanda Dei gloria et proximorum salute procuranda, pro quibus omnes animi corporisque vires devovit.

Eiusmodi cum esset prudentia instructus, etiam in consiliis praebendis prudentissimus apparuit. Hinc quotquot miseriis oppressi, vel conscientiae stimulis vexati ad eum accederent, omnes celesti iucunditate perfusi ab ipso discedebant. Attamen prae ceteris summam eius prudentiam innumeri testantur Episcopi aliique viri dignitate insignes, qui in arduis negotiis eius consilium requirebant, quod semper erat singulis rerum adiunctis accommodatum.

Attamen ad Servi Dei prudentiam adstruendam nihil magis conferre videtur quam - Piae Operae Missionum - institutio. Licet enim alacri praeditus ingenio summaque doctrina emineret, nihilominus praestantium virorum consilium exquisivit ut in re tam gravi tutius procederet. Neque huic operi manum admovit, nisi prius caeleste auxilium implorasset: illud autem quo facilius consequeretur, etiam atque etiam se aliorum precibus commendabat. Difficile autem dictu est quantum studuerit, ut institutio firma ac stabilis constitueretur. Quae cum ita sint, neminem dubitare existimo, Dei Famulum adeo prudentia eminuisse, ut heroicarn huius virtutis laudem fuerit assequutus.

De iustitia heroica atque aliis virtutibus adnexis. Neminem profecto latet, Iustitiam, nobilissimum virtutem, si universim ac lata quadam significatione accipiatur, omnes in se virtutes complecti. Hinc s. Ioannes Chrysostomus tradit: « Iustus omnes virtutes complectitur; hoc enim nomine consuevimus dicere de his, qui omnimodam exercent virtutem » *Horn. 23.* Et quidem hac significatione viri sanctitate insignes in sacris Litteris iustorum nomine designantur. Dubitari itaque non potest, quin generalis iustitiae praecepta Dei Famulus impleverit : nam ex unanimi Testium consensu liquet divinas atque ecclesiasticas leges ad unguem servasse, quibus addebat accuratam officiorum perfunctionem.

Quod si a generalibus ac latioribus iustitiae partibus ad eas deveniamus, quae, duce Angelico Doctore, a Theologis communiter *potentielles* vocantur, ante omnes occurrit religio, quae Deo, tamquam primo rerum omnium principio, debitum cultum tribuit. Hinc illud peccati odium, ac sedula legum custodia; hinc iuge orationis exercitium, et in sanctissimum Eucharistiae Sacramentum maxima devotio, ceu ubertim in titulis de fide et in Deum charitate vidimus. Maxime ei cordi erat, ut dies festi, debite colerentur. Praeterea in aprico est quanto devotionis affectu, post Deum, Beatissimam Virginem coluerit. Tenerrimum istud obsequium in Deiparam non modo testantur quotidianae et assiduae ad eam preces effusae, sed impensum etiam studium, quo in omnibus concionibus erga illam affectum, cultum et venerationem in aliorum animis excitare satagebat. Atqui erga Beatissimam Virginem obsequium ad maximam Dei gloriam redundat: ipse enim s. Laurentius Iustinianus, hanc devotionem omnibus commendans, haec loquebatur: « Nos igitur honorem huius Virginis praeciriamus in confessione, Deoque nostro psallemus in cythara: Ipsum venerentur in Matre, et Matrem honoremus in Filio : utrique vota nostra fideliter exsolvamus » *Serm. in Nativa. Virg. Mariae pag. 672 lit. C.*

Religionem pone sequitur pietas, quae nihil est aliud quam « quaedam protestatio charitatis, quam quis habet ad parentes et patriam » *Benedict. XIV. lib. 3 cap. XXIV. n. 18.* Sed enim ecquis de eius patriae charitate dubitare poterit ? Ea satis liquet ex iis quae in titulo de charitate in proximum conscripta sunt, atque hic solummodo animadvertam nihil ei antiquius fuisse quam patriae suae verum bonum curare. Quod autem ad pa-

rentes attinet, eos maximo venerabitur obsequio, neque unquam domo exibat, nisi prius eorum manus deosculatus, benedictionem ab eis flagitasset.

Heroicae iustitiae argumentum in veracitate etiam consistit, quam Dei Famulus semper praesetulit, et nihil magis odio habuit quam simulationes et mendacium.

Neque alia desunt argumenta, quibus eius iustitia comprobari potest. Cum enim nihil ei magis curae esset quam neminem laedere, et ius suum unicuique tribuere, idcirco in debita mercede operariis solvenda diligentissimus fuit. Haec quidem luculentissime demonstrant non iustitiae modo, sed liberalitatis etiam officia Dei Famulum praestitisse.

Quae cum ita sint, si Bartholomaeus Deum super omnia dilexit et coluit, Deiparamque Virginem haud absimili prosequutus fuit obsequio; si parentibus ceterisque consanguineis reverentiam exhibuit; si nemini nocuit, sed potius bonum pro male acceptis rependit; si proximorum tum spirituale bonum per assiduus apostolicos labores indesinenter curavit, nec fastidivit dies noctesque integras in confessionis exedra absumere, ubi personarum non erat acceptio, sed omnes, cuiuslibet conditionis essent, eadem comitate et affabilitate excipiebat; merito asseri potest cunctas iustitiae regulas implevisse, quas s. Bernardus ita recenset: «Iustitia est Deum timere, Religionem venerari, honorem facere parentibus, patriam diligere, cunctis prodesse, nocere nulli, fraternae charitatis vinculum tenere, pericula aliena suscipere, opem ferre miseris, bonis vicissitudinem rependere, aequitatem in Iudiciis servare » *Lib. de Ord. vitae eoi. 10 litt. A.*

Ut vero iustitiae demonstratio, qua Dei Servus praecelluit, plenissima habeatur, de votorum observantia nonnulla huic titulo attexenda sunt.

Castitatis virtutem adeo Dei Famulus dilexit, ut omnibus subsidiis, quae ad pudicitiam servandam apprime conferunt, diligenter usus sit. Neque alia praetermisit adiumenta pudicitiae nitori servando accommodata, quam arctis sepivit custodiis. Ipse enim nedum carnem suam a teneris usque annis afflictactionibus et ieiuniis castigavit, sed omnibus tentationibus pudicitiam vel leviter obnubilantibus acerrimum bellum indixit, omnesque sensus illecebras a se removit.

Sed monumentum splendidissimum puritatis Servi Dei ex-

bibent eius verba, quibus intimos animi sensus patefaciens alios ad eam virtutem dirigendam hortabatur. Aurea quidem erant quae ex eius ore prodibant consilia. Quae vero acriter adversus impudicitiam concionabatur, adeo caute dicebat, ut si horrorem in turpissimum vitium excitarent, nihil castas audientium aures offenderent. Cum autem optime sciret ex otio omnia vitia promanare, non modo corpus suum assiduo exercebat labore, sed alios hortabatur ne otio unquam indulgerent, quod ut e medio tolleret, praesertim in iis civitatibus, in quibus dominabatur, studia, Congregationes, aliasque exercitationes fovit ac provexit.

Obedientia, a s. Augustino appellatur « mater quodammodo, custosque omnium virtutum » *De Cioit. Dei lib. 14 cap. 12.* Eiusmodi virtus, quae usque ab adolescentia altas in Dei Famulo radices egerat, aetate succrevit: nam cum intelligeret Dei Famulus post status clericalis susceptionem non amplius sui se esse iuris, ex praesulum suorum nutu omnino pendebat. Quapropter Marcus Antonius Colonna, Card. Urbis Vicarius, praeclarissimum reliquit testimonium de perfectissima Bartholomaei obedientia, quam per epistolam ipsi Dei Famulo missam concelebrat.

Neque propria contentus obedientia, hortationes etiam addebat, quibus alios ad hanc virtutem colendam excitabat. Ex quibus omnibus aliisque, quae in summario leguntur, non immerito colligitur, illam obedientiae virtutem in Dei Servo duxisse, quae, prouti docet s. Bernardus, « legem nescit, et terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in altitudinem caritatis, et ad omne, quod iniungitur, spontanea . . . extenditur » *De praecept. et dispensat, cap. 9 in princ.*

Mirabilis etiam in eo fuit paupertatis amor, quae non secus ac ceterae virtutes, supremum heroicitatis gradum attigit, et vere voluntaria dici debet. Quamvis enim ex nobili atque divite ortus esset familia, et omnes vitae delicias ac commoditates, quae in civili societate habentur, sibi comparare valuisset, tamen omnia sprevit; nec post aurum abiit, nec speravit in pecunia et thesauris, thesaurum pretiosiorem situm esse reputans in paupertate bonisque operibus. Pro apostolicis laboribus, quos magno alacrique animo ad spirituale animarum bonum procurandum suscipiebat, stipendia recipere noluit, stipem etiam pro Missarum celebratione constanter recusavit.

Spiritu paupertatis ductus, domum paupérrima supellectili instructam incolebat, et si quid supervacaneum in ea congestum videret, pauperibus elargiebatur. Quid plura ? Evangelicam paupertatem tam arctissime custodivit, ut post eius obitum nihil pecuniae apud eum repertum fuerit. In victu etiam paupertatem exhibuit; quid autem de vestitu dicam? Prae oculis habens s. Bernardi monitum - *Pauperes sed non sordes* -, tunicam talarem gestabat, vili quidem et obsoleto panno confectam, sed mundam et sacerdotali dignitati accommodatam. Quare, ut usurpem verba Seraphicae Regulae, paupertatem etiam diligentissime servavit, quae « illum perduxit in terram viventium, cui totaliter inhaerens nil aliud pro nomine Domini Iesu Christi sub coelo habere voluit » *Cap. 6.*

De heroica fortitudine. Fortitudo a D. Augustino definitur « considerata periculorum susceptio et malorum perpessio » *Lib. 85 quaest. 3.* Unde s. Ambrosius inquit: « In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo ut exteriora corporis pro minimis habeat: secundo ut ea quae summa sunt, omnesque res, in quibus est honestas praeclara, animi intentione usque ad effectum persequatur » *Lib. 1 de Offic.* Hinc quisque per se videt duplicem huiusce virtutis actum distingui: *ardua nimirum aggredi et sustinere S. Thom. 2. 2. quaest. 123 art. 6.* Post ea quae de fide et charitate in proximum conscripta sunt, ubi manifesto liquet quot ingentes labores indefesso constantique animo D. F. subierit ad Dei gloriam et animarum salutem procurandam, nihil magis desiderari posse videtur, ut eius fortitudo demonstretur. Attamen, ut huiusmodi virtutis heroicitas luce clarior appareat, nonnulla addenda sunt. Maximum arduumque opus suscepit, Missionarii munus amplectens. Nec quae subeunda erant pericula, ignorabat: at nihil fortem eius animum deterrere, nihil retinere valuit; nam omnia asperiorum itinerum incommoda magnifice superavit.

Verumtamen « principalior actus fortitudinis, prouti docet scitissime angelicus Doctor, est sustinere, id est immobiliter sistere in periculis, quam aggredi »; nam, ut idem Thomas paullo post subdit, « sustinere difficilius est quam aggredi triplici ratione. Primo quidem, quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiori invadente: qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris. Difficilius autem est pugnare cum fortiori, quam cum debilior! etc. » *2. 2. Quaest. CXXIII.a. VT.*Iamvero, quis di-

etis assequi et complecti potest quot aspera atque adversa Dei Famulus sustinere debuit in exercitio apostolici ministerii, in quo viginti septem annorum spatio perduravit, nec animo unquam defecit?

Ex hac imperturbata animi firmitate illa promanabat constantia, quam assidue praesetulit inter persecutiones, contradictiones, minasque ipsas, quibus veluti strenuus miles resistebat. Mirifice ,;Dei Famuli fortitudo excelluit, dum irrisiones atque alapas ipsas aequo animo perferebat, quin de iniuriis sibi irrogatio offensores obiurgaret.

Attamen nobilissimum heroicae patientiae specimen exhibuit in gravissima et diuturna infirmitate, quam Vindobonae maxima animi et vultus serenitate toleravit, nullam edens querelam, perinde ac si nulla molestia afficeretur; imo morbum ipsum festive atque hilariter in locum convertebat. Qua de caussa, si « acerbos dolores, prolixi morbi diuturnus cruciatus non cum querela et murmure, sed delectabiliter et cum gaudio, Deo specialiter protegente, sustinere et tolerare » *Matthaeuc. in Praef, tit. 2 cap. 3 § 3 n. 28* heroicae patientiae indicium est; hanc Dei Famulo nostro laudem vindicare debemus, cuius animus nunquam fractus fuit tristitia, nunquam a constanti patientiae proposito dimoveri passus est.

De heroica temperantia. Passim superius vidimus etiam Temperantiae virtutem mirandum in modum in Dei Famulo eminuisse: idcirco paucis expediri res posset post ea quae de fortitudine dicta sunt. Docet enim s. Laurentius Iustinianus: « Omnes tunc temperantiae actiones mens operatur, cum virtutem fortitudinis, quasi pupillam oculi, custodivit » *De capt. com. ver. et anim. cap. 13.* At praestat ut nonnulla speciatim de hac virtute in praesenti titulo addere, quo plenior et abundanter illius demonstratio fiat.

A tenera aetate D. S. innocentem carnem suam ieiuniis et macerationibus affligere assueverat, ne illa adversus spiritum concupisceret. Augescente aetate, crevit etiam abstinentiae amor. Porro cum iam tempus illud appeteret, quo Missionarii vi tam capesseret, suum esse duxit, ut maiori poenitentia corpus affligeret.

Verumtamen, uti recte notat Matthaeuccius, « abstinentia perfectorum non tam quantitatem superfluam cibi respicit, quam qualitatem, curiositatem et pretiositatem ac voluptuosam prae-

parationem; contenta simplici cibo et potu ex pura necessitate ad vitae substentationem ». Porro, vidimus sic parcum in cibo a teneris unguiculis Bartholomaeum fuisse, ut delicatiores epulas, quae illi apponebantur dum paterna in domo degebat, constanter respuerit. Grandior aetate exquisitiorem victum semper abhorruit, nam vulgares et vilissimas escas sibi seligebat. Mirabilis quidem eius parsimonia fuit, nam quotidie tantum sumebat cibi, quantum satis vix esse posset ad naturae necessitatem fallendam; et si interdum apud nobiles divitesque viros prandere deberet, industrie a cibis abstinebat, ne eius temperantia convivarum oculis appareret. Quae quidem omnia heroicam temperantiam luculentissime demonstrant, ceu ad rem animadverterunt Rotae Auditores in relatione caussae s. Ludovici Bertrandi: nimirum « in relatione s. Ludovici Bertrandi, tit. de temperantia, refertur partem obsonii in mensa eum comedisse, quae vix ad hominis substentationem sufficiebat: quem morem servavit etiam dum munere praedicationis fungeretur » *Benedictus XIV. Lib. 3. cap. 28 num. 17.* Iamvero nisi praesentissimum Dei auxilium in Dei Famulo admitteretur, certe concipi non posset, quomodo perdurare potuerit in assiduis Missionum laboribus perferendis, praesertim cum haud firma corporis constitutione a natura instructus esset.

At vero, quamvis Dei Servus ob eiusmodi apostolicos labores in effoeto corpore vires deficere persentiret, nihilo secius assidue omnia ecclesiastica ieiunia servare voluit. Neque hoc tantum afflictationum genera corpus suum male mulctabat, sed plurimis aliis variisque mortificationibus illud attrivit edomuitque, memor verborum D. Pauli, quibus Galatis temperantiam commendabat, eosque ad christianam carnis castigationem hortabatur. « Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecumque vultis, sed illa faciatis» *Epist, ad Galat. cap. 5 ver. 16.* Hinc saepe duro et incommodo utebatur lectulo, et pro aliorum peccatis in corpore suo poenas tuens, publice in suggestu ferreis se flagris percutiebat. Ceterum acerrimi certaminis, quod contra carnis illecebras ab ineunte aetate aggressus fuit, luculentum exhibent indicium sanguinis guttae, quas adhuc in eius subucula videre est. Merito idcirco de Bartholomaeo pronuncian potest, quod tradit Scaccfms de Not. et

sign, sanctitatis: nimirum « sanctitatem illorum tantum probat, ac veneratur Ecclesia in non Martyribus, quos in carnis castigatione, ac sensuum mortificatione floruisse compererit » *Sect. 5 cap. 2 pag. 302.*

De heroica humilitate. Humilitati universum christianae perfectionis aedificium innititur, quemadmodum docet s. Augustinus per haec verba : « Vis magnae fabricam construere celsitudinis? De fundamento prius cogita» *Lib. de verb. Domini.* Quare Ioannes Chrysostomus tradit: « Qui hoc fundamentum recte iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem structuram excitare » *In Gen. Homil. 35.* Iamvero, si paullisper memoria repetamus, quae superius dicta sunt de ceterarum virtutum actibus, ac praesertim de cultus neglectu, de paupertate, de divitiarum atque honorum contemptu, studiosissimum humilitatis cultorem Dei Famulum fuisse pro certo habere debemus.

Sed alia etiam suppetunt argumenta, quae hanc virtutem magis magisque probant ac confirmant. Quamvis enim ad Dei gloriam animarumque salutem quaerendam vitam consumpsisset, et ubique mirabilia peregisset Vir apostolicus, tamen non verebatur in concionibus omnium maximum peccatorem se publice profiteri.

Eodem humilitatis spiritu ductus, omnibus in rebus humanos honores et gloriam constanter despexit, oblatamque sibi episcopalem dignitatem recusavit. Nunquam sui imaginem photographica vi lucis expressam confici permisit, nec suis operibus typis editis nomen praeponere voluit. Licet inter alios scientiae lumine facile excelleret, tamen in rebus omnibus suscipiendis ab inferioribus consilia quaerebat; ac tam demisse de se sentiebat, ut nullum unquam protulerit verbum, quod in sui decus vel laudem vergeret, vel uberes suorum laborum fructus quodammodo indicaret. At quomodo laudis amore Dei Famulus ferri poterat, qui nihil studiosius quaesivit, quam ut ab aliis contemneretur? Nec mirum: nam « cum homo vere et ex animo se omni contemptu et abominatione dignum existimaverit, ab aliis quoque despici et pro nihilo haberi desiderabit » *Card. Bona princ. vit. Christ, p. 2. cap- 28.*

Ex hac animi demissione tam sedulo adnitebatur omnes virtutes suas obtegere, ut quaslibet praeconii occasiones tamquam hostem infensissimum aufugeret ac declinaret. Merito itaque concluditur tantam fuisse Dei Famuli virtutem, quanta maior

desiderari non potest. Idcirco de eius sanctitate tutum pronunciatum* iudicium iuxta ea quae tradit Scacchus: « Humilitas cum probata fuerit in Actis alicuius Servi Dei, summum et perfectum Sanctitatis argumentum ex ea colligitur ad effectum beatificationis et canonizationis » *De not et sign, sanctitat Leci. 5. cap. 5. pag. 351.*

De donis supernaturalibus. Dives in misericordia Deus egregias Bartholomaei virtutes, quas nuper descriptae sunt, supernaturalibus etiam donis ac miraculis illustrare voluit, quo fulgidior eius sanctitas hominibus appareret. Et primo quidem abunde liquet ex Actis divinum illud charisma ipsi collatum, quo peccatores pertinacissimos, lethalis culpae nexibus detentos, ad Dei gratiam et amicitiam restituebat. Porro ignota quaedam ac veluti divina vis ex ore eius profluebat, quae durissima etiam corda permovebat. Innumera autem de his collata sunt testimonia, ita ut ex eiusmodi dono ineluctabile sanctitatis argumentum desumi possit prouti scitissime docet Card. Bona. « Quae in animis patrantur, vere et absolute nota Sanctitatis censenda sunt; non enim solet Deus ad tantum opus, cuiusmodi est perfecta ad Deum conversio, quempiam assumere, qui sibi gratus non sit » *De discret, spira, cap. 6 n. 9.*

Quid vero dicam de salutationis dono, quo abdita cordium comperta habuit? Divini spiritus afflatu in nonnullis poenitentibus debitae dispositionis ac praecipue sinceritatis defectum agnovit, quo ad sacramentalem confessionem accedebat.

Neque silentio praeteriri potest, propheticum spiritum, quo ille inclaruit. Etenim, dum hodiernos materiales progressus, quos aetas nostra iactat ac summis effert laudibus, Bartholomaeus praecinuit; etiam mala, quibus affiigimur, longe antea praevidit et praenuntiavit.

Huc etiam referenda sunt vaticana, quibus aliorum et proprium obitum praesagiebat, quem, vehementer optabat, dissolvi cupiens et esse cum Christo. Simili praescientia Rildo D. Benedicto Tombini tempus significavit, quo e vivis decessisset, eique praenuntiavit quod quadragesimum tertium aetatis annum minime expievisset. Et reapse refert quidam Ioseph Mazzanti id accidisse.

De **fama** sanctitatis in vita. Quum ita sese habeant res, nemo certe mirabitur, si quotquot Dei Famulum cognoverunt, licet hic curiose et ex industria niteretur virtutes atque

caelestia charismata, quibus a Domino ditatus fuit, hominibus occulere, maximam tamen de eo sanctitatis opinionem conceperint. Et quidem ab omnibus indiscriminatim Vir magnus, indefessus vineae dominicae operarius, sacerdos spectatissimus et veneratione dignus, missionarius sanctus, s. Leonardo a Portu Mauritio in virtute simillimus praedicabatur.

Qua de caussa plures S. R. E. Cardinales insignem sanctitate virum Bartholomaeum reputabant, eiusque precibus sese commendabant, prouti innumerae testantur epistolae, ex quibus eruitur quanta veneratione illi et innumeri Episcopi, Dei Famulum prosequerentur. Neque praetereundum plurimos ex his sive in dubiis, sive adversis in rebus tamquam ad divinum oraculum ad Dei Famulum confugere, eiusque consiliis penitus acquiescere cousue visse.

Hanc eamdem sanctitatis famam apud Romanos etiam Pontifices nactus fuit ob egregias animi virtutes, queis ornabatur. Et revera Benedictus XIV, Clemens XIII, Clemens XIV, et Pius VI magno in pretio eum habuerunt, plurimasque privilegiis et facultatibus cumularunt. Quid amplius? Viri etiam sanctitate illustres egregia Dei Famuli merita plurimi fecerunt, et prae ceteris memorandus s. Paulus a Cruce, quocum intima erat familiaritate coniunctus.

Haec porro sanctimoniae opinio non intra Bononiae tantum moenia circumscripta fuit, sed longe lateque patuit, et quacumque se ferret Bartholomaeus, eum comitabatur. Neque imminuta fama unquam fuit, sed potius in dies singulos in omnibus Italiae regionibus augebatur atque ideo nil mirum si, quoties Missiones perageret, ad eum, tamquam virum a Deo missum, audiendum undique frequentissima hominum multitudo confluer et.

De miraculis in vita. Praeclara isthaec sanctimoniae laus magis magisque augebatur prodigiis, quae Bartholomaei intercessione Deus patravit; *habent enan miracula linguam suam,* docet s. Augustinus *Tract. 24 in Toann.* Atque heic nonnulla breviter recensenda sunt.

Quum olim in aperta planitie de inferni poenis concionaretur Vir apostolicus, ut illarum formidinem in auditorum animas ingereret, demonstravit peccatorum animas in inferos prolabi, ceu arboris folia, quam iis indigita vit; ac repente, ceu Testes 17, 39, 40 affirmant, arbor* omnibus sese foliis exuerc visa est.

Alias, concionem sub elio faciens, e vestigio vehemens atque atra suboritur tempestas; sed pluvia, Dei Famulo intercedente, circum populi multitudinem cecidit, quin aliquem vel leviter madefaceret.

Sic etiam, olim per paroeciam transiens, vulgo « *La Fiorentina* » nuncupatam, corruptam putei aquam benedictione sanavit, et ex eo tempore oppidani omnes eam hauriunt ad vitae necessitatem; neque amplius unda putruit.

Acta pariter commemorant olim in quadam sacra expeditione, scelestum virum igneum globulum contra Bartholomaeum displosisse, dum per ea loca Missiones peragebat; at D. F. tranquille, unde profectus fuit, illum repulit, atque ita sospes evasit.

De extrema aegritudine et de pretioso servi Dei obitu. Quum multa diu ad incrementum Dei gloriae proximorumque salutem Bartholomaeus patravisset, perfractis iam corporis viribus ob diuturnos apostolicos labores, ad extremum vitae exitum, immaturo quidem tempore, se pervenisse persensit. Bononiam Ferraría reversus, ubi Card. Mattei accitis clero alumnisque Seminarii spiritualia tradidit exercitia, die 14 Decembris anni 1778 vehementissima febri conflictari coepit. Medici, qui acl ipsum curandum fuerant arcessiti, pro eâ qua pollebant peritia plurima adhibuerunt medicamina.

Morbus interea quotidie magis augebatur, et praeceps in deterius ruebat. Ad eius vitam e mortis faucibus extorquendam per totam bononiensem urbem preces effusae sunt. Sed aliter visum Deo, qui Bartholomaeo suorum laborum virtutumque praemium in caelis iam donare decreverat. In tanto omnium moerore, caelesti veluti pace circumfusus, in heroicis virtutum actibus sese D. F. exercebat, iaculatorias etiam preces continue ingeminans. At verens ne illa animi tranquillitas aut modum excederet, aut sine caussa existeret, anceps haerens confessarii sententiam rogavit, cuius monitis illico acquievit, simul ac iste eum hortatus fuit, ut singularem divinae misericordiae gratiam veneraretur. Gestüt prae laetitia Dei Famulus, statim ac suum Emum Praesidem inspexit, eique Piam Missionum Operam comitesque apostolicorum laborum enixe commendavit, petiitque ut postridie, dum sollemne sacrum litaret, pro anima exoraret; quae verba infaustum omen portenderunt imminentis eius mortis, prouti alteri praenuntiaverat. Interim Servus Dei, ne divini muneris particulam praeteiiabi sineret, quotidie sacram syna-

xim recipiebat. Denique, quum de suscipienda extrema unctione monitus fuit, petiit ut eâ illico muniretur, ac sacerdotibus rite infirmorum preces iterantibus pientissime sese consociabat. Denique plenariam ceterasque indulgentias lucratus, inter adstantium preces et lacrymas placidissimo ac pretioso obitu vitam conclusit praeludió nativitatis Christi Domini, cuius festum in caelis celebrare flagrantissime initiavit.

De concursu ad fenus servi Dei undequaque habito de inhumatione et de corporis translatione. Vix eius obitus rumor percrebuit, confestim omnes ad cadaver invisendum accesserunt, atque *Sanctum* decessisse proclamarmi! Neque bononiensis tantum civitas commota dolore est, sed in omnibus Italiae regionibus communis fidelium comploratio Bartholomaei mortem sequuta fuit.

Innumera fuit populi frequentia, quum iusta funebria sollemniter persoluta sunt. Siquidem antequam dies illucesceret, tam ingens fuit hominum turba quae in templum confluxit, ut helvetiorum militum custodia opus fuerit, qui ad fores excubarent, ne ordo perturbaretur. Neque silentio praetereunda splendida parentalia in plurimis Italiae urbibus celebrata, quibus et funus addendum in templo s. Mariae Magdalenae dicato a Clero bononiensi sollemniter peractum.

De miraculis post obitum. Domini manus breviata quidem non fuit in sui Famuli invocatione, cuius intercessione plura etiam post obitum patravit prodigia. Ac primo, Comes Iacobus Zorlis, qui ob fractum crus ad gangraenam vergens in vitae discrimen fuit adductus, novendialibus precibus in Bartholomaei honorem peractis, pristinae valetudini restituitur.

Thomas Dazzani, senex octogenarius, et iam a medicis conclamata, fatetur se ob gravem pectoris oppressionem vix loqui valere; at, suo pectori Dei Famuli imagine superimposita, illico consanatum fuisse.

Rev. D. Angelus Cappucci, tifoidoea febri affectus ac deinceps pneumonite aliisque morbis vexatus, quos medici inculpabiles iudicarunt, Servi Dei auxilio e mortis limine sanitari restituitur.

Acta pariter commemorant quemdam virum lethali morbo correptum, atque extremis christianae religionis praesidiis munitum, vires recuperasse statim ac uxor subuculam a Servo Dei adhibitam eius corpori apposuit.

Item quaedam Aloysia Zani, ut ipse Parochus in Processu testatus est, endomasi laborans et iam morti proxima, post Dei Famuli invocationem, praeter omnium expectationem, ab infirmitate liberatur.

Praeter istas aliae plures in Actis describuntur sanationes.

De fama sanctitatis post obitum. Mirabilia quae hucusque recensuimus prodigia, plurimum contulerunt, ut Bartholomaei nomen ob eximias virtutes etiam post obitum illustrium evaderet, et nova quotidie amplitudinis et firmitatis incrementa adipiscentur. Siquidem viri nobiles, docti, prudentes atque dignitate etiam conspicui una cum fidelium plebe, unum idemque sentiunt de vitae sanctitate, qua Dei Famulus enituit: imo plurimi extant qui eum venerabilis vel sancti vel apostoli titulo compellant.

Hanc sanctimoniae famam Testes omnes unanimiter commemorant; hanc tudertinus, numiensis, caesenates, perusinus, asculanus, spoletanus Episcopi in suis litteris et edictis sollemniter editis, simul aede Famuli Dei obitu certiores facti sunt; hanc omnium studium petendi reliquias et imagines defuncti apostolici Viri, quae ad aegrotos etiam in praesens feruntur; hanc famam ad funus frequentia, concursus ad sepulchrum, neque non invocatio Bartholomaei nominis atque exhortationes ad eius patrocinium in necessitatibus implorandum, luculentissime demonstrant; hanc demum quamplurimae testantur postulatoriae Epistolae, quae a sex Italiae nostrae Archiepiscopis, a decem et quatuor Episcopis, neque non a plurimis religiosorum ordinum PP. Generalibus, a perinsignibus Capitulis, a Collegiis nobilissimis, a multis Asceteriis, ab ordine partitio et saniori parte bononiensis civitatis, ad SS. D. N. Leonem PP. XIII. datae sunt, ut huius caussae Introductionem concedere dignetur. Porro advertendum est ex huiusmodi Postulatoriis Litteris perspicue apparere sollemne testimonium, quod de Servi Dei sanctitatis fama passim redditur atque declaratur.

Neque Servi Dei sanctitatis fama annorum lapsu vel temporum iniuria aliquam passa fuit imminutionem, sed late undique augetur quotidie; Emus vero Card. Lucidus Maria Parocchi, quem honoris ergo nomino, olim bononiensis Archiepiscopus, modo vero caussae huiusce Ponens, in suis postulatoriis Litteris ita scripsit: « Famam de eius, *nempe BaHholomei Dal Monte,* sanctitate, post saeculum et amplius virentem, prope audii....

Porro etiam nuperrime aliquot prodigia, prouti publicus fert rumor, Bartholomaei Dal Monte intercessione impetrata, et quorum ipsemet veritatem comperire videor, Viridiorem excitaverint felsineae plebis expectationem, flduciamque in dies adauxerint etc. ».

Qua de re, **quum** in hac iudicii sede praecipua quaestio circa sanctitatis famam versetur, quae in praesenti caussa haud inanibus vulgi **Tumoribus,** sed heroicis virtutibus, supernaturalibus donis et miraculis innititur, imo constans semper permansit lateque pervagata **fuit;** merito cum Panvinio concludam, eiusmodi famam maxime attendendam esse; « quia etiam post mortem ad haec **usque** tempora perseveravit: unde a Spiritu Sancto dici debet processisse. Nam quae non sunt ab eo non durant » *Relat. Causae s. Bonaventurae part. 2 art. 10.*

Quum ita haec **sint,** certum nobis ac persuasum est sacrum hunc Ordinem proposito dubio *super Commissionis signatura Affirmatwe* responsurum.

Disceptatio Synoplica.

ANIMADVERSIONES

R P D. PROMOTORIS FIDEI

Decimus post centesimum decurrit annus, ex quo Bartholomaeus Maria Dal Monte mortem oppetiit. Is Leonardi a Portu Mauritio, Pauli a Cruce, ac Francisci Mariae Imperiali familiaritate usus, atque exempla imitatus, sacris expeditionibus Italiam perlustravit ab anno 1750 ad 1778, qui eius laborum ac vitae postremus fuit. Verumtamen hoc latum inter illos et hunc discrimen intercedit; quod cum, illis demortuis, ordinariae Inquisitiones de eorumdem vita, virtutibus ac miraculis statim coeptae fuerunt, in re nostra Processus ad nonagesimum sextum annum ditatus fuit. Quapropter Petrus Franchi auctor Commentarii vitae Bartholomaei armo 1845 Bononiae editi mirabundus de hoc sit.

Hinc puto praecipuam oriri Causae praesentis difficultatem. Incuria enim eiusmodi validissimum suppeditat dubitandi argumentum, *ne temere iudicium instituatur.* Quam ob rem iuris nostri peritissimus Benedictus XIV prudenter admonet Causa-

rum Postulatores, ne prius hanc praeliminarem disquisitionem suscipiant, quam idoneis praesidiis Causam instructam fore compererint, Lib. II. Cap. XXXVI. n. 13. Quippe, uti Ven. Bellarminus animadvertebat in suffragio pro Canonizatione S. Franciscae Romanae, ad sanctimoniam demostrandam satis non est, ut Canonizandi « *coram Deo sancti sint; sed oportet, ut eertissimis documentis probetur, eos, dum viverent vere sanctitatis gloria aliis praeluxisse, et in eadem sanctitate diem extremum clausisse, et demum post mortem carnis, animas eorum ad aeternam beatitudinem pervenisse* » Benedictus XIV. Lib. III. Cap. XXXVIII, n. 1. Id in praesenti Causa vix fieri posse, luculenter perspectum erit, ipsam probationum indolem intimius expendendo. Sit itaque.

CAPUT PRIMUM

De probationibus. Aetate qua Lambertinius Opus de Canonizatione edidit, nullae fere suscipiebantur Causae, in quibus deficerent de visu testes: quippe illud in Sacra Congregatione obtinebat principium: « *in Causis procedentibus per viam non cultus, virtutes probari debent per testes de visu* » lib. III. cap. III. n. 6. Quae deficientia testium, peremptoriae instar exceptionis, in ipso iudicii limine afferenda erat « *Si enim Signatura Commissionis,* ita loc. cit. n. 17, *viam aperit ulteriori inquisitioni, auctoritate Apostolica faciendae, insuperabile obstativum nedum erit illud quod obstat excellentiae et fulgori (ut consueto verbo utamur) RELEVANTIAE virtutum, sed etiam illud quod obstat earum probationi. In quo proinde rerum themate, sibi iterum vindicat locum id quod in superioribus dictum est: scilicet aut Commissionem non debuisse signari, aut signatam prodesse posse Postulatoribus contendentibus satis esse in ea et similibus Causis probationem desumptam ex testibus de auditu ab iis, qui viderunt una cum historicis, et scriptoribus aetatis eiusdem* » ibi n. 17.

Quae cum ita se haberent, vix ad Summum Pontificatum evectus Benedictus XIV, « *ad ambages quascumque certa, et clara lege desuper tollendas* », decretum generale edidit die 23 Aprilis anni 1741; in quo primum, pro Causis procedentibus *per viam cultus sive a Sede Apostolica indulti, sive per tempus immemorabile delati,* virtutum aut Martyrii probationem

admisit, quam vocant « *subsidiar iam,* » *confiatam ex testibus quidem tantum de auditu quandoque a videntibus quandoque non, sed variis tamen roboratam adminiculis, ad faciendam viro prudenti ac de re gravi iudicatur o auctoritatem et fidem idoneis»* Tum, rei nostrae propius accedens, subdit: « *Ex quadam etiam aequitate . . . possit eadem subsidiaria probatio admitti, et in Causis simplicium Dei Servorum per viam non cultus incedentibus : quando tamen,* notentur verba, *non constiterit primos Auctoritate ordinaria Processus fuisse dolo, malo, aut culpabili negligentia tamdiu dilatos, donec testes de visu nulli superessent* ». Ne vero aliquibus Causis antiquioribus in quibus signata Commissio iam fuerat, praeiudicium inferre videretur, illico adiungit » *et quando, etiam comperto eiusmodi testium defectu, Sacrae tamen Congregationis consilio signato. Causae fuerit Commissio, et Litterae Remissoriales ad processus auctoritate Apostolica faciendos expeditae, nulla eum spe testium de visu in ipsis audiendorum* » ibid. n. 25.

Comparata itaque simul severiore disciplina, quae Lambertini tempore in S. Congregatione obtinebat, cum iis quae ad aequiorem ac planiorem Causarum cursum ipse Pontifex factus constituit, haec aperte descendunt. Primum: attestationes oculatorum testium a Sacra Rituum Congregatione adhuc maxime in hisce Causis desiderari ; secundum, iis deficientibus, *ex quadam aequitate* Benedictino decreto potissimum inducta, admitti posse *probationes subsidiarias,* per testes nempe de auditu, ac documenta authentica, *in suo tamen, ut aiunt, genere perfectas;* loc. cit. n. 24. Nihilominus in ipso disquisitionis limine, cum petitur signanda Commissio, docendum esse tum de hac idoneitate *in suo genere* probationum, tum de absentia cuiuslibet culpabilis negligentiae, ob quam dilata fuerit Processuum confectio, donec omnes de visu testes defecerint. Iam ergo quaeram: abfuit ne quaelibet omnino negligentia? eae quae modo afferuntur probationes deficientibus de visu testibus, dici ne possunt in suo genere perfectae?

Omnem porro abfuisse negligentiam difficile admodum erit ostendere, ne prorsus dicam impossibile, post ea quae ait Auctor Biographiae Servi Dei. Si enim in Causis Leonardi a Portu Mauritio, Pauli a Cruce, atque ipsius Francisci Mariae Imperiali tanta diligentia enituit, undenam tanta repetenda incuria ac desidia sociorum Bartholomaei nostri, qui id ipsum neglexerunt?

Certe non abest in re nostra suspicio ne ideo Processus fuerint neglecti, quia qui Bartholomaeum noverant, utut piissimum ac multa commendatione dignum habuerint, non tamen eo usque eius virtutes pertigisse crediderint, ut de Sancto in Ecclesia colendo agi posset. Dices vanis nos coniectationibus indulgere? Atqui ad Postulatores Causae pertinet negligentiae notam abstergeré, quam ipsa dilatio tam diuturna non immerito praesumere facit.

Demus tamen, hanc desidiae vel negligentiae notam Causae Postulatores ab se declinare posse. Non adhuc res in vado erit. Nam ulterius in praeliminari hoc nostro iudicio inquirere oportet: num *in suo genere* perfecta sit haec subsidiaria probatio. Porro Ordinarius Processus, licet quoad formam nihil pene desiderandum relinquat, cum tamen post sex ac nonaginta annos a morte S. D. fuerit exaratus, nonnisi paucas ieiunasque continet testium de auditu testificationes, ex quibus vix est quod excerpi utiliter potuerit ad Causae instructum. Accedunt plura documenta extraiudicialia, alia iam typis edita, alia a privatis exarata, alia demum uti epistolae vel dumtaxat subscripta, vel nulla munita subscriptione, ac plures etiam litterae, quae in obitu Servi Dei scriptae fuerunt. Huiusmodi attestationibus, deficiente legitima per testes probatione, Causae Patronus cogitur primas deferre, et in iisdem praecipuum ponere probationum praesidium.

Sed enim perperam: cum pei- notissimum Decretum sa. me. innocentii Papae XI cautum sit, ne in Processum extraiudicialia documenta inserantur, inserta vero nullam faciant probationem, et ex Processus ipsius actis demantur.

Cui decreto haec Benedictus XIV immediate subtexit « *Itaque de more Sacrae Congregationis est, ut, si in aliquem processum inserta e reperiantur attestationes extraiudiciales, approbetur quidem caiiditas processus, si legitima fundamenta ad id concurrant, sed clausula addatur « DEMPTIS ATTESTATIONIBUS EXTRAIUDICIALIUM* ». Benedict. XIV. Lib. II. Cap. XL1X. n. 21,

Ipse vero Benedictus XIV, extraiudicialia documenta quod attinet, Innocentii XI Decretum clarissime approbat in Capite X. lib. III. n. 13. Et ita quidem obtinet adhuc sacro in hoc Foro; quapropter, cum in Causa. V. S. D. Ioannis Eudes ageretur de validitate et relevantia Processus apostolici super eius fama

sanctitatis, S. Rituum Congregatio proposito dubio affirmative quidem rescripsit, clausula tamen addita : *demptis attestationibus, extraiudieialibus, nempe epistolis a teste I et IV exhibitis - die 8 Maii 1881.*

Ceterum horum documentorum infirmitas ex ipso peritorum iudicio demonstratur. Hi enim aiunt: documenta signata etc. *eredita fuerunt* pertinere etc.

Non haec ratio est, qua peritia character um peragi debeat. Ad hanc enim requiritur, post accuratum scriptorum examen, ut declarent Periti « se *iuxta artis peritiam credere scripturam esse huius aut illius Auctoris, et conscriptam fuisse hoc aut illo tempore, reddita ratione cur ita dicant et ita sentiant* » Lib. II. cap. LII. n. 3. Si vero ad comparationem characterum deveniri oporteat, praeter cetera, exigunt iura « *ut scriptura, ad quam fit comparatio, sit omnino certa* ». Ibid. n. 5. Quae cum omnia neglecta fuerint, merito dubitare possumus, an ilia documenta revera auctores habuerint viros, qui ea exarasse creduntur, quique spectatissimi viri a Peritis habentur. Accedit, quod periti isti Aloisius Della Rovere et Franciscus Canonicus Manaresi illud munus susceperint, quin ullum praestiterint iuramentum, cum in iure cautum sit, ut hi semel iterumque iurare debeant sub nullitatis poena; loc. cit.

Inter documenta a Postulatoribus exhibita est Servi Dei vitae Commentarium iam memoratum, a Petro Franchi Sacerdote Bononiensi in lucem editum anno 1845: cui Commentario referuntur prolixiores illae laciniae, quae in Summario extant. Non abnuo antiquis in Causis historica documenta ad probandum recipi solere. At in re praesenti agitur de Vita a privato scriptore exarata et recenter typis edita, cui quanta vis ac auctoritas tribui debeat, accipe ex Benedicto XIV: « *Quoad vitam ergo recenter editam, dicendum est, eam haud sufficientem esse ad constituendam legitimam originem famae pro eo, de quo agitur, fine, secus ac antiqua ab aliquo probato auctore typis edita. Quocirca bon. mem. Prosper Bottinius fidei Promotor inquit in suis animadversionibus factis in causa Valentina Servi Dei Ioannnis de Ribera super fama sanctitatis in genere.* « Hic autem non est modus iuridicus probandi famam, dum tota ratio radicatur et consistit in auctoritate Scriptoris vitae, quae non potest esse multi ponderis, quando historia non est antiquissima. « *Ideoque de his historiis, licet sint ab Ordinariis revisae ad-*

hibito Theologorum consilio, easque Sedes Apostolica edi permiserit, sine qua permissione typis imprimi non possunt; decreta generalia Urbani VIII *statuunt, nullum in ordine ad Beatificationem gradum maioris probationis constituere, quam sine tali approbatione constituissent, non obstante quocumque temporis cursu* ». Lib. IL cap. XL. n. 8.

Hinc puto factum esse, ut licet in praefatione operis, Auctor declaret, mirari se adhuc, neminem cogitasse posteritati consignare gesta Servi Dei; nihilominus opus exhibuit exaggerationibus refertum, quae passim in legentis oculos incidunt. Quo etiam exaggerationis vitio peccat quam maxime panegyrica funebris oratio, quae in Servi Dei parentalibus dicta fuit, quaeque plus aequo eius laudes persequitur, ac fere tota in Summario relata est ad probationum defectum supplendum.

Sepositis itaque huiusmodi documentis, videamus an quidquam ad rem valeant testium dicta, quae Processus tabulis tradita sunt. Nec pauci quidem testes, scilicet quatuor et quadraginta, in catalogo recensentur. At non modo nemo de visu inter eos reperiri potuit, sed omnes propemodum sunt de auditu auditus; qui utinam saltem ita suum explevissent officium, ut ex illorum dictis perfecta *in suo genere* probatio exurgeret! At e contrario paucae nimis et perquam laconicae sunt rerum notitiae, quae a testibus colliguntur, nedum de heroicis virtutibus, sed etiam de ipsa simplici fama sanctitatis; neque immo inter eos desunt, qui, non ad vigentem traditionem appellant, sed potius pro suae scientiae causa iam memoratum adducunt vitae Commentarium.

Paucissimi quoque illi testes, qui uti de auditu a videntibus in Summario traducuntur, in referenda propriae scientiae causa coniecturis indulgent.

Nec desunt qui impuberes erant, cum loqui audiverant de Dei Famulo, ac nihil memoria retinere valuerant. Animadverto, ait testis 16, avam meam obiisse quum ego decem haberem annos; hinc bonam conservare nequeo memoriam de his quae illa dicebat. Iamvero si quae hucusque animadverti, satis indicant in ipso Causae limine haud sufficientes ac solidas adductas esse probationes, quae famam adstruant, sperare ne licebit, ut laetioribus inde auspiciis in ceteris iudicii stadiis Causa ipsa proponatur, ubi non generica sanctitatis demonstratio, sed specificae omnino probationes postulantur? Nonne *insuperabile obstatioum* deficientia ista constituet?

CAPUT SECUNDUM

De **fama** sanctitatis. Fama sanctitatis ex Benedicto XIV, « *nihil aliud est quam existimatio, seu communis opinio de puritate vitae, et de virtutibus non utcumque, sed per continuâtes actus, data occasione, exercitos supra communem operandi modum aliorum proborum virorum aut mulierum ab aliquo Servo vel Serva Dei, iam defunctis, nee non de miraculis eorum intercessione a Deo patratis: ita ut concepta in uno vel pluribus locis erga eos devotione, a plerisque in suis necessitatibus invocentur, et plurium graviorum virorum iudicio digni existimentur ut per Sedem Apostolicam referantur in Album Sanctorum vel Beatorum* » Lib. II. cap. XXXIX. n. 7. Sed enim ex allatis testimoniis satis ne liquet opinio eiusmodi, quae innixa sit continuis et quidem heroicis virtutum actibus? Volve sis parumper Summarium, atque ibi nihil aliud perspicies nisi perbreves testium propositiones, quas Patronus velut apis argumentosa ex industria collegit, atque unam eamdemque testis responsionem ad diversos virtutum actus pertraxit. Testes generatim depraedicant Servi Dei zelum in sacris obeundis missionibus? hoc argumento fidei actus demonstrantur eodemque in Deum et proximum charitas.

Item duo tantum testes innuunt S. D. spem. Si vero de virtutibus cardinalibus quaesiveris, in titulo de prudentia nullum testis verbum reperis, sed solum praesto sunt quaedam laciniae ex Commentario praesertim depromptae. Ad iustitiam adstruendam testes dumtaxat referunt ipsum Dei et Ecclesiae praecepta diligenter servasse. In titulo de fortitudine redit Missionum zelus atque in titulo de temperantia id simpliciter innuit testis V : praesertim mihi loquebantur de eius nulla cura quoad temporalia : et VI: audivi eum esse virum magnae orationis et mortificationis. Nec absimiles sunt ceterorum testificationes.

Ad quid *specificos,* uti vocant, virtutum actus ab iis quaerimus, qui etiam ignorant, nec ab aliis audiverant, num Bartholomaeus Dei et Ecclesiae praecepta custodiverit? Atqui prope omnes id vel coniiciunt, vel supponunt. Et ceteri etiam testes ab eius zelo deducunt horum praeceptorum observantiam, et sese appellant ad testificationes iam latas.

Item si roges testes: num Dei Servus christianas virtutes excoluerit? vel id ignorant: uti I. et III: vel tantum id supponunt;

vel ut testis IV: vel denique ad vitae Commentarium confugiunt, ut VI testis. Similia tradunt testis IX, XII, XIII, XIV, XV. Ceteri protestantur se nihil peculiare hac de re posse adiicere. Quid quod ipse historicus Petrus Franchi suo in opere non dubitavit asserere probationum deficientiam quod singulos attinet virtutum actus? Quocirca quum adeo rerum ignari essent testes, non aliae expectandae erant responsiones, quam istae.

Ex Benedicti XIV doctrina, ac perpetua S. R. C. praxi ad signandam Commissionem, praeter virtutum famam, communis etiam requiritur existimatio de miraculis Servi Dei intercessione patratis. At de fama hac testes se nihil scire profitentur.

Deinde Vindex innuit sanationes Angeli Cappucci, Thomae Dazzani, sacerdotis Petronii Nanni, comitis Iacobi Torli, aliorumque minime peractas fuisse opera Servi Dei Bartholomaei Dal Monte.

Relate ad supernaturalia dona, quibus Bartholomaeus ditatus fuerit, factum quod in Summario Dei Famulo tribuitur, controvertitur num ipsi, vel potius s. Leonardo a Portu Mauritio debeat adscribi. Scilicet putatur Dei Servus in concione, quam medio in agro habuit, dixisse peccatorum animas in infernum prolabi, veluti arboris folia, quam ipse indigitavit, et statim ceciderunt.

Denique de Servi Dei obitu, si excipias aliquem ex testibus qui diem, annum et locum indicat, quo Bartholomaeus noster decessit, nihil ab iisdem deprehendis quod demonstret pretiosam coram Deo mortem eum occubuisse. Quae difficultas haud parvi facienda est, quum Benedictus XIV scribat « *in causis Beatificationis et Canonizationis magnum constituendum esse momentum in obitu Servorum Dei, et omnia esse diligenter ponderanda, quae in eo rerum eventu contigerunt* » Lib. III. cap. XXXVIII n. 15. Idem praescribitur in generalibus Urbani VIII decretis. « *In processibus faciendis illud maxime et praecipue observandum est, ut videatur exitus vitae illius, qui petitur canonizará quoniam, cum, ut dici solet, exitus [acta probet, si finis vitae illustris sit, et sanctimonia plenus, et publica praesertim testificatione notatus, argumentum erit, quod actiones anteactae poterunt esse sanctae: et ideo in formandis articulis videndum est, qualis Juerit vitae exitus, et qualibus circumstantiis sanctitatis sit munitus: nam in hoc articulo magnum causae pondus consistit* » Ibid. n. 3.

Quum itaque ex allatis testium depositionibus haud satis valida exurgat virtutum et miraculorum demonstratio, nec pateat Dei Famuli actiones *communem operandi modum aliorum proborum virorum* excessisse ; quibusnam ducti rationibus diiudicabimus sanctitatis famam, si qua viguit, *ex probabilibus causis* exortam esse? Hinc quidquid de ea testes enarrant a vago non differt vulgi rumore, quem a sanctitatis fama omnino differre scribit saepe laudatus Pontifex Lib. II. cap. XXXIX n. 8, 9.

Haec insuper fama non universalis, non longe lateque diffusa fuit, nec *apud maiorem ac saniorem populi partem* viguit, sed apud paucos tantum, Quin imo nonnulli id prorsus inficiantur. Et adeo quidem, ut plerique testes ipsum Servi Dei sepulchri locum ignorent, nunquam eo accesserint, nec sciant num alii illuc confluant. Quos inter certe mireris testem 34, licet canonicum Ecclesiae s. Petronii, ubi Servi Dei corpus conditur, de se assserere: nunquam invisisse eius sepulchrum neminem, et conspexisse id facere. Atqui hac de re scribit Benedictus XIV: *« Testari possum, dum fungebar munere Fidei promotoris, non modicum illatum fuisse causae Beatificationis cuiusdam Servi Dei praeiudicium, eo quia non adfuerat, vel, siquidem adfuerat, iam cessaverat concursus populi ad eius sepulchrum* » Lib. II. cap. XXXIX n. 10.

Eapropter verendum ne absque exaggeratione, ne dicam potius absque aperta veritatis laesione, in formula Commissionis asseri valeat « *concepta in diversis mundi partibus erga hunc Dei Famulum devotione, a plerisque in eorum necessitatibus invocari, ac plurimorum etiam gravium virorum existimatione Beatificationis et Canonizationis honore dignum reputari».* Nam adeo remissa fidelium opinio clare ostendit, Bartholomaeum Mariam Dal Monte non illa sanctimoniae laude floruisse, quam heroicarum virtutum praestantia gignere solet. Ubi est igitur fama sanctitatis, ubi virtutum, ut dicitur, *fumus quem saltem* in hac iudicii sede necesse est concludenter ostendere?

CAPUT TERTIUM

De obstaculis. Mirum non est, plura afferri non posse, quae veram obstaculi rationem habeant, cum scripta quae de Servo Dei supersunt, omnia ad eiusdem laudem et commendationem pertineant. Aliqua dumtaxat emergunt ex nonnullis seri-

ptorum ipsius Bartholomaei laciniis, quae innuunt ipsum de se non modicam sui existimationem fovisse.

Sed prae ceteris redarguenda videtur S. D. animi pervicacitas, quam ostendit quum illi a Cardinali Vincentio Malvezzi Archiepiscopo bononiensi Seminarii bononiensis rectoris munus oblatum est.

Tandem aliquando cessit ipse Archiepiscopi voluntati ; sed reapse nunquam eiusmodi officium exercuit: quum vere munere hoc fungeretur Vices gerens et tandem quum Romae esset supplicem dedit libellum ad Emum. Archiepiscopum Bononiae, quo exorabat ut ab. hoc officio levaretur.

Ceterum, si in Causa necessariae desunt probationes, si desunt argumenta, e quibus de fama sanctitatis generica saltem exurgat demonstratio, quaenam erit probabilis ratio de Causae huiusce felici exitu? Pauca reperire datum est obstacula. Atqui obvium est deesse obstacula in Causa, in qua notitiae penitus ferme desunt. Verumtamen ex Benedicto XIV novimus « *insuperabile obstativum nedum erit illud quod obstat excellentiae et fulgori relevantiae virtutum, sed etiam illud, quod obstat earum probationi».*

RESPONSIO

AD ANIMADVERSIONES

R. P. D. PROMOTORIS FIDEI

A temporis adiunctis Fidei Vindex animadversionum suarum ducit exordium. Exinde nimirum causae nostrae praeiudicium inferri posse arbitratur, quod post nimis diuturnum tempus ab obitu Bartholomaei Mariae *Dal Monte* ordinariae inquisitiones de eius vita, virtutibus ac miraculis institutae sint. Quod argumentum ut nova vi roboret atque confirmet, comparatione utitur, illudque revocat in memoriam, quam brevi nempe annorum spatio eaedem inquisitiones coeptae ac confectae sint, cum de causa actum est Leonardi a Portu Mauritio, Pauli a Cruce ac Francisci Mariae Imperiali, quorum familiaritate Bartholomaeum *Dal Monte* usum esse atque exempla fuisse imitatum Fidei Promotor minime diffitetur.

Quid vero difficultatis contra causam nostram in opposita animadversione inveniri potest? Haud una tantum vice, teste plurimarum Beatificationum et Canonizationum ecclesiastica historia, factum est ut processus ordinarii de vita, virtutibus ac miraculis sanctissimorum virorum post longissimum annorum fluxum, ac multo quidem longiorem quam in praesenti casu, exararentur. Immo sapientissimo Dei consilio sancitum est, ut saepenumero quorumdam vel illustriorum Servorum Dei sanctitatis gloria coram hominibus retardaretur, ut illam divina Bonitas pro temporum adiunctis ac morum opportunitate, fulgentiori quodammodo luce circumfusam, christiano populo ad exemplum proponeret.

Verum ne in hisce solummodo commoremur; in re nostra praesto causae sunt, cur acciderit ut ad nonagesimum usque annum ordinarius processus differretur. Et re quidem vera, aetas ad inquirendum maxime apta de vita, virtutibus et miraculis Bartholomaei *Dat Monte* obnoxia fuit formidolosis illis temporum vicissitudinibus, quibus Ecclesia Christi, passim in Europae regionibus, nominatim vero in Gallia atque in Italia, tantopere afflicta fuit ipsaque civilis societas a fundamentis penitus concuti atque fere subverti visa est. Quarum vicissitudinum partem, non exiguam quidem, eamque luctuosissimam, archidioecesis Bononiensis perpessa fuit. Vix enim octavus post decimum annus a morte Bartholomaei *Dat Monte* Auxerat, cum repente Gallorum exercitus pontificiae ditionis provincias armis atque vi occupabat, in primis vero Bononiae potiebatur. Quae tunc ibi vexationes coeptae, quae patratae iniuriae, quanta vis adhibita, ut Christi religio ad internecionem, si fieri posset, vocaretur, omittetur enarrare. Illud unum commemorano: quod, magis magisque novorum dominatorum odio contra Romanum Pontificem exardescente, eo deventum est ut contra Bononiensem quoque clerum, huius perpetui criminis sontem quod summo in terris Christi Vicario voce et factis fidissimum sese profiteretur, novae ac saevissimae leges, novum saevissimumque bellum indicerentur. Quo tempore videre fuit gallicos milites, rabidissimo furore inflammatos, rapinam atque sacrilegium exspirantes, hac illae diu noctuque cursitare, templa religiosasque domos invadere, altaria depraedari, paroecias bonis suis expoliare, reliquum ecclesiasticum patrimonium rapere profanosque in usus convertere, sacerdotes ubicumque conquirere, suis e sedibus

exturbare, exagitare, eorum partim in carcerem abripere, partim in exilium compellere, omnes vi atque minis terrefacere. Haec inter moriebatur Cardinalis Archiepiscopus Giovannetti, quique ipsi, saeculo hoc XIX ineunte, regendae Bononiensi archidioecesi suffectus est, Cardinalis Oppizzoni, adeo pro Christi causa efferatorum hostium contra se iras excitavit, ut in vincula primum coniectus, mox exilii poena mulctatus, diu a commisso sibi grege atque ab Ecclesia carissima abesse cogeretur.

Quae omnia ita se habuere usque ad decurrentis saeculi annum XV. Ecquinam igitur tam aerumnosis temporum adiunctis licuisset non dicam manum, sed vel mentem apponere in moribus, virtutibus, miraculisque Bartholomaei *Dal Monte* investigandis, investigatisque apte ordinandis, ordinatisque rite probandis, probatisque legitima auctoritate communiendis ?

Post annum 1815 compositis civilibus motis et terrore hostilis dominationis depulso, Ecclesia in Italia aliquantulum respirare videbatur. At vero pacem illi non esse datam, sed tantummodo breves inducias belli concessas nemo est qui ignoret, Porro, ut cetera omittantur quae proximo evenerunt anno 1831 quaeque anno 1848-49 quaeque demum acciderunt anno 1859 cum maxima provinciarum pars, quas inter Bononiensis, Romano Pontifici per summum nefas abrepta fuit; ea satis superque demonstrant, nec impiorum hominum contra Ecclesiam studia ab incepto destitisse, nec coniuratarum sectarum conatus in irrritum cecidisse. Iamvero neque his temporibus, aut tam tumultuosis aut certe tam minarum plenis, opus factu facile erat desideratum Bartholomaei nostri processum capessere. Etenim praeterquam quod rerum publicarum eversiones et pericula, in dies magis magisque succrescentia, ab illo opere animum avocabant, maiora quidem et magis instantia pro animarum salute negotia ecclesiasticae potestatis sollicitudinem viresque totas sibi vindicabant. Neque illud obliterandum; nimirum inter ampliores Italiae dioeceses unam ex amplissimis Bononiensem archidioecesim dicendam esse, utpote quae quatuorcentis paroeciis constat, et plusquam quatuorcenta millia hominum sibi habet concredita.

At non heic finis Ecclesiae Bononiensis calamitatibus. Ibi •enim post Cardinalis Oppizzoni obitum nonnullis annis archiepiscopalis sedes vacavit. Illam vero vix conscendisse dici potest Cardinalem Viale Prelà, cum dies illa tristissima duodecima

Iunii anni 1859 advenit, qua, seditione contra Romanum Pontificem conflata, eius regalia insignia a perduellibus civibus deiecta sunt et Bononiae totiusque provinciae imperium subalpino invasori, contra omnia humana divinaque iura, oblatum atque demandatum est. Haud multo post, anno scilicet millesimo octingentesimo sexagesimo, Cardinalis Viale Prelà, qui piam Missionum Operam a Bartholomaeo institutam summopere adamaverat, magis animi dolore quam corporis morbo perculsus diem obivit supremum. Interea contra Christi religionem bello recrudescente, demortui Archiepiscopi Vicarius reverendissimus Ratta, pientissimus ac fortissimus vir et postea Episcopus titularis Thermarum, carcere detinebatur. Nec remissius cum reverendissimo Vicario capitulari Canzi actum est, qui strenue dimicans pro Ecclesiae iuribus, in odium inimicorum dominatorum vocatus, tres continentes annos Pallantiae in arce durissima inter vincula transegit. Quae omnia ita implexas et perdifficiles sedis illius administrandae res fecerunt, ut felicis memoriae Pius IX Pontifex Maximus a novo illuc mittendo Archiepiscopo diu sibi supersedendum iudicaverit. Tandem eminentissimo viro Cardinali Monchini obtigit, ut anno 1872 Bononiensem Ecclesiam, decem et duobus annis Pastore suo orbatam, adire posset. Ille, fama sanctitatis Bartholomaei *Dal Monte* ubique cognita, diem illuxisse persensit qua, omni seposita mora, ordinariae inquisitioni de vita, virtutibus, miraculisque tanti Famuli Dei manus admoveretur. Cardinali igitur Monchini auspice, optatissimus ille processus inchoatus fuit, qui a clarissimo atque eminentissimo eius successore, Cardinali Parocchi, ad finem perductus ac feliciter absolutus est.

Age vero: historica fidelitate narravimus causas, quibus factum est, ut ad sextum et nonagesimum usque annum ab obitu Bartholomaei *Dal Monte* eius processus ordinarius dilatus fuerit.

Frustra igitur ad celeri ta tem, qua aliorum famulorum Dei processus confecti sunt, appellat diligentissimus Promotor Fidei. At frustra etiam auctoritatem Petri Franchi, qui anno 1845 commentarium vitae Bartholomaei descripsit, in rem derivare conatur. Et re quidem vera: Petrus Franchi nequaquam conquestus est quod Famuli Dei processus aetate illa sua adhuc inceptus non esset, sed tantummodo miratus est eo quod res, adeo sancte gestas a Bartholomaeo *Dal Monte,* nemo adhuc po-

stentati mandandas curaverit. Quod haec, non alia significatio verbis Petri Franchi tribuenda sit, luculenter perspectum est ex integra sententia, quam clarissimus Censor ex praefatione laudati commentarii excerpit.

Placet profecto Fidei Vindici in obiectione sua diutius immorari : hinc fit ut quam prima in animadversione sub specie tantum praeiudicii causae introducendae exhibebat, illam ipsam in animadversione hac altera veram difficultatem eamque *praecipuam* in hac causa iudicet. Porro audienda sunt verba? quae Censor scribit, quaeque integrum argumentationis nexum continere videntur. « Incuria enim eiusmodi, inquit, validissimum suppeditat dubitandi argumentum *ne temere iudicium* instituatur ». Quid vero, si dicatur in re nostra, *incuriam* nullam fuisse, eamque totam sibi fìngi atque gratis asseri a diligentissime Adversario? Atqui iure nostro id dicimus, postquam paulo ante fuse historicas causas recensuimus, ob quas ordinarius processus quoad Bartholomaei sanctitatis famam et virtutum et miraculorum tam diu dilatus est. Quod si *incuriam* minime adfuisse demonstratum fuit, nonne argumentatio tota clarissimi oppositoris per se corruat necesse est, utpote quae suo ipso fundamento prorsus destituitur?

Attamen affirmat Censor ipsa probationum indole intimius expensa, perspectum esse vix fieri posse ut demonstretur Bartholomaeum *Dal Monte* et sancte vixisse et sancte obiisse et demum, post mortem carnis, animam ad aeternam beatitatem pervenisse. Nostrarum igitur partium est, sua ipsa in argumentatione adversarium quoad singula prosequi, obiectaque pro unoquoque capite, unde desumuntur, dissolvere atque diluere.

CAPUT PRIMUM

De probationibus. Opportune Benedictus XIV, in suo opere *De Servorum Dei Beatificatione* Fidei Promotores monet, ut in suis animadversionibus super signatura commissionis considerent aliud esse *introductionem,* aliud *discussionem,* aliud causae *terminum lib. II, cap. XXXVI, n. 15.* Nimirum plurimi momenti est haec distinctio, quo redit etiam illa altera, centies a Benedicto XIV declarata: aliud nempe esse probare alicuius Servi Dei *famam sanctitatis in genere,* aliud esse discutere de ipsius *virtutibus in specie.*

Hisce in memoriam revocatis, facile est videre quonam vitio potissimum laboret animadversio, quam Fidei Promotor hoc in loco nobis opponit. Scilicet illa duo, quae nuper commemorabamus distincta omnino debere esse inter se, perperam confundere atque in unum miscere videtur. Etenim ad Lambertinii auctoritatem et ipse appellans haec scribit: « Aetate qua Lambertinius opus de Canonizatione edidit, nullae fere suscipiebantur Causae, in quibus deficerent de visu testes: quippe illud in Sacra Congregatione obtinebat principium: « *in Causis procedentibus per viam non cultus, virtutes probari debent per testes de visu » Lib. III, cap. III, n. 6.* Quae deficientia testium, peremptoriae instar exceptionis, in ipso iudicii limine afferenda erat ». Atqui haec docuisse Lambertinium non de *signanda commissione,* sed de probandis *in specie* virtutibus patet ex ipso titulo capitis III, ad quod Fidei Vindex appellat. Est titulus: *De sententia Congregationis Sacrorum Rituum, et praesenti Sedis Apostolicae praxi, quoad testes de auditu in causis Beatificationis et Canonizationis SUPER EXAMINE VIRTUTUM AUT MIRACULORUM IN SPECIE.* Patet praeterea ex disertissima declaratione, quam ipse Benedictus XIV, exordii veluti, ceteris omnibus praemittit. Inquit enim: « . . . *Ita, ne confusionis oriatur occasio, statuendum in primis est hic non agi de fama virtutum, martyrii, aut miraculorum, in iudicio siquidem famae iam in praecedenti libro visum est testes admitti de auditu, et testes singulares singularitate adminiculatioa nequaquam retici, sed praesentem esse de virtutibus, martyrio, et miraculis* quaestionem *in specie» lib. III, cap. III, n. 1.* Ex quibus verbis haec tria in comperto posita sunt. Primum loqui hoc in capite Lambertinium, saltem directe de *virtutibus* in *specie,* non de iisdem in *genere,* nedum de *fama sanctitatis* Servorum Dei; deinde hanc declarationem praemisisse Lambertinium, ne *confusionis oriretur occasio;* tertio extra controversiam esse quod in *iudicio famae* sanctitatis testes de auditu admittuntur.

Quomodo vero Censor noster humanisssimus illud affirmare non dubitavit, aetate, qua Lambertinius opus de Canonizatione edidit, nullas fere suscipi causas, in quibus deficerent de visu testes, eamque deficientiam peremptoriae instar exceptionis in ipso iudicii limine afferendam esse? Utique perspicuum est in iudiciis huiusmodi testes de visu primum afferri et requiri oportere. Verum si hi omnino defuerint, posse ipsorum loco bene

probatos testes de auditu suffici, Ecclesiae praxis et scriptores in sacrorum Rituum disciplinis pertractandis peritissimi docent. Atque ipse Lambertinius non modo illa scripsit quae modo attulimus, verum etiam, priusquam summum Ecclesiae Pontificatum adipisceretur, narrat se sapientia ipsa sua ratum exploratumque habuisse, defectum testium de visu minime *peremptoriam exceptionem* esse, cur signatura commissionis causae alicui denegetur. *Lib. II, cap.* XXIV/, *n. 18.*

Haec omnia in tuto ponunt, deficientiam testium de visu ex ipsa Sacrae Rituum Congregationis praxi, quam et Benedictus XIV tradit atque confirmat, nequaquam peremptorium impedimentum esse, quominus signetur commissio de introducenda causa alicuius Servi Dei, quando eius processus longe post illius obitum confectus est. Unde iterum patet, argumentationem ab eruditissimo Censore in animadversione tertia institutam minime contra nos valere posse.

Dices vero. Quid ad verba, quae ab adversario subduntur, quaeque a *num. 17, capitis III, lib. III cit. Oper,* excripta sunt? Ea nempe ita se habent: « Si enim signatura Commissionis viam aperit ulteriori inquisitioni auctoritate Apostolica faciendae, insuperabile obstativum nedum erit illud quod obstat excellentiae et fulgori, ut consueto verbo utamur, RELEVANTIAE virtutum, sed etiam illud quod obstat earum probationi. In quo proinde rerum themate, sibi iterum vindicat locum id quod in superioribus dictum est; scilicet aut Commissionem non debuisse signari, aut signatam prodesse posse postulatoribus contendentibus satis esse in ea et similibus Causis probationem desumptam ex testibus de auditu ab iis qui viderunt una cum historicis, et scriptoribus aetatis eiusdem ». Respondemus nihil inesse difficultatis in allato testimonio Benedicti XIV; quippe illud nihil negat de quaestione, quam modo pertractamus. Cum enim iam signata esset commissio de introducenda causa ven. Servae Dei Franciscae Fremiot de Chantal, dum ageretur de eiusdem virtutibus in *specie* pro Beatificatione causae, ut mos est, adversabatur Archiepiscopus Philippensis, tum temporis Fidei Promotor. Porro dubitationem inter cetera Cómmemorabat doctissimi vir, quae a PP. Consultoribus excitata fuerat in antepraeparatoria Congregatione super virtutibus, ideo quia Fidei Promotor opposuerat deficientiam testium de visu. Quam deficientiam testium in causa de probandis virtutibus in *specie in-*

superabile obstaculum esse contendebat. Volens autem postulatorum obiectionem praecavere, ex eo moventem, quod non posset insuperabile obstaculum dici pro virtutibus *in specie* deficientia testium de visu, quando eadem deficientia pro obstaculo insuperabili habita non est in signanda commissione pro causa introducenda, Archiepiscopus Philippensis illa verba, se veriora quidem, sed minus vera adiunxerat, *nullum constituendum esse momentum in commissione signata,* non obstante defectu *testium de visu.* Huc usque Benedictus XIV historice rem narraverat. Mox vero suam exponens sententiam, sermonem laudati Promotoris Fidei improbat, neque illum evincere assumptum asserit, id statuens, signaturam commissionis semper prodesse postulatoribus in causae decursu, si iterum illa difficultas defectus testium proponatur, quae in iisdem adiunctis causae signaturam introductionis minime praepedire existimata est. Huc profecto non alio spectat conclusio illa Benedicti XIV: « In quo proinde rerum themate, sibi iterum vindicat locum id quod in superioribus dictum est; scilicet aut Commissionem non debuisse signari, aut signatam prodesse posse Postulatoribus contendentibus satis esse in ea et similibus Causis probationem desumptam ex testibus de auditu ab iis, qui viderant, una cum historicis, et scriptoribus aetatis eiusdem. » *loc. cit.*

Quorsum vero Decretum Generale Benedicti XIV datum die 23 Aprilis anni 1741? Nostri interest in primis adnotasse, decretum hoc legitimum argumentationis medium clarissimo Censori nostro minime suppeditare. Et re quidem vera: nonne controversia nostra tota est de signatura commissionis? Atqui Benedictus XIV non de signatura commissionis, sed de prosequenda discussione causae, tum quoad virtutes *in specie,* tum quoad miracula sermonem habet.

Quod quidem evincitur primo ex occasione ipsa, qua decretum datum fuit. Scilicet datum fuit decretum occasione dubii propositi in Congregatione generali Sacrorum Rituum super *virtutibus in specie* Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli. Nimirum agebatur iam de causa ipsius Beatificationis; deerant vero pro earum virtutum probatione testes de visu.

Patet insuper ex ipso decreti exordio. Id ipsum constat ex lectione integri decreti. Decretum vero quid statuat ab ipso Benedicto XIV accipere est qui eius sinthesim perspicuis verbis exhibet *loc. cit.*

Habes profecto quo spectent verba illa decreti, quibus innititur Fidei Vindex: « Ex quadam etiam aequitate . . . possit eadem subsidiaria probatio admitti, et in causis simplicium Dei Servorum per viam non cultus incedentibus; quando tamen, notentur verba, non constiterit, primos auctoritate Ordinaria Processus fuisse dolo malo, aut culpabili negligentia tamdiu dilatos, donec testes de visu nulli superessent ». Genuina et legitima interpretatio est, loqui nempe illum Pontificem hisce verbis de causa, quae procedat per viam non cultus; loqui non de *fama sanctitatis,* sed de virtutibus *in specie:* et pro his probandis, quod quidem nobis maximae utilitati esse debet, largiorem atque expeditiorem viam aperire, statuente decreto, dummodo dolus malus aut culpabilis negligentia non intercesserit, testes de auditu pro testibus de visu, iam vita functis, posse optime admitti atque approbari.

Quibus positis, rogo, nonne meridiana luce clarius est de virtutibus et miraculis *in specie,* sive causae procedant per *viam non cultus* sive per viam *cultus immemorabilis* aut *casus excepti,* agere semper atque unice Benedictinum decretum, nequaquam vero de *signanda nec ne commissione* verbum ullum facere? Atqui praesens controversia nostra haec est: *An sit signanda commissio pro eausa introducenda Servi Dei Bartholomaei Dat Monte.* Cur igitur in medium profert Censor laudatum Benedicti XIV decretum? Nonne id confusionem illam apertissime gignit, quam tantopere vitandam esse monet ipse Benedictus XiV, *initio cap. III, lib. III, Operis cit.?* confusionem, inquam, quae inde exoritur quod dubium de fama sanctitatis in *genere,* loco ponatur dubii de virtutibus et miraculis *in specie?*

Non multum quidem ad rem nobis facere videtur comparatio, quam instituit Fidei Promotor inter disciplinam, quae quoad testes de visu excipiendos nec ne Lambertinii tempore obtinebat, et illam, quam ipse Pontifex creatus constituit. Satis est animadvertere disciplinam magis veterem, utcumque eam severiorem Censor noster appellet, minime tamen certis in adiunctis a probatione iudicii testes de auditu arcendos esse censuisse, sive ageretur de signatura commissionis, sive de probandis virtutibus vel martyrio in specie.

Sed brevi responsione cetera diluamus quae adversarius adhuc opponit in sua hac quinta animadversione. Asserit quidem hoc consequens descendere ex comparatione veteris et re-

centioris disciplinae: « *attestationes ocutatorum testium* a Sacra Rituum Congregatione adhuc maxime in his causis desiderari ». Concedimus absque controversia ulla et nos, quando testes de visu adhuc inter vivos numerantur. Quum vero e vita discesserint, res amplius in integro non est, et ipsa necessitas compellit ut accipiantur testes de auditu « ne interdum scilicet contingat, sunt verba Benedicti XIV, causas, Dei atque hominum iudicio ceteroquin promoveri dignas, ex solo testium de visu quandoque non culpabili defectu, iacere omnino et perpetuo derelictas; praesertim cum, neque raro, claris de coelo signis et prodigiis auditur Deus, huiusmodi defectu non attento, amicum suum, ut superius ascendat, invitare » *Beer. eit.*

Ait etiam Fidei Promotor, huiusmodi *subsidiariam probationem ex quadam aequitate Benedictino decreto potissimum inductam esse.* Ut verum fateamur, dici non potest *inductum* illud, quod iam in praxi vigebat, et plurimis anteactae aetatis exemplis conflrmabatur. Ceterum vel Fidei Promotor subsidiariam testium ex auditu probationem dicat *inductam* ex *iustitia* vel ex *aequitate,* parum, immo nihil refert.

Illud et revocat a Benedicto XIV Censor, nempe subsidiarias per testes probationes *in suo genere,* ut aiunt, *perfectas esse oportere.*

Porro ex mente Pontificis probationes subsidiariae tales esse debent, ut iudicum suffragium ferentium aestimatione exurgat inde « veri martyrii aut virtutum heroicarum, vides loqui semper Benedictum XIV non de *signanda commissione* sed de virtutibus et martyrii in *specie,* moralis, ut aiunt, certitudo, quae non impossibile quidem sed imprudens, ipsorum pariter sententia, reddat iudicium de opposito» *Decret, eit.*

Concludit adversarius hisce verbis animadversionem suam: « Nihilominus in ipso disquisitionis limine, cum petitur signanda Commissio, docendum esse tum de hac idoneitate *in suo genere* probationum, tum de [absentia cuiuslibet culpabilis negligentiae, ob quam dilata fuerit Processuum confectio, donec omnes de visu testes defecerint. Iam ergo quaeram: abfuit ne quaelibet omnino negligentia? eae, quae modo afferuntur probationes, deficientibus de visu testibus, dici ne possunt in suo genere perfectae? » Esto quod in ipso disquisitionis limine, cum petitur signanda commissio, doceatur monendum esse tum de hac idoneitate *in suo genere* probationum, tum de absentia cu-

iusiibet culpabilis negligentiae ob quam dilata fuerit processuum confectio, donec omnes de visu testes defecerint. Atqui probavimus iam *historica* demonstratione, *culpabilem negligentiam* minime habuisse locum in Postulatoribus, ut processus ordinarius Bartholomaei *Dal Monte* appararetur. Ad *idoneitatem* vero probationum quod spectat, prouti referuntur non quidem ad virtutes et miracula *in specie* sed prouti famam sanctitatis *in genere* respiciunt, ipsa, quam aggressi sumus, obiectionum solutione, eam in tuto posituros esse, Deo iuvante, confidimus.

Quod vero in processu ordinario tamdiu ^differendo culpabilis negligentia abfuerit, iterum negat Fidei Promotor. At vero si expendimus argumenta, quibus ipse innititur, ea minime probationis vim habere posse facile patet. Et primo quidem ad Petrum Franchi quod attinet, iam diximus verba, quae mirabundus ponit in praefatione, nihil aliud continere nisi dulcem ac amicam querimoniam cur commentarium vitae Bartholomaei *Dal Monte* ante illum scripserit nemo.

Ceterum quanti facerent sanctitatem Bartholomaei qui ipsius fuerant sodales laborum, ex vita ipsa, ut alia praeteream, a Petro Franchi conscripta, apertissime demonstratur. Quod quidem iudicium sanctitatis Famuli Dei, veluti haereditatem carissimam a maioribus acceptam, sic servavit suis in traditionibus Institutum Missionariorum Piae Operae *Dal Monte,* ut illud neque temporis longitudine neque vicissitudinum varietate aut labefactari aut vel minimum concuti potuerit. Fidem de hac re faciunt duae illae pulcherrimae postulatoriae epistolae, quarum Summo Pontifici miserunt laudati Missionarii alteram anno 1882, alteram anno 1883.

Quae cum ita sint, concidit iam omni vi destituta coniectatio illa, quam loco argumenti proponit adversarius. Et re quidem vera: posteaquam in memoriam revocavimus quid senserint de Bartholomaei *Dal Monte* sanctitate qui ipsum noverant, quaeque intercesserint difficultates prohibentes quominus de apparando processu cogitaretur, quis umquam, etiam coniiciendo, aliquo iure affirmabit suspicionem in re nostra non abesse « ne ideo processus fuerint neglecti, quia qui Bartholomaeum noverant, utut piissimum ac multa commendatione dignum habuerint, non tamen eo usque eius virtutes pertigisse crediderint, ut de Sancto in Ecclesia colendo agi posset » ? Quare vanis utique coniectationibus induisisse Fidei Promotorem hac sua in animo d ver-

sione dicemus; at pace clarissimi viri id etiam affirmabimus, nullam negligentiae notam ibi inveniri posse abstergendam, ubi processus dilatio vel diuturna nullam negligentiae labem inussit.

« Demus tamen, hanc desidiae vel negligentiae notam Causae Postula tores ab se declinare posse. Non adhuc res in vado erit », ait Fidei Promotor initio huius animadversionis. Cur, quaeso? Quia eiusdem iudicio in suo genere perfecta non est subsidiaria haec probatio.

Et primo quidem, inquit ille, « Processus ordinarius.... nonnisi paucas ieiunasque continet testium de auditu testificationes ». Verum fallitur atque a rei veritate abest in hoc asserto adversarius. Profecto in tanta testium et contèstium abundantia, ita ut testes numerentur XXXV, contestes vero IX, dici ne potest quod *paucae* attestationes allatae sint pro processu ordinario? si vero in tanta testium et contestium copia non omnes quidem aeque insigne ac plenissimum testimonium reddunt, id fere semper accidit ob ipsum magnum hominum numerum, qui ad veritatem aliquam asserendam vocantur. Sunt utique in processu nostro aliis alii illustriores ac pleniores: ita tamen se mutuo nexu excipiunt atque coniungunt, ut pro re asserenda abundet plurimorum testium magnificum ac luculentissimum suffragium, omnes vero simul sumpti illam perfectam *in genere suo* dent probationem, quae pro fama sanctitatis vitae et virtutum et miraculorum Bartholomaei *Dal Monte* evincenda desiderari umquam potuisset.

Neque ullo modo video cur animadvertat Fidei Promotor documenta nostra « alia iam typis edita esse, alia a privatis exarata, alia demum vel subscripta vel nulla munita subscriptione, ac plures etiam literas, quae in obitu Servi Dei scriptae fuerunt ». Rogo enim: nonne haec omnia sunt potissimum, quae materiam compulsationis constituant? Id audi ab ipso Benedicto XIV sic ad rem scribente: « In causis Beatificationis et Canonizationis iura, quae compulsantur, ut plurimum consistunt in historiis sive editis sive manuscriptis, in operibus conscriptis ab iisdem Servis Dei etc. » *Oper. cit. lib. II, cap. III, n. 2.*

De hac animadversione nihil aliud dicendum breviter est, nisi quod perperam Fidei Promotor contra nos adduxit decretum approbatum a sa. me. Innocentio Papa XI. Et re quidem vera: decretum illud, aliud decretum Urbani VII confirmans, iubet quod *extraiudiciales attestationes non solum exquiri*

aut obtineri non valeant, sed rursus quod hactenus obtentae sive in futurum obtinendae non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in processibus, tam ordinaria quam apostolica auctoritate fabricaríais. Iamvero ad rem nostram quod spectat, nemo certe *exquisivit,* nemo *obtinuit* extraiudiciales attestationes ; nemo extraiudiciales attestationes *exquisitas* aut *obtentas* vel per se vel per alium protulit, ut iis ordinarius processus fabricaretur. Siquidem documenta omnia, quae a Postulatoribus causae iudicibus exhibita sunt, ex ipso archivio Piae Operae Missionum ab ipso Dei Famulo institutae, desumpta sunt, eaque ideo in processum ordinarium, qui, Fidei Promotore confitente, *quoad formam* nihil desiderantium relinquit, compulsata fuere, quia *extraiudicialium illegalium* documentorum notam minime praeseferebant.

Perperam etiam ab adversario verba Benedicti XIV adduntur praedictum decretum commentantis. Nam Benedictus XIV, unice ad *extraiudiciales* attestationes vel *exquisitas* vel *obtentas,* ut par erat, suum referens sermonem, illud in memoriam revocat, « *de more,* scilicet, *sacrae Congregationis esse, ut, si in aliquem processum insertae reperiantur attestationes extraiudiciales, approbetur quidem validitas processus, si legitima fundamenta ad id concurrant sed clausula addatur « demptis attestationibus extraiudicialibus ». Op. cit. lib. II, cap. XLIX, n. 21,* et optime quidem. Verum ad nos non pertinent huiusmodi verba: semper enim iure nostro negabimus processui ordinario confecto super famam sanctitatis S. D. Bartholomaei *Dal Monte extraiudiciales* attestationes, de quibus loquuntur decreta, esse insertas.

Pergit solertissimus Fidei Promotor in reiiciendis, quae compulsata fuere, documentis. Hisce autem verbis stat iterum pro ratione iudicii sui. « Ceterum horum documentorum infirmitas ex ipso peritorum iudicio demonstratur ». Porro peritorum iudicium illud fuerat quod documenta, quae a causae postulatoribus exposcebatur compulsari in processu, extracta fuerant ab Archivio Operae Missionis.

Quid vero est in allata peritorum declaratione, quod, adversarii nostri sententia documentorum infirmitatem demonstrare valeat? «Non haec, inquit, ratio est, qua peritia characterum peragi debeat. Ad hanc enim requiritur, post accuratum scriptorum examen, ut declarent Periti « *se iuxta artis peritiam*

credere scripturam esse huius aut illius auctoris, et conscriptam fuisse hoc aut illo tempore, reddita ratione cur ita dicant et ita sentiant » Lib. II, cap. LH, n. 3. Si vero ad comparationem characterum deveniri oporteat, praeter cetera, exigunt iura « *ut scriptura, ad quam fit comparatio, sit omnino certa » Ibid. n. 5.*

Atqui non recte argumentatio haec a Reverendissimo Fidei Promotore urgetur. Id vero ex ipsa Benedicti XIV auctoritate evincitur, quam ipse contra nos afferre contendit. Et re quidem vera: ipso in loco, ad quem appellat Fidei Promotor, nempe lib. II, cap. LII, num. 3, Benedictus XIV distinguit duplicem rationem, qua scripturarum compulsandarum fieri possit recognitio, quarum alteram ponit in proprie dicta *comparatione* manus ac characterum scriptoris, alteram in *testibus* adhibitis notitiam habentibus manus scriptoris alicuius. En Benedictina verba. « *Octavo,* cum contingere possit ut scripturae, quae debent *compulsari,* recognosci possint vel per comparationem, vel per testes habentes notitiam manus eius qui scripsit, in hoc etc. » Iamvero quaenam recognitionis ratio inita est a peritis nostris in documentis exhibendis pro compulsatione processus « *Dat Monte»?* Hanc alteram profecto, nimirum quae procedit per testes habentes notitiam manus eius qui scripsit. Testium vero affirmatio habentium notitiam manus eius qui scripsit evidenti traditioni consignata, nullo temporis spatio fuit interrupta, ac proinde verum constituit historicum testimonium, cui peritorum assertum iure valideque innititur.

Huc accedit quod laudata documenta testantur periti se •omnia deprompsisse ex tabulario Operae Missionum *Dal Monte.* Iamvero in foro "nostro semper obtinuit ius ut documenta ex publicis vel ex privatis tabulariis desumpta, dummodo alia non desint, quae prudens negandi vel dubitandi argumentum inducant, semper fidem faciant ad constituendum gradum probabilitatis authentiae scripturarum in processum compulsandarum. Iterum audire est hac de re disserentem Benedictum XIV: « Porro regula generalis est, ad effectum, ut scriptura *compulsanda* admitti valeat ad constituendum gradum probationis, desumi debere vel a publico archivio, vel ab archivio privato per peculiares tamen custodes custodito, et dummodo non desint adminicula, quae fidem scripturae concilient. » *Lib. et cap. cit num. 7.*

Ex dictis patet quae responsio facienda sit alteri obiectioni» parti a Fidei Promotore propositae: « Si vero ad comparationem characterum deveniri oporteat, praeter cetera, exigunt iura *ut scriptura, ad quam fit comparatio sit omnino certa.* » Iam diximus recognitionem adhibitam a peritis nostris minime processisse methodo comparationis manus et characterum scriptorum, sed potius adiumento testium legitimorum: horum autem vocem, sane non contemnendum, peritos audivisse in testimonio illo historico, adiumentis omnibus praedito ad certitudinem moralem faciendam.

Inter documenta a Postulatoribus exhibita recensetur utique iam memoratum commentarium vitae Servi Dei, a Petro Franchi in lucem editum an. 1845. Opponit Promotor verba Benedicti XIV haec asserentis: «Quoad vitam ergo recenter editam, dicendum est, eam haud sufficientem esse ad constituendam legitimam originem famae pro eo, de quo agitur', fine, secus ac antiqua ab aliquo probato auctore typis edita. » Mox et illa subdit eiusdem Benedicti XIV concludentis : « Ideoque de his historiis, licet sint ab Ordinariis revisae, adhibito Theologorum consilio, easque Sedes Apostolica edi permiserit, sine qua permissione typis imprimi non possunt, decreta generalia Urbani VIII statuunt, nullum in ordine ad Beatificationem gradum maioris probationis constituere, quam sine tali approbatione constituissent, non obstante quocumque temporis cursu. » *Lib. II, cap. XL, n. 8.*

At vero probant ne haec verba Benedicti XIV rem, quam evincere strenuus Fidei Vindex studet? Minime sane. Evidenter autem id constat ex ipso *num. 9 capitis XL,* Benedicti XIV. Nimirum post verba, quae pro causa sua adversarius ex Benedicto XIV refert, initio, ut diximus, numeri noni haec statim leguntur: « At aliter profecto dicendum esset, si vita esset conscripta ab aliquo probato licet recenti auctore; si nihil in ea reperietur quod conforme non esset adductis et comprobatis in processibus; si viri graves electi non solum opus approbassent, sed etiam id cum processibus diligenter contulissent : ecc. » Atqui haec saltem adiuncta nequaquam historico nostro desunt, viro utique probatissirno atque fide dignissimo; qui si ex processibus res in commentario enarratas non derivavit, ideo quia processus nondum erant confecti, optima tamen ante se habuit documenta, quae consuluit, in primis vero testes adhuc viventes, *de visu,* qui cum Dei Famulo vel usi sunt, vel ipsum con-

cionantem audiverunt. Quod quidem adiunctum tanti momenti est in historico nostro, ut in eo nihil supra desiderari possit ad fidem faciendam pro iis quae in suo commentario enarravit. Audiendus iterum Benedictus XIV plenius alibi de hac quaestione disputans: « Denique si historici necessariis qualitatibus polleant et concordent cum testibus de visu, eos vim habere validi adminiculi sive agatur de miraculis, sive de virtutibus, et martyrio, in causis in quibus probationes directae sunt necessariae, admittitur ab omnibus; et favet praxis Sacrae Congregationis, quae, expediendo litteras remissoriales, etiam expedire consuevit, quae ad id prosunt, ut ex archiviis et historiis monumenta et particulae ad rem facientes extrahantur, et in processu inserantur; quod utique superfluum esset, si monumenta historica vim et efficaciam saltem adminiculi habere non deberent. » *Op. cit. lib. III, cap. VIII, num. 6.* Super quibus notandum est, quod si Benedictina verba valent cum sermo est de martyrio vel de miraculis et virtutibus in specie probandis, quanto magis ea valere debent cum tantum de fama sanctitatis vitae et virtutum et miraculorum alicuius Servi Dei fit disceptatio?

Abest quam longissime a veritate qui affirmat commentarium a Petro Franchi conscriptum exaggerationibus esse plenum; quin imo maximi faciendus est liber, qui a viro aeque docto ac prudenti conscriptus, sic historiam Famuli Dei persequitur, ut numquam a veritate deflectat, numquam aliquid affirmet, quod documentis et testimoniis accuratissimis sanciri atque communiri non possit.

Quod quidem dictum volumus et de illa oratione panegyrica funebri, quae in Servi Dei parentalibus dicta est. Eiusdem orationis auctor fuit vir ille clarissimus, Abbas Preti, vir profecto et morum integritate et doctrina et auctoritate plurimum commendandus. Obstabant hae certo mentis animique dotes, ut orator mentiri vellet ac posset.

Sepositis tandem documentis, Fidei Promotor ipsos testes aggreditur, ipsorumque dicta perfectam *in suo genere* probationem minime constituere contendit. Cur? Veluti per incidens connotai primum eos non esse *de visu,* sed omnes propemodum esse de auditu auditus. At iam responsum est testes de visu exquiri nequaquam debere pro causa illa, quae decimum post centesimum annum suscipitur a morte alicuius Servi Dei, *quando*

non constiterit ut iterum Benedicti XIV verba usurpem *primos auctoritate Ordinaria Processus fuisse dolo malo, aut culpabili negligentia tamdiu culatos, donec testes de visu nulli superessent Lib. III, cap. III, num. 25.* Atqui probavimus supra, nullum dolum fuisse nullamque negligentiam in differendis processibus Bartholomaei *Dal Monte.*

Neque verum illud est, testes, qui pro causa nostra adducuntur, omnes propemodum esse de auditu auditus. Sufficit enim uno oculorum ictu cathalogum testium decurrere, ut illico pateat inter quatuor et quadraginta testes plures connumerari, eosque illustres ac clarissimos, qui de auditu simpliciter sunt. Quoad illos vero qui de auditu auditus sunt, quid prohibet quominus ii legitimi et gravissimi existimentur, quando adiunctis omnibus communiuntur ad plenam fidem faciendam? Talibus autem adiunctis communiri testes nostros etiam de auditu auditus nos iure nostro defendimus.

At vero Fidei Promotor negat talia esse testium adiuncta, ut *in suo genere* inde perfecta exsurgat probatio. Primum quia laconicae sunt rerum notitiae, quae a testibus colliguntur; deinde quia inter testes non desunt qui non ad vigentem traditionem appellant, sed potius, inquit Adversarius, pro suae scientiae causa iam memoratum adducunt vitae commentarium.

Affirmat quidem Censor lacónicas esse rerum notitias, quae a testibus colliguntur; abstinet autem a probando suo adserto. Qui vero probare posset, cum e regione habeat agmen illud consertissimum quatuor et quadraginta testium, qui non modo simul sumpti, sed etiam saepe singillatim considerati tot afferunt rerum notitias, quot in processu ordinario pro fama sanctitatis et virtutum et miraculorum in genere probanda desiderari vix potuisset?

Sed iam ad alteram obiectionis partem deveniamus, ad eam nempe, qua contenditur, testes nostros pro suae scientiae causa non ad vigentem traditionem, sed ad commentarium vitae a Petro Franchi conscriptum appellare. Porro in prima et sequentibus paginis Summarii testium cathalogus a nobis est prolatus, ibique pro unoquoque teste *causam scientiae* diligenter indicare studuimus. Videre autem illic est utrum causa scientiae testium traditio sit, an commentarium memoratum.

Probatum est profecto singulos et omnes non a commentario seda vigente traditione testimonia sua apertissime derivare;

et nihil veritati obversantur particulae illae, quas studiosissime hinc illinc in processu exquisivit adversarius.

Haud concedimus, licet hoc in loco parum referat quaestio haec, haud concedimus *paucissimos quoque illos testes esse, qui uti de auditu a videntibus in Summario traducuntur:* sunt e contra non pauci, attento potissimum maximo temporis intervallo, quod inter mortem Servi Dei et initium processus ordinarii defluxit.

Neque verum est eos, qui uti de auditu a videntibus traducuntur, in referenda propriae scientiae causa *coniecturis indulgere.* Et re quidem vera, quomodo probat Fidei assertor, testes in referenda propriae scientiae causa coniecturis induisisse ? Quia nimirum duo inter ceteros reperiuntur, quorum unus inquit: multum vixit Dominus Cavallari et ideo cognoscere debuisset Servum Dei. Atqui illud cognoscere debuisset non est coniectura quae afficiat *causam scientiae* testis: siquidem vel Dominus - Cavallari - cognoverit Bartholomaeum, vel nequaquam cognoverit, verum semper est ipsum legitimum medium traditionis fuisse testi IX, qui directe est in causa: neque quoad hoc coniectura ulla habet locum.

Pariter affirmat Fidei Vindex *coniecturis indulgere* alterum e duobus testibus, nempe testem X, quia eadem habuit verba de alia persona quae longius vixit.

« At vero non desunt, subdit adhuc Fidei Promotor, qui impuberes erant, cum loqui audiverant de Dei Famulo, ac nihil memoria retinere valuerant. » Putares fortasse, haec audiens, adversarium multis exemplis desumptis ex testimoniis allatis in processu animadversionem suam confirmare. At e contra : nullum aliud profert testimonium, nisi illud quod testis XVI exhibuit. Nonne igitur in tanta testium copia, qualis profecto habita est in processu nostro, possemus hunc unicum testem seponere, si id opus foret, absque ulla causae nostrae iactura? Sed enim nequaquam testis ille ex numero aliorum quadraginta trium testium expungendus est. Etre quidem vera: quid sibi volunt verba illa, mortua est ava mea, quum in aetatem essem decem annorum; et ideo bonam memoriam servare nequeo de his quae illa dicebat? Id tantum significant: propter tenellam pueritiae aetatem, qua erat testis, cum aviam illam suam de Servo Dei loquentem saepenumero audiebat, non omnibus rebus profecto attendebat, neque omnia memoriae mandabat, mandatave reti-

nebat. At minime negat testis se, licet tenellae aetatis, et audivisse et intellexisse et fideliter memoriae retinuisse summam, ut ita dicam, rei, quae in hoc erat reposita, ut conceptus magnae laudis sanctimoniae Bartholomaei *Dat Monte* exprimeretur.

CAPUT SECUNDUM

De fama sanctitatis. Fidei Promotor affert ex Benedicto XIV *lib. II, cap. XXXIX, num. 7 famae sanctitatis* definitionem, cui et nos libenti et reverenti animo subscribimus. Posita definitione, sic argumentatur adversarius: « Sed enim ex allatis testimoniis satisne liquet opinio eiusmodi, quae innixa sit continuis et quidem heroicis virtutum actibus? Volve sis parumper Summarium, atque ibi nihil aliud perspicies nisi perbreves testium propositiones, quas Patronus velut apis argumentosa ex industria collegit, atque unam eamdemque testis responsionem ad diversos virtutum actus pertraxit. »

Age vero: cur ex allatis testimoniis non liquet opinio illa, quae requiritur ad probandam famam sanctitatis Bartholomaei *Dal Monte?* Pace tam egregii adversarii dicam, nil comparatione hac opus erat: quisquis enim Summarium paulisper evolverit, plurimorum testium non perbreves tantum, sed longas etiam semperque ad rem sufficientes propositiones inveniet, quae opportune thesim evincunt. Neque *pertrahi* profecto dici potest alicuius testis responsio ad diversos virtutum actus, si contingat aliquando, ut eadem responsio diversos virtutum actus, sponte dicam sua, de facto demonstret. Quis vero nos iure suo culpaverit, si id aliquoties et in causa nostra accidisse deprehendatur? Nihil certe probationibus inde detrahitur, nihil argumentationis vis imminuitur.

Sed, ut haec mittamus, quid tandem incommodi in causa nostra esset, si iisdem semper testimoniis et fides et charitas Bartholomaei *Dal Monte* probaretur? Charitas explicatio germana fidei est, atque inter actus omnes externos, quibus fides manifestari potest, nobilissimus absque dubio est actus charitatis. Egregie ad rem nostram doctissimus Scacchus: « Si ergo fides sine operibus neminem salvare potest, plane constat, notam verae fidei, quae salvat hominem, expiscandam esse ex operibus bonis post baptismum: atque ex his operibus bo-

nis externis habitus fidei talis, qualis requiritur in Dei famulis canonizandis, expiscandus erit *praesertim ex operibus, quae a charitate* prodeunt, et a qua actus virtutum omnium habent, ut sint in gradu heroico. » *De not. et sig. Sanet. Sect. 7, cap. I, pag. 178.* Unde et Benedictus ipse docet: « Operibus ergo *quae ex charitate Dei et proximi prodeunt* formata fides comprobatur, iuxta illud Apostoli Iacobi in epistola cap. 2, ubi post plura concludit vers. 26: - Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est -. » *Op. cit. lib. III, cap. XXII, num. 2.*

Quae cum ita sint, altera etiam obiectionis pars dissolvitur, quam innuit Adversarius humanissimus illis verbis: « Testes generatim depraedicant Servi Dei. zelum in sacris obeundis missionibus? hoc argumento fidei actus demonstrantur. » Porro non solummodo testimoniis, quae ad zelum Servi Dei in sacris obeundis missionibus referuntur, demonstratur fides Bartholomaei *Dal Monte.* At vero, utique, ex testimoniis memoratis fides Servi Dei evincitur. Et aptissime quidem: *operibus* enim, ut iterum Benedictinis verbis utamur, *quae ex charitate Dei et proximi prodeunt, formata fides comprobatur.* Atqui opera, quae zelum animarum respiciunt, maximum sunt argumentum charitatis tum erga Deum tum erga homines.

Si duo tantum testes adducti sunt in Summario, qui de spe Servi Dei fidem faciant ore et voce, at non duo tantum testes simpliciter sunt, qui testimonium hoc perhibeant. Videre enim est plura alia testimonia, eaque clarissima, quae ab aliis testibus scripto consignata fuere. Atqui et testimonia huiusmodi et authentica recognita sunt, et legali forma in processum ab auctoritate ordinaria inserta sunt.

Ad virtutes cardinales quod attinet, notat Fidei Promotor « in titulo de prudentia nullum testis verbum reperiri, sed solum praesto esse quasdam lacinias ex Commentario praesertim depromptas. » Esto. Quid vero contra causam argui potest? Vocet utique, si placet, vocet adversarius *lacinias* documenta authentice in processum compulsata, at *laciniarum* nomine, nequaquam iisdem documentis auctoritatem illam testimonii demere poterit, quam iure merito sibi vindicant postquam in processum fuere legitime compulsata.

Sed enim, inquit Censor, « ad iustitiam adstruendam testes referunt dumtaxat ipsum Dei et Ecclesiae praecepta diligenter

servasse ». Respondeo, quod si hoc tantum adstrueretur, iam in tuto posita esset probatio nostra. Qui enim totam legem Dei praeceptaque Ecclesiae diligenter servat profecto et iustitiae integrae satifaeiat necesse est; integritas enim iustitiae in lege Dei et praeceptis Ecclesiae certo continetur. Attamen, ut pleniorem solutionem animadversioni oppositae faciamus, adversarium rogavimus dicere curnam asseruerit testes a nobis allatos retulisse solummodo Bartholomaeum *Dal Monte* Dei et Ecclesiae praecepta diligenter servasse. Nonne testes 1, 8, 11, 16, 17, 29, 30, 31, 32, 35 quibus multi alii testes consoni omnino sunt, constanter praedicant Dei Famulum, praeter legem Dei praeceptaque Ecclesiae, etiam *sui status* onera obligationesque adamussim servasse? Haec fere perpetua est formula, qua plene testimonium redditur iustitiae Servi Dei.

Ad fortitudinem quod spectat, miratur Fidei Promotor eos testes redire, qui Missionarii zelum affirmant. At vero perperam haec demiratio. Et re quidem vera non redeunt testes simpliciter ut affirment zelum Servi Dei in missionibus obeundis, sed ita loquuntur de eius zelo, ut firmitatem animi et constantiam impavidam Bartholomaei in obeundis missionibus demonstrent. Atqui ita demonstrari posse et debere heroicam fortitudinis virtutem patet ex ipsa fortitudinis definitione, quam Benedict. XIV exhibet: « Fortitudo definiri poterit habitus seu virtus firmans animum ad agendum vel patiendum ea, quae rectae rationi sunt consentanea. » *Lib. III, cap. XXIV. num. 28.* Cui doctrinae mirifice concordat Angelicus Doctor, qui in *2, 2, quaest. 123. art. L de fortitudine* stricte sumpta, et prout est virtus specialis, fuse pertractat. Porro s. Thomas postquam docuerit *fortitudinem virtutis* hominis esse, quae facit bonum hominem, et opus eius bonum reddit, docet etiam *fortitudinem* demonstrari quatenus voluntas humana non cesserit, in agendo, rebus illis difficilioribus, quae de se impedimentum eiusdem voluntatis esse possent. Qua certa ac perspicua tanti Doctoris doctrina posita, miramur quidem nos cur miretur Censor quod redierint testes loquentes de zelo Servi Dei in missionibus obeundis. Redeunt utique, ut diximus, illi testes, iique plurimi sunt, loquentes de zelo apostolici Viri, sed ita de eius zelo loquuntur, quatenus neque laboribus unquam sit defatigatus, hominum iniuriis non cesserit, ipsa debili corporis valetudine ad quietem adduci non

potuerit, temporis longitudine opus non intermiserit, difficultatibus omnibus deterritus non sit.

Quoad virtutem *temperantiae;* carpere videtur Fidei Promotor testes 5 et 6; quorum primus testimonium reddit quod Bartholomaeus commodis suis non inserviret; et alter affirmat Servum Dei fuisse hominem magnae pietatis et mortificationis. Porro quod testimonia haec id ipsum evincant, ad quod demonstrandum assumuntur, patet ex communi doctrina Doctorum, atque s. Thomae, in primis docentis voluntatem humanam a rectitudine rationis impediri posse ab aliqua re ineunda, ad quam hominis appetitus attrahatur: in victoria vero talium impedimentorum *temperantiae virtutem* sitam esse. *In 2. 2. quaest. 123. art. 1.* Iamvero victoriam talium impedimentorum retulisse habitualiter asseritur Dei Famulum : repulit enim omnes lucri occasiones etiam honestissimas, reiecitque a se mortificatione omnes carnis illecebras atque ipsa commoda vitae.

« At quid *specificos,* uti vocant, virtutum actus ab iis quaerimus, qui etiam ignorant, nec ab aliis audiverunt, num Bartholomaeus Dei et Ecclesiae praecepta custodiverit? Atqui prope omnes id vel coniiciunt vel supponunt. » Haec argumentatio est Fidei Promotoris in animadversione vigesima prima. At argumentatio haec concidit tota ob manifestissimam contradictionem, in quam incidit adversarius. Age enim: conferamus numerum hunc vigesimum primum cum numero vigesimo. Ibi queritur Censor quod testes ad adstruendam iustitiam Servi Dei *dumtaxat referunt ipsum Dei et Ecclesiae praecepta diligenter servasse.* Iamvero si Fidei Promotor fatetur in numero vigesimo testes referre Dei Famulum *diligenter servasse Dei et Ecclesiae praecepta,* quomodonam in numero immediate sequenti asserere potuit testes *ignorasse, nec ab aliis audivisse num Bartholomaeus Dei et Ecclesiae praecepta eustodiverit?*

Neque ceterum cum veritate congruit assertio illa, quod nempe testes prope omnes vel *coniiciant* vel *supponant,* cum interrogantur num Bartholomaeus Dei et Ecclesiae praecepta servaverit. Testes enim fere omnes unanimes " sunt in *certo* atque *clarissimo* testimonio reddendo de diligenti observantia Dei Ecclesiaeque praeceptorum.

Contendit Fidei Promotor neque probari posse Servum Dei virtutes exercuisse. Miraris fortasse? In praesto ipsi est argumentatio. Scilicet ex testibus, inquit, qui ad rem probandam

adducuntur, alii id *ignorant,* alii tantum id *supponunt,* alii ad commentarium Petri Franchi *confugiunt.*

At vero argumentatio haec minime evincit assertum quod humanissimus Censor demonstrare vult, utpote quae affirmationibus non veris innititur. Et sane neque supponunt, neque ignorant, neque ad Petri Franchi commentarium confugiunt testes, generatim loquendo. Nam fere omnes, quos adversarius noster pro se protulit, minime pro ipsius asserto, sed pro causa nostra faciunt. Testium enim comparanda sunt interrogatoria inter se. Iamvero si haec comparentur, illud apparebit luculentissime : fere semper usuvenire, ut, qui in uno interrogatorio minus explicite testimonium de re aliqua reddiderit, plenius et disertissime sub alia interrogatione eamdem rem affirmet.

Huc accedit quod si nonnulli testes revera inveniuntur, qui veluti dubitanter respondeant quoad virtutes exercitas a Servo Dei illud dubium nequaquam super virtutibus in genere exercitis ab eodem Servo Dei cadere dicendum est, sed super uno vel alio peculiari virtutum obiecto. Minime vero concludere quis poterit ea testimonia virtutes in genere probare non posse. Atqui Fidei Promotor postquam in animadversione 21. negaverit minime probari posse Bartholomaeum *Dal Monte* Ecclesiae praecepta custodivisse, in hac animadversione 22. et sequenti contendit probari non posse Servum Dei virtutes generatim exercuisse. Unde corruit tota ipsius argumentatio, quia extra campum progreditur, in quo illi consistendum erat.

At vero ceteri testes, inquit adversarius, « protestantur se » nihil peculiare hac de re posse adiicere ». Quinam sunt hi testes? Fidei Promotor unum tantummodo commemorat, testem 15. Iamvero ex hisce verbis, quae testis 15 in medium profert, manifestum est eumdem testem, si quid se negat certo scire, illud intelligit de peculiari aliqua virtute eiusque specificis actibus.

Neque alia responsio danda est iis quae Promotor subdit sub numero 23. animadversionum suarum. Ex eo enim quod nonnulli testes interrogatoriis responderint se nihil posse asserere ad ea, quae rogabantur, minime logicum esset concludere eos ignaros esse quoad famam sanctitatis et virtutes in genere Bartholomaei *Dal Monte.* Optima nimirum sunt eorumdem testimonia, ac talis momenti, quae prudenter refutari aut refici non valeant. At inde certe non sequitur huiusmodi testimonia extendi debere ad singulas rerum notitias, quae desiderari possunt in

probatione famae sanctitatis et virtutum in genere eiusdem Servi Dei. Porro nemo est qui ignoret in quacumque causa plures testes adduci solere, qui se mutuo excipiant atque compleant, ita ut probatio plenissima ex omnibus simul sumptis oriatur.

Nunc gradum faciendum est ad tuendam famam miraculorum, quae Famuli Dei intercessione patrata sunt. Siquidem verissimum illud est quod Censor admonet, nempe « ex Benedicti XIV doctrina ac perpetua S. R. C. praxi ad signandam commissionem, praeter virtutum famam, communem etiam requiri existimationem de miraculis S. D. intercessione patratis ». At vero, inquit adversarius *de fama hac testes se nihil scire profitentur.* Quod ut probet, locutiones plerumque testium ex foliis processus excerpit conglobatque, atque ita testimoniorum numero demonstrationem nostram opprimere quodammodo conatur. Verum non ita se res habet.

Et primo quidem, demus paulisper omnes et singulos testes a Fidei Promotore allatos professos esse, se nihil scire de fama hac miraculorum Bartholomaei *Dal Monte.* Quid inde sequitur contra rei veritatem? Nihil prorsus. Nam nescire aliquam rem, minime certo significat eamdem rem vel negare vel destruere. Atqui ignorantia nonnullorum testium quoad famam miraculorum per Servi Dei intercessionem patratorum abunde suppletur a scientia certissima plurimorum aliorum testium, qui diserte affirmant se de eisdem miraculis testimonium verissimum reddidisse.

Sed verum ne est, allatos ab eximio Promotore Fidei testes omnes ignorasse famam miraculorum Servi Dei? Damus utique, ex iis nonnullos illam famam ignorasse; neque in hoc incommodum ullum est pro causa nostra. At negamus omnes eamdem famam penitus ignorasse.

Cum igitur hinc verum non sit, omnes testes, a Fidei Promotore in sua animadversione allatos, ignorantiam suam quoad miracula Servi Dei profiteri, illinc manifestum sit nos nequaquam in iis qui ignorant, sed in iis, qui egregie cognovere famam miraculorum Bartholomaei *Dal Monte,* argumentationem nostram ponere; restat ut animadversio haec vigesima quarta haud ullam obiectionem contra causam continere dicatur.

Quoad sanationes Angeli Cappucci, Thomae Dazzani, aliorumque, impugnatas a Fidei Vindice, multa argumenta congessit advocatus ut probaret vere operatas esse intercessione Servi Dei.

Et prosequitur advocatus; putavi respondere Censori in subiecta materia, quamquam peculiarem atque intimam miraculorum quaestionem hoc in loco omnino praetermittere possem, atque iure ab Emis Patribus expostulare, ut eam non ad causae introductionis dubium, sed ad illud = *an et de quibus miraculis constet in casu* = remittere velint. Attamen animadversionum vestigiis insistentes, a quaestione *existimationis de miraculis Servi Dei intercessione patratis,* quam Fidei Promotor proposuerat, gradum fecimus, ad- ea miracula defendenda, quorum non amplius *existimationem,* sed naturam et qualitatem Fidei Vindex acerrime appetere in primo causae limine non dubitavit. Verum heic mihi liceat obiter profiteri, nullam miraculorum quaestionem esse in hac causa metuendam. Miracula enim iam plura habemus per Dei Famuli intercessionem patrata. Sed tempus est miraculorum quaestionem tamquam intempestivam hinc amandare. Vacat tamen huic loco quasdam summi nostri magistri auctoritates attexere, quae rem nostram maxime iuvant. « Miracula siquidem post obitum facta a Deo intercessione defuncti, eius sanctitatem demonstrant, et apertum et divinum sanctitatis signum praeseferunt » *Ben. XIV. lib.* IV *cap. V num. 4. —. . . . .* « Dixerunt etenim, miraculorum tesseram esse probatam vitae, eamque cum fama virtutum in gradu heroico sufficere pro causa introducenda » *loc. cit. n. 10.*

Sed iam ad dona supernaturalia transitum facit Fidei Promotor. Illud primum oppugnat: factum nempe in Summario Dei Famulo tribui, quod dubium est utrum reapse Bartholomaeo *Bal Monte,* an potius s. Leonardo a Portu Mauritio adscribendum sit. Factum vero illud est. Concionabatur medio in agro Servus Dei, cum, repente consistens in suo sermone, affirmavit peccatorum animas in infernum prolabi, veluti arboris folia, quam ipse indigita vit: et statim, spectantibus ac demirantibus omnibus, folia illa ceciderunt. Controversiam autem fuisse et esse in hac re demonstrat Censor noster ex verbis duorum testium, 17 nimirum et 60.

At vero ad testem 17 quod spectat, minime dici potest illum in controversia suum testimonium reliquisse. Si integrum legatur, quod ex cauta industria facere omisit adversarius.

Ceterum memoratum factum gravissimam adhuc habet con. firmationem ex postulatoriis luteris Archiepiscopi Firmani. Narrant porro hae litterae factum modo laudatum, utpote illud quod

intra fines Archidioeceseos firmanae evenit, quodque e populi memoria nondum excidisse dicendum est.

Ceterum cum Fidei Promotor probare velit de donis supernaturalibus Bartholomaei *Dal Monte* nihil memoria proditum esse, quatuor aut quinque ex omnibus seligit testimonia, in quibus ea verba proferuntur *nihil scio de hoc* et alia his similia. Quin testimonia illa discutere opus sit, satis est advertere quod non quatuor aut quinque nobis suppetunt testes, sed multi iique disertissimi, qui de Servi Dei supernaturalibus donis loquantur.

Cur igitur dicantur tabulae Summarii genericam tantum prophetiam referre Servi Dei, quae omnibus temporibus aptari potest, plane non video. Nonne enim, ut multa alia omittam, Dei Famulus semel mortem perditae cuiusdam mulieris manifestavit quin de illa nuncium aliquid ei afferretur? Nonne ad populum concionem quodam die habens, pra enuncia vit imbrem coelum non esse daturum, licet procella iam ingrueret, atque adeo omnes imbrem pertimescentes iam in eo essent ut fugam capesserent? Mortem ipsam suam renunciavit die ante obitum firmissimo asserto; nec eum eventus refuta vit.

Ad obitum Servi Dei tandem venit Censor, contenditque, si excipiatur aliquis ex testibus, qui diem, annum et locum indicat, quo Bartholomaeus *Dal Monte* decessit, nihil ab iisdem deprehendi, quod pretiosam Famuli Dei mortem coram Domino demonstret. Quod ut probet, quatuor vel quinque testes affert, quos affirmat nil prorsus de pretiosa morte Bartholomaei nostri enarrare.

Ante omnia advertimus haud recte pro se adducere Fidei Promotorem testem 8. Hic enim testis quin faveat, potius sententiae adversarii nostri clarissimis verbis opponitur.

Quoad testes vero U, 21, 22 et 23, esto quod nihil peculiare enarrent de morte pretiosa Famuli Dei. Quid vero? Num proinde negant eam fuisse pretiosam? Num aliquod vel factum vel adiunctum testantur, quod sanctimoniae laudem in ipso Servi Dei exitu minuere videatur? Affirmant se *ignorare.* Neque enim omnes testes singula vitae ac sanctitatis Servi Dei scire debent. Ceterum quod quatuor praedicti testes se ignorasse affirmant, alii testes se novisse asseruere.

Ex quibus omnibus constat, adeo non deficere in causa nostra testimonia, quae de pretiosa Famuli Dei morte fidem fa-

ciant, ut immo ex clarissimis exhibitis testimoniis manifestum sit, famam pretiosae mortis Bartholomaei *Dal Monte* abunde asseri ac confirmari. Nobis enim persuasum est, *magnum constituendum esse* pro causa nostra *momentum in obitu* Servi Dei Bartholomaei *Dal Monte.* Et plurimum nostri interesse intelligimus *ut videatur exitus vitae illius qui petitur canonizandas.*

Fama sanctitatis, quemadmodum Benedictus XIV docet « nihil aliud est quam existimatio seu communis opinio de puritate et integritate vitae, et de virtutibus non utcumque, sed per continuatos actus, data occasione, exercitus supra communem operandi modum aliorum proborum virorum, aut mulierum, ab aliquo Servo vel Serva Dei iam defunctis, nec non de miraculis eorum intercessione a Deo patratis; ita ut concepta in uno vel pluribus locis erga eos devotione, a plerisque in suis necessitatibus invocentur, et plurium graviorum virorum iudicio digni existimentur, ut per Sedem Apostolicam referantur in album Beatorum vel Sanctorum. » *Op. pluries cit. lib. II, cap. XXXIX num. 7.* Atqui talem esse famam sanctitatis Servi Dei Bartholomaei *Dal Monte* patet ex integro processu ordinario atque proinde ex Summario, nec non nominatim ex illis plurimis, iisque gravissimis postulatoriis epistolis, quae Summario adiiciuntur.

Interroganti vero adversario *quibusnam ducti rationibus diiudicabimus sanctitatis famam* Bartholomaei *Dal Monte, si quae viguit, ex probabilibus causis exortam esse,* respondemus illa eadem potissimum ratione, obvia quidem sed gravissima, quam Pavinus in relatione causae s. Bonaventurae part. I art. 19 in medium proferebat, scribens: « Quae fama magis attendenda est, quia etiam post mortem ad haec usque tempora semper perseveravit: *unde a Spiritu Sancto* dici debet processisse, *nam quae non sunt ab eo,* non durant ».

Perperam vero, ut asserto suo famuletur, Fidei Promotor *vulgi minorem* cum vera *sanctitatis fama* Bartholomaei nostri confundit.

Neque haec vel minimum infirmare possunt quae opponit adversarius quaeque ex teste 17 depromit. Iamvero quid est in allatis verbis testis huius, quod causae nostrae adversetur? Inquit testis se quidem *supponere,* non posse autem *diserte affirmare*. Atqui qui diserte non affirmat, et ceteroquin *supponit,* non negat profecto. Sed quod tantum supponit testis 17, disertissime affirmant testes alii bene multi.

Contendit etiam Fidei Vindex famam sanctitatis Servi Dei non *universalem,* non *longe lateque diffusam* fuisse, nec *apud maiorem ac saniorem populi partem* viguisse. Quod ut probet, verba adducit testis 22 et 31.

Sed duo heic Censor permiscuit, quae inter se maxime distincta sunt. Et re quidem vera, quid sibi demonstrandum assumpserat in hac sua animadversione adversarius? Hoc tantum: deesse in causa nostra *famam sanctitatis,* ideo quia ea nec *universalis,* nec *longe lateque* diffusa fuit, nec apud *maiorem* ac *saniorem populi partem* viguit. E contra, cum probationi manum admovet, de nulla re alia se velle loqui videtur, quam de defectu *devotionis.* De hac enim unice loquuntur verba ex duobus testibus superius allata. Atqui loqui de *devotione* erga aliquem Servum Dei, idem non est ac loqui de eiusdem *fama sanctitatis.* Nimirum *fama sanctitatis* pro commissione signanda alicuius Servi Dei, adeo conditio substantialis et necessaria est, ut, ea deficiente, omnis spes signandae commissionis evanescat. E contra *devotionis* factum unum ex argumentis tantummodo est, quibus *famae sanctitas* probari potest ac debet. Hanc autem *famae sanctitatem,* quantum ad processum ordinarium pertinet, pro Bartholomaeo *Dal Monte,* satis superque probatam esse defendimus. Neque enim ipsi duo testes, a Fidei Promotore aliati in hac animadversione, famam sanctitatis vel inficiantur vel minimum oppugnant.

Ad devotionem erga Servum Dei quod attinet, notandum primo est, nullo modo requiri ut ea ita universalis atque ita late dissita sit, quemadmodum universalis et late dissita esse debet *famae sanctitas.* Id autem animadvertimus de devotione, strictiori significatione accepta. Nam si sermo sit de devotione, latiori sensu accepta, quae in aestimatione atque sincera animi reverentia reponitur, ea utique latius patere debet, utpote quae ubique vigeat, quo fama sanctitatis pervenit, necesse est.

Porro quod testes illi duo 22 et 31, loquuti sint de devotione stricte dicta, patet tum ex contextu ipsorum testimonii, tum ex disertis ipsorum verbis, quibus distinctio fit inter *aestimationem* et *reverentiam,* quam universalem praesertim Bononiae esse asserunt, et *stricte dictam devotionem,* quam ad paucos viros mulieresque constringunt, quantum ipsis constare potest.

Idem dicendum est de testimoniis aliis, quae studiose congerere videtur adversarius: profecto ipse Fidei Promotor asserta,

rit *latere* adductos testes, utrum devotio erga Bartholomaeum *Dal Monte* latius pateat in populo christiano. Atqui iterum : ex eo quod lateat id aliquot testes, minime evinci potest vel testes ipsos devotionem illam impugnasse, vel revera devotionem erga Dei Famulum non extitisse. Ut enim saepissime iam animadvertimus, non omnes et singuli testes omnia et singula scire possunt; quod vero alii ignorant, alii apprime cognoscunt atque testantur.

Testantur vero devotionem erga Servum Dei alii testes bene multi; testantur facta miraculosa, obtenta invocatione et intercessione Bartholomaei nostri; testantur plures ac gravissimae illae postulatoriae epistolae tam ardenti studio tantisque efflagitationibus Summo Pontifici exhibitae.

Quod vero non desint testes, qui affirment se ignorare Servi Dei sepulcri locum, vel numquam eo accessisse, nec scire num alii eo confluant; id nihil plane obest causae nostrae. « Conferunt enim, ut verba Benedicti XIV usurperò, conferunt etiam adducta in interrogatoriis, in quibus statuitur testem interrogandum super accessu proprio et aliorum ad sepulcrum » *Op. eit. lib. II. cap. XXXIX, num. 10;* at minime certo requiritur ut concursus ad sepulcrum Servi Dei adeo magnus, adeo universalis, adeo solemnis sit, quemadmodum fieret si Ecclesia iam suum protulisset iudicium de ipsius Servi Dei sanctitate. Hinc est quod fieri potest sine ullo detrimento causae Servi Dei, quod non omnes, qui ceteroquin maximam opinionem eiusdem Servi Dei sanctitatis habent, ad ipsius sepulcrum accedant. Id ferme accidit pro omnibus Dei famulis, etiam sanctissimis, qui Beatorum in numero adhuc recensiti non sint. Id quoque evenisse quoad Bartholomaei *Dal Monte* sepulcrum mirum non est. Quin igitur eorum testimonia, quorumcumque demum ea sint, attendamus, quae non negant quidem alienum sed tantummodo proprium concursum ad sepulcrum Servi Dei, satis nobis est pro causa nostra in medium proferre alia testimonia, quae clara luculenterque suum aliorumque accessum ad locum Bartholomaei *Dat Monte* testentur.

Quae cum ita sint, nil est cur auctoritas Benedicti XIV contra nos adducatur. Tanti enim Pontificis auctoritas nedum nobis obsit, prodest immo quam maxime. Et re quidem vera neque multum neque modicum causae nostrae praeiudicium inferri potest ex deficientia concursus fidelium ad Bartholomaei *Dal*

Monte sepulcrum, cum huiusmodi concursus nequaquam defuerit unquam, neque unquam imminutus sit.

Gratuitum vero assertum et nulli fundamento historicae veritatis innixum illud dici debet, quod Fidei Promotor enunciat; nimirum *adeo remissam fidelium opinionem elare ostendere Bartholomaeum Mariam Dal Monte non illa sanctimoniae laude floruisse, quam heroicarum virtutum praestantia gignere solet.* Quomodo enim *remissa opinio* illa dici potest, quae semper tam longo annorum spatio ab obitu Servi Dei viguit, quae tam in difficilibus ac procellosis temporibus perstitit, quae tam late diffusa fuit, quaeque a tam vario tamque multiplici hominum genere plenis clarissimisque testimoniis nullo non tempore sustentata est? Quapropter mira ingenuità te dicta quis non affirmaverit novissima haec verba, quae humanissimus adversarius scribit, quaerens scilicet, ubi in causa Bartholomaei *Dal Monte* sit *fama sanctitatis,* ubi virtutum ut dicitur, *fumus.* Ad rem nostram Benedictus XIV: « Quod autem spectat ad quidditatem famae, et ad modum eam probandi, nihil aliud hic adnotandum esse videtur, quam quod pro obtinenda signatura commissionis non est necesse probari in specie virtutes et miracula, id enim reservatur ad aliud iudicium, quando scilicet, confectis processibus apostolicis, dubium proponitur de virtutibus et miraculis in specie; sed opus tantummodo est, ut virtutum atque miraculorum fama probetur. » *Op. cit. Lib. IL cap. XLI. num. 13.* Atqui famam virtutum et miraculorum Bartholomaei *plene concludenterque* processum ordinarium documentaque omnia adducta abunde demonstrare contendimus.

CAPUT TERTIUM

De obstaculis. Quum causae *probationes,* atque ipsam Servi Dei *famam sanctitatis* impugnat Fidei Promotor, tandem tertium obiectionum caput aggreditur, quas in quibusdam, ut aiunt, *obstaculis* ponere studet.

Ac primo quidem conqueritur se plura obstacula afferre non posse ideo quia « scripta, quae de Servo Dei supersunt omnia, inquit, ad eiusdem laudem et commendationem pertinent ». Habemus igitur primo ipso in limine huius tertii capitis confitentem adversarium « *plura afferri non posse, quae veram obstaculi rationem habeant* ». Quae profecto Censoris de-

claratio contemnenda non est, immo plurimi facienda est; utpote quae sponte sua haud parum nobis concedere videatur; paucitatem nimirum obiectionum, quae ex hoc capite contra causae Postulatores erui possunt. Ad rationem vero quam addit Fidei Promotor, ut paucitatis obstaculorum causam reddat, ipse falli dicendus est, si revera existimaverit, talia Bartholomaeum *Dal Monte* scripta nobis reliquisse, quae omnia ad eiusdem laudem et commendationem pertineant.

Illud unum iterum commemorabo: adeo demisse de se ipso Famulum Dei etiam in scribendo sensisse, ut suis opellis editisque scriptisque, licet magni faciendis piorum ac sapientium virorum iudicio, numquam tamen suum nomen apponi passus sit. Quomodo, rogo, historicum hoc factum cum iis, quae adversarius noster opponit, cohaerebit? Argui ne potest de nota iactantiae et vanae gloriae censura ille Dei Famulus, qui, cum adeo facile cognosci atque magni a pluribus fieri posset, se ipsum abscondere suumque nomen penitus studet inter homines ignorari?

At vero res in praesto est, subdit adversarius: « Aliqua dumtaxat emergunt ex nonnullis scriptorum ipsius Bartholomaei laciniis, quae innuunt, ipsum de se non modicam sui existimationem fovisse. Cum nempe ob fractum crus *in lecto iacere cogeretur,* ait enim: dici potest quod ego praedico; cum me hilarem conspexerit luteranus in casu asperrimo, theologum adivit ut abiuraret; nihil rescivi; heri quidam ad me venit qui petiit ut eius exciperem confessionem.

Si ex allatis modo verbis, ad iactantiae seu vanae gloriae vitium concludere alicui liceret, quid porro dicendum esset de tot Dei servis, qui laudabiliter a se gesta, nec non amplissima charismata et dona sibi a Deo collata saepissime sodalibus aliisque aut scripto enarrarunt, aut ore retulerunt? Apostolus Paulus in *epist. 2. ad Cor. cap. XI et XII* a se gesta et visiones et revelationes Domini fuse prosequitur. Iterum Paulus et Barnabas ad profectum audientium publice enarrarunt conversionem Gentium et miracula, quae Deus per eos patraverat *Act. XV, v. 4.* Iob *cap. 29, v. 4* huiusmodi de se non dubitat proferre testimonium. « *Iustitia indutus sum et vestivi me, sicut vestimento et diademate, iudicio meo. Oculus fui coeco et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.* » Similia his testimonia sibi ipsis reddunt

Ezechias de proxima morte ab Isaia admonitus *Isaia cap. XXXVIII, v. 3*. Item Sara Tobiae uxor *Tob. cap. III, v. 16;* item Nehemias *in 2 Esdrae cap. 5, v. 19.*

Quibus omnibus congruunt Sanctorum exempla, quorum bene multa ipse Benedictus XIV collegit in suo opere *Be Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione lib. et cap. cit.* Audiendus est ad exemplum quomodo loquatur sanctissimus vir Abbas Ioannes apud Cassianum *collat. 19, cap. 3, pag. 702:* « Idcirco, si quid elatius, immo liberius fortasse protulero, quaeso ut non iactantiae vitio, sed aedificationis vestrae depromptum studio censeatis: quia vobis tam studiose quaerentibus, nihil de veritate existimo subtrahendum. Arbitror enim instructionis vobis aliquid posse conferri, si paulisper, humilitate reposita, simpliciter omnem propositi mei patefecero veritatem. » S. Antonius, teste S. Athanasio, qui eius vitam descripsit *cap. 68, pag. 846,* cum a discipulis rogaretur, coelestia dona, quae a Deo receperat, iisdem sermone communicare minime dubitabat. « *Nec spiritualibus filiis pura in Christo anima occultare quidquam volebat.* »

Quae omnia cum ita sint, illud in tuto pro veritate rei ponendum est: nimirum non posse iactantiae et vanae gloriae vitio culpari aliquem pium virum, ideo dumtaxat, quia ille de se aliquid laudabile vel narravit vel scripsit. Quod si huic tantummodo facto, scilicet scriptorum vel verborum laudem sui redolentem, quis inniteretur, ut censurae iudicium ferret, is facile posset. « Aliquando enim, ut Magni Gregorii verba usurpem, sancti viri et coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare, sed ad eum finem omnia referentes, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum, qui in coelis est, debeat glorificari » *Moral. 19, cap. 33. num. 4.* Quae quidem doctrina illa est, quam Benedictus XIV docet in libro nuper commemorato *cap. XL, num. 3.*

Iamvero quae opus sit noscere, ut tutum iudicium ferri possit, facile est ex ipsa Benedicti XIV doctrina colligere. Ac *primo* quidem investigandum est, quid sit illud de quo Dei Famulus gloriari videatur. Si enim, quemadmodum ipse divus Thomas tradit *2, 2 quaest. 172, a. 1.,* Dei Famulus de re caduca et fragili gloriaretur, de peccato vanae gloriae excusari minime posset. « Potest autem gloria dici vana ex parte rei, de qua. quis gloriam quaerit, puta cum quis quaerit gloriam de eo, quod.

non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili et caduca. » *Secundo loco* exquirenda est intentio loquentis aut scribentis de se ipso. Opportune enim s. Gregorius *Moral 12, c. 31, pol 405 tom. 1* tradit : « *Sicut gravis culpa est sibi hoc hominem arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat quod est: unde saepe contingit ut iusti et iniusti habeant verba similia, sed tamen semper cor longe dissimile.* » Quando igitur intentio loquentis vel scribentis talis esse appareat, ut ipse nequaquam ad vanos hominum sibi plausus captandos, sed ad verum bonum proximi maxime spirituale procurandum vel ad gloriam Dei utcumque promovendam, de se aliquid narret vel scribat, nulla sane vituperationis censura culpandus est.

Qua posita doctrina, facile est ita obiectam difficultatem dissipare, ut ne nubecula quidem superbiae vel iactantiae Famuli Dei nomini inhaerere possit. Et re quidem vera, quid est in allatis Bartholomaei verbis, quod vanae gloriae vitio notari queat? Num superbiae censura afficiendus Dei Famulus *ex parte rei narratae ?* Atqui res ab ipso narrata minime *fr agilis* et *caduca* dicenda est, minime *divinae reverentiae adversa* est. Quid enim magis pulcrum et magis aestimandum coram Deo et coram hominibus enarrari potest, quam illud quod Lutheranus ad catholicam fidem revertatur, hominesque iam catholici sanctissima exomologesi suarum culparum sordes detergant?

Plane non video cur Fidei Vindex et illud in vita Bartholomaei *Dal Monte* carpere non dubitet, quod, cupiente Pio VI illum Romae retinere, ut ibi apostolico aliquo munere perfungeretur, Servus Dei aliquas rationes Summo Pontifici considerandas proposuerit, ne ab incepto missionum curriculo avocaretur. Quaero enim, quid est, quod in historico illo facto a sapienti iudice reprehendi possit? Non scilicet obedientiae virtutem laesit Bartholomaeus. Docent enim theologi morales atque ascetae praestantissimi, non modo virtutem obedientiae, sed ne perfectionem quidem obedientiae quempiam laedere, si moderatori suo aliquas rationes proponat, ob quas maius Dei obsequium sperandum esse videretur; si aliam sententiam in demandando subditis munere moderator ipse ineat, ac illam quam primitus sequi volebat. Quod quidem verissimum est, dummodo haec duo non desint : primum quod reverenti animo ac modestis verbis rectori suo contrarias, quas habet in Domino, rationes sub-

ditus proponat; alterum quod postquam sententiam suam humili declaraverit sermone, se tamen paratissimum ostendat ad illa munia capessenda, quae eius moderatori illi imponere visum fuerit. Atqui, ita se res habuere pro Bartholomaeo nostro, qui, magis se Dei gloriam promoturum sperans, si sacris missionibus daret operam, quam si in urbe detineretur.

Censura etiam reperit dignum adversarius quod legitur in pag. 53 eiusdem Vitae Servi Dei a Petro Franchi conscriptae. Minime scilicet arridet Fidei Vindici, Bartholomaeum *Dal Monte* enarrationem Roma misisse Bononiam, in qua res gestas in missione romana scribebat. Quid ? Christifidelibus communicare quae in laudem Dei cedunt, quae ad bonum virtutis exemplum proponi possunt, res redarguenda existimantur? Ergo redarguendi ipsi Iesu Christi Apostoli, qui primis Christiani nominis sectatoribus, quae per ipsos Deus operari dignabatur minime enarrare dubitabant. Redarguendi omnes illi apostolici homines, qui plurimum in christiana Fide propaganda adlaborantes ex extremis vel Orientis vel Occidentis oris, identidem suas ad fratres, amicos aut moderatores perlongas scribunt epistolas, ut notum pervagatumque sit quid ipsi in Iesu Christi nomine fecerint, quaeque Deus, ipsorum usus ministerio, pro animarum salute ad optatum finem perduxerit.

Atqui, subsumit adversarius, quod narratio illa, a Servo Dei exarata, amplius non sit, tale est foetum, ut non appareat utrum *fortuito, nee ne deperdita sit, vel consulto a Dei Famulo rescissa vel ab aliquo servetur adhuc.* » Hisce verbis suspicionem inducit clarissimus Fidei Promotor, praedictam *relationem* adduci potuisse, ut authenticum testimonium ad vanam illam iactantiam demonstrandam, quam omni pacto Dei Famulo inurendam esse iudicat Censor. Quis vero non videat gratuitum illud suppositum, a Fidei Promotore excogitatum? Atqui non *gratuitis* suppositis, sed *solidis* ac *firmis* argumentis in causis huiusmodi incedendum esse ipsa Summorum Pontificum decreta ac Sacrae Congregationis Rituum praxis apertissime docent. Obstacula enim non *fietitia,* sed *vera* esse debent. Ipse autem Benedictus XIV *op. cit. lib. 2 cap. 36 num. 13* monet verum obstaculum pro introducenda causa illud tantum esse, quod uno oculorum coniectu conspiciatur vinci non posse idemque *peremptoriae* exceptionis loco omnino reponi debere.

Intererat quidem plurimi relationem hanc prae oculis ha-

bere: at nobis prae ceteris iure dolendum est eam deperditam fuisse. Etenim si illam ob oculos haberemus, novum quidem magnae humilitatis Bartholomaei Dal Monte documentum offerre possemus.

Inter ceteras Bartholomaei Dal Monte virtutes mirifice extollitur eius erga superiores moderatoresque promptissimi obedientia. Ex processu Ordinario in Summarium nostrum ea retulimus testimonia, quae tam eximiam Famuli Dei virtutem laudant atque demonstrant. Porro ex iis testimoniis facile est colligere quid de obedientia Servi Dei ipsius superiores moderatoresque senserint.

At vero consentienti^, testimonia de egregia virtute obedientiae F. D. minime placent adversario, qui initio animadversionis 35 haec scribit : « Sed prae ceteris redarguenda videtur S. D. animi pervicacitas, quam ostendit quum illi a Cardinali Vincentio Malvezzi, Archiepiscopo bononiensi Seminarii bononiensis rectoris munus oblatum est. » Prosequitur deinde per totam hanc animadversionem 35 et proxime sequentem 36 Censor, huic facto insistendo, illud inde enitens deducere, quod prius affirmaverat, nempe pervicaciam F. D. voluntatis contra moderatoris sui mandata.

Sed ut aperte rem dicam, nil nisi inane sophisma in adversarii argumentatione apparet. Et re, quidem vera, quoad difficultates, quae contra obedientiam Servorum Dei aliquando moveri solent, memoratu dignissima sunt verba, quae Benedictus XIV sapientissime scripsit: « Nemo est proinde qui non videat, non esse statim iudicandum, Dei Servum, qui superioris praecepto non obtemperavit, in virtute obedientiae, aut in obedientiae perfectione defecisse; sed praeceptum superioris ponderandum esse atque discutiendum, antequam aut favorabile, aut contrarium de actione Servi Dei iudicium proferatur. *Op. eit. lib. III. cap. XLI, man.* i0. Atque illa alia: « Transitum facientes ad regulas, quarum ope tutum ferri potest iudicium de gestis Servorum Dei, praemittimus doctrinam Theologorum, qui docent primo actus humanos bonitatem ab obiecto et circumstantiis et a fine operantis desumere. » *Op. cit. lib. et mp. cit. num. la.* Quam quidem doctrinam quam praeclare exposuit s. Ioannes Chrysostomus; *Homil. 16 in Epistola ad Rom. num. 1. p. 604 t. 9.*

Hisce positis loco principii, quid est quod redarguendum in-

veniatur, si munus Rectoris in seminario bononiensi sibi oblatum minus prompte primitus susceperit Bartholomaeus Dal Monte? Finis nempe Piae Operae Missionum, quam ipse fundaverat, hic erat, ut non unice ad Dioecesim bononiensem sacrorum operariorum labores coarctarentur, sed ad omnes quascumque Dioeceses extendi possent, prouti animarum salus atque ipsae Episcoporum invitationes tulissent.

De laeto laborum Servi Dei fructu per totam Italiam testati sunt, dum adhuc viveret Bartholomaeus Dal Monte, non modo populus universus, verum etiam plurimi per Italiam Pastores primoresque inter ecclesiasticos viros, immo et Pontifices Summi quatuor, nimirum Benedictus XIV, Clemens XIII, Clemens XIV et Pius VI. Porro hi Pontifices Ecclesiae Dei universae regendae praepositi adeo virtutem laboresque Servi Dei amaverant atque commendarant, ut eius operam sacrarum Missionum benevolentia sua foverent, atque facultatibus apostolicis copiosissimisque indulgentiis ditarent, quo facilius in Dei obsequium cederet ac christiani populi emolumento bene verteret. Clemens vero XIV et Pius VI illum Romam acciri iusserunt, ipsique sacrum concionandi munus commiserunt, nec non eum ad se vocari dignati fuere alloquutique sunt, atque cum ipso sermonem de universae Ecclesiae negotiis interserere non dubitarunt.

Haec cum ita se haberent, nonne pronum obviumque erat, quod Emo Malvezzio illum ad Rectoris munus in patrio Seminario invitanti se minus promptum facilemque primitus exhiberet Bartholomaeus, veritus ne maior Dei gloria maiusque proximorum emolumentum impedirentur? Porro neque contra obedientiam, neque contra huiusce virtutis perfectionem illud dici debet, quod ad maiorem Dei laudem cedere videtur, quodque ipsius moderatoris iudicio sic considerandum relinquitur, ut quidquid postea ipse statuendum iusserit, eius unice voluntas pro voce Domini habeatur.

Porro ex adiunctis eruitur Cardinalem Archiepiscopum bononiensem *desiderasse* quidem, minime vero *imperasse,* cum Bartholomaeum *Dal Monte* ad patrium Seminarium vocabat.

Ceterum factum, in quo innititur argumentatio adversarii nostri, nedum obedientiae laudem S. D. vel neget vel minuat, auget immo ac mirum in modum confirmât. Etenim licet Archiepiscopus bononiensis nullum obedientiae praeceptum, nec alio modo proprie dictum iussum dederit Bartholomaeo *Dal*

Monte, ut Rectoris munus capesseret; licet S. D. pro certo haberet subditum ne obedientiae quidem perfectioni deesse, si moderatori suo rationes maioris gloriae divinae humiliter proponeret, quas haberet pro non ineundo munere sibi oblato Sarnen postquam intellexit Cardinalem Malvezzium e suo desiderio non recedere, se promptum paratumque ostendit ad munus illud suscipiendum Rectoris Seminarii bononiensis, ac re vera illico suscepit. Et per sub rectorem et alium sacerdotem moderabatur Seminarium dum absens esset.

Neque obstat quod postea a suscepto munere exonerari petierit Bartholomaeus. Cum enim finis ab Emo Malvezzio exoptatis iam satis obtentus esse videretur, atque ipsa rerum ac temporum adiuncta id requirerent, supplicem libellum quam demississime, misit Bartholomaeus ad bononiensem Archiepiscopum, ut in alium iam commissum illi munus vellet transferre.

Sed enim ipse Fidei Vindex fatetur in hac causa pauca inveniri obstacula: neque ferme alia ipse adducit, praeter ea quae huc usque impugnavimus in hoc tertio obiectionum capite. Mirifica tamen ratio est, quam Censor in medium profert, ut paucitatem obstaculorum quodammodo explicet. « Si enim, inquit, in Causa necessariae desunt argumenta, e quibus de fama sanctitatis generica saltem exsurgat demonstratio, quaenam erit probabilis ratio de Causae huiusce felici exitu? Pauca reperire datum est obstacula. Atqui obvium est deesse obstacula in Causa, in qua notitiae penitus ferme desunt. »

Quis negaverit mirifice loquutum esse Fidei Promotorem? At vero, pace tanti viri, dicam, eius sermo facile asserere, non vero invicte probare dicendus est: e contra argumentum est bonitatis causae nostrae, contra quam, ni toti fallimur, vera ac solida difficultas nequaquam inveniri potest. Ne dum enim desint, abunde suppetunt probationes, abunde adsunt argumenta, e quibus de fama sanctitatis generica primum, ut par est, exurgat demonstratio. Quare probationum et argumentorum bonitati confisi, et auctoritate ipsius Benedicti XIV innixi, ex cuius doctrina sapientissima patet nihil esse in causa nostra, quod vel *excellentiae* et *fulgori r elevantiae virtutum,* vel *earum probationi* obstet, totos nos causamque Bartholomaei *Dal Mon te* Consultorum Patrum Cardinalium iudicio atque Summi Pontificis Leonis XIII inerranti sententiae committimus atque libentissime concredimus.

LITTERAE APOSTOLICAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII de regimine et disciplina Congregationis Anglo-Benedictinae novanda.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam

Religiosus Ordo Benedicti Patris de rationibus Ecclesiae reique publicae quum praeclare apud multas gentes sit meritus, tum apud Anglos meritus est praeclarissime. — Alumnos eius, extremo saeculo sexto, illuc miserat S. Gregorius Magnus, Angliae merito vocatus apostolus, ut gentem Evangelii ignoratione miserrimam erudirent et rite adiungerent Christo. Quod illi quidem constantia laborum, copia doctrinae, splendore virtutum, optime Deo adiuvante, fecerunt : iidemque instituta et artes verae solidaeque humanitatis in eas regiones feliciter invexerunt. — Huiusmodi beneficia gens anglica quanti par erat aestimans, Ordinem Benedictinum summo semper obsequio et benevola gratia prosecuta est : quo mirabiliter factum, ut in dies et ille sedes suas viresque latius protulerit et haec laetioribus aucta sit fructibus urbanitatis omnis maximeque religionis, a qua commemorabilem etiam sanctitatis laudem in Ecclesiae fastis obtinuit.

At vero, saeculo sexto decimo, propter acerbissimum illud et perquam calamitosum a catholica fide dissidium, communia religiosorum domicilia depopulata et eversa sunt, monachi vel necati vel dispersi ; ut sub initium saeculi consequentis vix unus, Legibertus Buckley, de ingenti Benedictinorum numero fuerit reliquus. Qui vehementer dolens suorum vicem rerumque maximorum ruinam, reputare animo coepit, si quo modo opem aliquam et religioni et patriae et suis posset afferre. Ipse igitur nonnullis aliunde monachis sibi consociatis, adiectisque et sacra veste ornatis adolescentibus nonnullis anglis, initia posuit Sodalitatis seu Congregationis, quae etiamnum viget, Anglo-Benedictinae : cuius praecipue laboribus referenda quae apud eam nobilissimam nationem Ecclesia catholica subinde potuit reparare.— Susceptum a Legiberto consilium inceptumque opus vix dicere attinet quam gratum et acceptum extiterit Pontificibus romanis, qui tamquam singulare Dei providentis subsidium in ipsum

inesse agnoscentes, curas omnes contulerunt, ut excitata Sodalitas in spem magnam saluberrimae virtutis Angliae laboranti floresceret. Eam litteris *Cum sicut accepimus,* datis die xxiv decembris anno MDCXII, Paulus V collauda vit, recteque eiusdem ordini prospexit, novem iussis *definitoribus,* qui et incerta quaedam Sodalitatis negotia transigèrent, et accommodatas ipsi Constitutiones scriberent, legum instar habendas; scriptas autem, auctoritate ipse apostolica, litteris *Ex incumbenti,* die XXIII augusti anno MDCXIX, probavit et gravissime sanxit. — Quae decessoris acta Urbanus VIII, Constitutione *Plantata,* die XII iulii anno MDCXXXIII, ample confirmavit; multa Sodalitati privilegia concessit, certamque regiminis formam praescripsit, ad ea quoque munera, quae *Missiones* nominant, rite obeunda. — Deinde Benedictus XIV, Constitutione *Apostolicum ministerium,* die xxx maii MDCCLIII, ea ipsa privilegia rata firmaque habuit, atque etiam officia definivit quae monachis missionariis intercédèrent cum Vicariis apostolicis, rei sacrae in insula ante illud tempus praefectis. — Tum Pius IX f. r. anno MDCCCLIII curavit effecitque ut ex conventus seu capituli generalis consulto integra communis vitae disciplina in Sodalitatem universam induceretur; die autem xx maii anno MDCCCLX statuit, unam eamdemque domum initialibus omnibus probandis esse debere.

Familiae Anglo-Benedictinae curam haud mediocrem Nos item gessimus; et meminisse placet, quum anno MDCCCLXXXI inspectorem sive, ut vocant, visitatorem legavimus dilectum filium Bonifacium Krug, sodalem benedictinum, qui nomine Nostro cognosceret in rem praesentem quemadmodum ipsius rationes sese haberent, quidque a Nobis curationis forte postularent, et plene ad Nos referret. Relata ab illo ut summa cum diligentia prudentiaque expenderentur, singulare quoddam Consilium delegimus S. R. E. Cardinalium ; qui viderent praeterea et censerent quaenam toti Sodalitati et apostolico missionum muneri, cui sese alumni magnam partem dedunt, posset aptius prodesse : ad ipsorum vero consultationes, die vi iulii anno MDcccLXXxiii, comprobando rescripsimus. — Iam nunc optantes eo amplius testificari, et quas Nos Sodalitatem ipsam voluntate complectimur, et quanto studio dignitates eius tenemur, rati sumus tempestive et optime factum, si per Nos difficultates quaedam radicitus e venerentur quibus illa constringitur ne pleno gradu ad propositum suum contendat. — Quarum

causa difficultatum quia residet in forma nunc valente regiminis eius, hanc visum est prudenti temperatione novari oportere, ut et temporum conveniat naturae, et propria Ordinis instituta retineat. Formam enim regiminis quae in praesentia valet, ideo Urbanus XIII Constitutione *Plantata* edixit, quod nullum in Anglia per illa tempora erat monasterium, neque per conditiones rei sacrae et civilis esse licebat: quapropter decrevit, ut *Congregatio Anglicana sic stabilita regeretur ab uno Superiore, vocato Praeside, qui extra Angliam resideret durante schismate, et a duobus Provincialibus immediate sub dialo Praeside in Anglia; parique modo a Prioribus Residentiarum seu Conventuum extra Angliam; et deinde certo etiam numero Definitorum.* Hoc modo iurisdictio in missiones et in monachos eis deditos adempia est Monasterio, a quibus ipsi excepti, quibusque tum etiam cum missionale munus exercerent erant devincti, atque binis Provincialibus ibidem considentibus tota est transmissa : quod sane fuit pro rebus locisque sapienter constitutum, atque adeo necessarium, ne Missiones inopia gubernationis laborarent, neque minus ut missionariis communis esset sedes ac veluti centrum quo se in rebus omnibus verterent. — Ubi vero, conversis per Angliam temporibus, aliquot ibi coenobia restitui coepta sunt, suisque praepositis regi, fieri certe debebat, id quod brevi est factum, ut, ea manente disciplina, incommoda non pauca neque levia occurrerent, totius videlicet Congregationis rectio, duplicata quasi potestate, funditus misceretur. Hisce maxime temporibus res eo venit, ut ipsa periclitetur Sodalitatis concordia : sunt enim qui haec in quaestionem adducant, Congregatio ne Anglo-Benedictina per se et natura sua monastica sit an missionalis; itemque, utrum ad Monasteria summa potestatis pertineat, ob eamque causam debeant illis Missiones parere, an vero sit Missionibus integrum suis propriis legibus facere, omni solutis erga illa obsequio.— Iamvero apertissime patet Congregationem Anglo-Benedictinam suapte natura monasticam esse, eatenus autem missionalem, quia et aliis munerum sacrorum officiis et missionibus pariter dare operam consuevit: ex quo aeque patet debere Missiones Monasteriis, nequaquam haec illis, parere. Id quippe omnino exposcit ipsius ratio et causa Cougregationis, concinente palam historia teste. Et ipsa enim, ut alius quivis religiosorum Ordo, duo quaedam, alterum ab altero distinctum tamquam fines,

spectat et sequitur: primum, ut alumnos ad omnem animi sanctimoniam consiliorum evangelicorum ductu erudiat, operibus iis fungendis quae sibi ex suis legibus propria sunt et praecipua; proximum, ut alia accuret et peragat opera, ad quae actuosam suorum virtutem porrigere possit et velit. In eo igitur primo quum vis et natura Ordinis posita sit, inde profecto normae et leges, quibus ipse dirigatur, petendae: eisdem vero legibus cetera, quaecumque in proximo continentur, necesse est observentur et serviant, nequaquam contra, quod praepostere fuerit. — Itaque Anglo-Benedictinae Congregationis vis et natura, quam esse usquequaque monasticam et regulae ipsae et constitutiones et annales declarant, hoc suo vult iure, ut qui monasteriis plena cum potestate praesint, iidem ipsam omnibus partibus, sive intra coenobiorum septa, sive extra, in varia munerum functione, pari cum potestate regant et moderentur. — Neque secus decursu temporum actum. Etenim anno DLXXXXVI S. Augustinus una cum sociis monachis ad quadraginta, iussu S. Gregorii Magni, in Angliam porrexit *ut gentes illas ad Christum converteret*; ubi voluntati Pontificis religiosissime obtemperans, *non alios ministros instituit esse quam monachos* (1). Hac de causa primum aggressus est ad monasterium Cantuariae, in urbe principe, aedificandum, a quo omnis deinde pendebat recte non solum de custodia legitimae disciplinae, verum etiam de officiis ad animorum salutem explendis. Sic enimvero statuerat S. Gregorius, alumnos Benedictinos simul apostolos, simul monachos agere, ut monasteria tamquam sedes quasdam apostolatus haberent; abbates autem procurationem omnem gerere ecclesiarum quas monachi (neque enim alii per eas regiones erant clerici) pro fidelium accessionibus essent condituri. — Ex eo fiebat, ut quamquam monachi per omnia sacerdotii munia studiosissime versarentur, tamen rerum omnium summa et gubernatio in monasteriis penes abbates consisteret. Erant in insula, octavo saeculo ineunte, monasteria eaque ampla octo: inde quaerebantur episcopi, qui quidem apud ipsa convenienter habitabant, sed integra in monachos missionarios abbatibus manebat auctoritas. (2) Tali disciplinae ratione Congregatio magis deinceps magisque floruit, ut saeculo quinto decimo *abbatias*, quadraginta duas, *prioratus* duo et viginti obtineret:

(1) Mabillon, Annal, benedici, an. 601.
(2) Maliillon, Annal, benedici, an. 731-734.

atque uno perpetuoque tenore ad excidium usque postero saeculo illatum perseveravit. — Iamvero quae ibidem nunc est Sodalitas, eadem omnino habenda est atque illa, quippe quae a monacho veterum superstite sit instaurata, eodemque intendat, ad christianam Anglorum institutionem : siquidem quod veteres in eos facere, ab ethnica ignominia et superstitione deducendo, hoc novi facere insistunt, ad catholicam fidem reducendo.

Hac in causa decessores Nostri, fautores eiusdem Sodalitatis amplissimi, nihil sane ullo tempore decreverunt qui in ipsam alium natura modum gubernationis velle viderentur inducere : atque immo ex ipsa Constitutione *Plantata,* qui recte penitusque inquisiverit, contrarium quiddam non obscure apparebit. — Quod enim, interdictis per ea tempora monasteriis in Anglia, neque praepositi quidem monachorum poterant ibi esse, quorum vigilantia consiliisque Benedictini missionarii, ut oportebat, regerentur, idcirco ab Urbano cautum est, ut bini in eam curam designati provinciales incumberent. Id autem, non ad perpetuitatem fuisse factum, sed per exceptionem dilatoriam, tandiu videlicet mansuram et valituram quoad rebus temporibusque cedendum, non uno ex loco eiusdem Constitutionis pernosse licet: ubi edictum ut *Praeses resideret extra Angliam, durante schismate ;* ubi etiam datum posse Congregationem *a Prioribus Residentiam/)! seu Conventuum extra. Angliam* regi : quae sane de facultate intelligenda sunt et venia temporaria, nimirum usque dum finibus ditionis suae essent illi prohibiti. Accedit quod ipse Pontifex salva esse decrevit *privilegia, gratias, indulta, facultates, praerogativas Ordinis et Congregationis Nigrorum nuncupatorum S. Benedicti ac illius Monasterium in Anglia* (1), in hisque ecclesiarum novem iura cathedralia : quo decreto, tacite is quidem, sed valde affirmavit, curiarum omnium ecclesiarumque administrationem, quarum utilitatibus Benedictini servirent, ad eorumdem monasteria, si quando essent in integrum restituta, nihil secus quam ante schisma pertinere : tantum igitur abest ut ea Constitutione potestati monasticae Urbanus sit refragatus. — Accedit etiam quod ita fert universa consuetudo Ordinis Benedictini: namque et apud alias eiusdem Ordinis familias, quidquid potestatis est in missiones et in alumnos missionarios, id alii defertur nemini quam coenobiorum prae-

(1) Const. *Pl'infitt*

positis: neque vero quisquam ignorat abbatias esse, quae non modo sibimetipsae consulant, sed ecclesiis externis curiisque haud ita paucis ius dicant easque undique administrent. — Talis autem sociandae temperandaeque potestatis modus, ut Monasteriis Missiones pareant, etiam propter praeclaras opportunitates quae utramque in partem redundare possunt, optandus maxime est. Quod enim Monasteria, ut inter omnes constat, se minus prospere a legitima disciplina studiisque maioribus nunc habent, eius rei causa non alumnos, quorum voluntas vel opera desideretur, at vero iu rerum hominumque inopiam, et in laborum, quae inde consequitur, immoderationem procul dubio debet conferri : quibus incommodis remedium optimum suppetet, si ex eodem capite aequabilis providentiae ratio in commune manarit. — Similia adiumenta et fortasse maiora ad Missiones erunt profectura. Ut enim benevertant et fructus perferant vere salutares, opus est illis non ministerio tantum monachorum, sed multo magis exemplis eorum sanctissimis, quae mirifice possunt ad veritatem persuadendam, ad virtutem commendandam : et licet cultores tales evangelicae vineae, industrii probabilesque, non desint, eo tamen plures numerabuntur et plus auctoritate valebunt, quo Monasteriis praesidia institutionis accreverint, et lux domesticae perfectionis praestiterit. — Edendis insuper scriptis quum campus Missionibus pateat copiae multiplicis in quo Ordo Benedictinus per aetates omnes tanta cum gloria elaboravit, in eo ipso Familia Anglica, coniunctis animis et laboribus, doctrinarum studiis excitatis atque in melius provectis, honeste poterit utiliterque certare : scripta enim eruditionis plena et litteratae gravitatis admodum in Anglia proficiunt, ubi intelligentis iudicii viris quaesita probantur, scriptoribus catholicis gratiam conciliant, reverentiam eliciunt erga Ecclesiam romanam, ad eamque, quod fit persaepe, devios invitant. — Illa quoque laboriosa et magni momenti opera, quam imbuendae edocendaeque iuventuti in ludis litterariis et in ephebeis missionarii impendunt, ex arctiore cum Monasteriis necessitudine futurum profecto erit, ut perfectius quiddam contingat, proptereaque fiat et in existimatione amplior et civitati multis modis uberior.

Huc nimirum, ut una ex Monasteriis ac Missionibus communio evaderet, sic ut coenobiorum praepositis, tamquam potestatis munere antecedentibus, monachi missionarii subessent

et obedirent, responsa spectaverunt, a delectis Cardinalibus data et auctoritate Nostra firmata. Etsi vero ad caput quaestionis primum : « Derogandum ne et quonam modo de Urbaniana « Constitutione *Plantata* pro Congregatione Anglo-Benedictina ? » responsum est : « Non videri de ea derogandum » : non tamen id factum perinde quasi ea rectionis ratio nulla visa sit emendatione aut immutatione egere, at verius quia spes erat fore ut eiusmodi rogatio a monachis ipsis proficisceretur, saepius antea professis, huius Apostolicae Sedis optatis nihilo minus quam monitis praeceptisque omni se velle et demissione obsequi et diligentia satisfacere : quo nullum quidem exhibuissent testimonium aut per se praeclarius aut acceptius Nobis pietatis studiique sui erga ipsam Apostolicam Sedem atque erga parentem Congregationem. — Sed enim mens et voluntas Nostra cognita satis declaratаque erat ex subiectis ad cetera capita quaestionum responsis. Scilicet ad caput secundum hoc modo positum : « Utrum consulendum et quonam pacto Missionibus et rationi « studiorum, eiusque rei gratia retinenda ne disciplina de uno « eodemque tirocinii domicilio ? » responsum est : « Placere ita « consulendum, ut ne aliae postea suscipiantur missiones, nisi « de Apostolicae Sedis venia, delectisque ad id opus monachis, « doctrina et exemplo probatis ; ut praeses, definitores provin- « ciales in monasteriis habeant sedes ; ut cursus et ratio studio- « rum ad normam Constitutionum (cap. XVII) exigantur, hoc « praeterea suasu, ut alumni optima spe praelucentes, Romam « doctrinarum cognitione plenius perfectiusque imbuendi mit- « tantur ; ut unica omnibus sit ponendi tirocinii domus ; ut con- « ventus seu capitulum generale ex iis dumtaxat titularibus fiat « qui iurisdictione potiantur. » Quae consulta et voluntatis Nostrae significationes, ad id quod Nobis tantopere erat et est in votis concordiam nempe et profectum universae Sodalitatis, rectissime singula conducebant. — Primo enim, ne Monasteriis onera adderentur ad ea quibus fatigata et paene oppressa languescunt, provisum, nullas postea missiones, nisi concedente Apostolica Sede, suscipiendas. Tum, ne iuniore aetate monachi, quum non satis vel scientia instructi vel legitima disciplina essent conformati, missionali muneri addicerentur, neve in coenobiis ob sodalium paucitatem communia officia iacerent, praescriptum, ut id muneris monachis imponeretur doctrinae laude et integritate exempli probatis. — Item, ad excitanda studia sancta,

pientiae et ad pristinum decus revehenda, praescriptum, ut eorum ratio ad optimam normam Constitutionum exigeretur, alumnis autem praestantioribus maior quaedam petenda esset Romae perfectio. Sic etiam, coniunctionis causa monachos inter conventuales et missionarios, utque Missionum totiusque Congregationis rectio in Monasteriis adstricta consisteret, iussi praeses, definitores, provinciales degere in coenobiis atque ex regula vivere; quo simul persuasum haberent, utramque vitae rationem, monasticam et missionales, apposito inter se cohaerere. — Praeterea, ut commune sibi esse propositum, etsi per diversa officia assequendum, alumni omnes mature tenerent, praescripto confirmata de unico tironibus probandis exercendisque domicilio. Postremo, ne in capitulis generalibus, superante missionariorum numero conventuales décédèrent, adhibita cautio ut, sublata consuetudine qua ius ad ea conveniendi suffragiique ferendi titularibus, ut loquuntur, vel potestatis expertibus permittebatur, illis proprie attribueretur qui cum iurisdictione praeessent. — Ob eandem causam illi ipsi delecti Cardinales, ad quaestionem quintam: «Reformandae ne et quibusnam modis « constitutiones Anglo-Benedictinae ? » responderunt : « Censere « se reformandas, hac mente, ut ex ipsa Congregatione quin« que viri designentur, scilicet Praeses generalis et quatuor sub « eo monachi in consilium vocati ; quorum sit Constitutiones « recognoscere, et referre quae, salva earumdem re, novanda « videantur : qua in opera suus etiam sit locus et responsis « datis ad superiora quaestionum capita, et decretis recentibus « *Super statu Regularium* de novitiorum cooptatione ac pro« fessione, et immutatis in Anglia rei sacrae civilisque condi« tionibus ; ita demum ut Sodalitas, integro quidem instituto « Missionum, de religione tamen et studio monasticae legis, a « S. Benedicto traditae, nihil admodum remittat, quin immo « acrius ea quotidie intendat. » Ex quo omnino sequebatur quaevis praescripta, cum sancta Patris legiferi disciplina minus congruentia, quae necessitas quaedam per impedita tempora adiecisset, ea deinde, conversis compostisque rebus de Constitutionibus demi atque abrogari oportere.

Istis Nos causis permoti, ad tuitionem et incrementa Familiae Anglo-Benedictinae, quo voluntatum inter alumnos consensione studiorumque conspiratione felicius vigeat ; quo possit ad priscae Sodalitatis, unde continuata existit, amplitudinem gloriae enixius

procedere ; quo ipsius opera in colendis missionibus uberiore cum fructu succédât, auctoritate Nostra Apostolica haec decernimus et praecipimus :

I. Derogantes Urbani VIII Constitutioni *Piantata,* ex qua parte regimen attingit Congregationis Benedictinae et missionariorum in Anglia, munera provincialium pariterque binas missionales provincias delemus ac deletas edicimus.

II. Missiones quae ibi nunc sunt, et quotquot, concessu huius Apostolicae Sedis, a Congregationis alumnis sint ibidem constituendae, coniungantur omnes cum Monasteriis, ab eorumque Praepositis gubernentur, quorum iurisdictioni, tum in sacris :um in externis rebus, missiones et missionarios subiicimus; iura vero sint salva Episcopis aliisque Ordinariis per sacros canones constitutionesque apostolicas reservata.

III. Facultates et privilegia Provincialium vel Deflnitorum propria, quatenus curam spectant missionum et missionariorum, quocumque illis modo, sive ab Apostolica Sede, sive ex capitulis generalibus vel constitutionibus, tributa, ea omnia ad Praespositos monasteriorum transierimus, adeo ut ipsi eorumque consiliarii facultatibus et privilegiis fruantur omnibus quibus illi antehac fruebantur.

IV. Iidem vero Praepositi, in iis quoque rebus quae sunt ad missiones et missionarios, Praesidi generali consilioque eius sint dicto audientes; neque, nisi scientibus illis et consentientibus, monachum ullum missionibus destinent.

V. Praeses generalis et consilium eius dent operam, ut adolescentes alumni ad doctrinas et monasticas virtutes ratione gravissima instituantur : neque committant, ut quisquam addicatur missionibus, cuius non exploratam habuerint ad id munus indolem et facultatem ; quod si alumni desint idonei, per vicarios e clero externo curent supplendum.

VI. Praeses generalis, collatis consiliis cum coenobiorum Praepositis, provideat quemadmodum missionarii quotannis possint in sua quisque monasteria secedere, ibique aliquandiu, nec mense minus, esse, ut sanctioris disciplinae usu statoque piarum •exercitationum curriculo animos reficiant et excolant.

VII. Ad haec iubemus, certum consilium quamprimum cogi, ex Praeside generali, tamquam moderatoris ex Praepositis qui nunc sunt coenobiorum, tribusque Monachis prudentia imprimis et doctrina spectatis, quos ipse legerit Praeses ex iis qui mis-

sionibus vacant. Talis consilii haec sint mandata: primum, ut iam constitutas missiones assignet inter monasteria; facta ipsi potestate, nova etiam pro communi missionum bono constituendi: alterum, ut capita pecuniae, quae apud Provinciales in missionum procurationem deposita sunt, excipiat et aequas in partes tribuat monasteriis, a quibus in posterum secundum Constitutionem Nostram *Romanos Pontifices,* editam die VIII maii anno MDCCCLXXXI administrentur: tertium, ut novum Constitutionum ordinem conficiat, in quo dirigendo adhaereat praesentis Constitutionis decretis, diligenterque respiciat ad ea quae sunt antehac sancita, de integra legitimaque communis vitae disciplina observanda, de unica tirocinii domo habenda, de sede Praesidis generalis consiliique eius in coenobiis tenenda, de vocandis ad capitula generalia, neque praetermittat recentia decreta *super statu Regularium* de novitiorum cooptatione ac professione. Mandatis primo et alteri, intra sex menses ab hac edita Constitutione, tertio autem intra annum, ab ipso consilio sit satisfactum.

Igitur quaecumque his litteris decreta ac declarata et sancita sunt, ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, nec ea notari, infringi et in controversiam vocari posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, Nostrae Cancellariae Apostolicae regulis, Urbani VIII aliisque Apostolicis etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis consuetudinibus ac praescriptionibus; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Nonagésimo, Pridie Idus Novembris Pontificatus Nostri anno XIII.

A. CARD. BIANCHI PRO-DAT.
M. CARD. LEDOCHOWKI

VISA DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco f& Plumbi

Reg. in Secret; Brevium.

I. CVG-NONIVS.

LITTERAE in forma brevis Sanctissimi D. N. Leonis XIII quibus indulgentiae conceduntur, occasione qua solemnia fiunt in honorem s. Aloisii Gonzagae XI Kalendas iulias huius anni, elapso, ab eius morte, spatio trium saeculorum.

Opportune quidem et auspicato contingit, ut XI kalendas iulias hoc anno sacra solemnia in honorem SANCTI ALOISII GONZAGAE trium saeculorum a beatissimo exitu eius elapso spatio, sint memori pietate peragenda. Nuntiatum Nobis est, ex faustitate huius eventus mirabili amore pietatisque studio exarsisse animos christianorum adolescentium, quibus optima sane huiusmodi occasio visa est, ut suam in caelestem iuventutis Patronum voluntatem et reverentiam multiplici significatione testarentur. Et id quidem evenire videtur non in iis tantum regionibus quae sanctum Aloisium terris coeloque genuere, sed late ubicumque Aloisii nomen et sanctitatis fama percrebuit. Nos iam a tenera aetate angelicum Iuvenem summo pietatis studio colere assueti, cum haec novimus periucundo laetitiae sensu affecti sumus. Deo autem opitulante confidimus eiusmodi solemnia non vacua futura fructu christianis hominibus, nominatim adolescentibus qui Patrono tutelari suo honores cum habebunt, in cogitationem facile deducentur clarissimorum virtutum quibus Ille, quoad vixit, ceteris in exemplum enituit. Quas qui, dem virtutes cum secum cogitent et admirentur, sperandum est fore ut adiuvante Deo animum mentemque suam ad eas velint informare, studeantque fieri imitatione meliores. Neque certe catholicis iuvenibus proponi potest praestantius ad imitandum exemplum illisque locupletius virtutibus quarum laude florere iuvenilem aetatem desiderari maxime solet. Ex vita enim et moribus Aloisii possunt adolescentes documenta plurima capere, unde ediscant qua cura et vigilantia vitae integritas et innocentia sit servanda, qua constantia castigandum corpus ad restinguendos cupiditatum ardores, quomodo despiciendae divitiae contemnendique honores, qua mente atque animo tum studiis vacandum tum cetera omnia aetatis suae officia et munia implenda, quodque his praesertim temporibus maximi est momenti, qua fide, quo amore sit Ecclesiae matri et Apostolicae Sedi adhaerendum. Siquidem angelicus Adulescens seu domesticos inter parietes degeret, seu nobilis ephebus in Aula Hispanica

versaretur seu animo virtute et doctrina excolendo operam daret in Societatem Iesu abdicato principatu adscitus, ubi quod in votis habuerat et praeclusum dignitatibus aditum et vitam omnem proximorum saluti sibi unice impendendum esse gestiebat, talem in omni vitae genere sese impertiit, ut facile ceteris omni laude antecelleret et praeclara relinqueret sanctitatis argumenta. Quapropter sapienti sane consilio qui christianae iuventuti instituendae et erudiendae perficiuntur, sanctum Aloisium proponere solent tamquam nobilissimum ad imitandum exemplum, obsequentes consilio Decessoris Nostri Benedicti XIII. qui iuventuti studiis deditae praecipuum Patronum caelestem Aloisium constituit. Quare egregiam sane meritorum laudem sibi comparare videntur illae catholicorum iuvenum societates, quae non modo in italicis, sed etiam in externis urbibus sunt institutae eo proposito, ut huiusmodi Aloisiana sollemnitas singulari cultu celebretur. Nos non latet quantum studii operaeque illae contulerint in apparandis honoribus, qui toto orbe catholico Angelico Iuveni deferentur et quantam adhibeant curam ut catholicorum pietate pariter ac numero praestent piae peregrinationes vel ad natale solum Aloisii vel ad hanc almam Urbem quae castas eius exuvias asservat et colit, suscipiendae. Pueris etiam, ut accepimus, puellisque oblata est ratio testandi Aloisio puri amoris et pietatis suae quasi primitias : pagellae enim late sunt diffusae, augustis iam nobilitatae Nominibus, in quibus ipsi se parentesque tamquam famulos et clientes inscribant. Singulari huic in re optima ardori et sanctis eiusmodi propositis et votis cupimus atque optamus, ut bonus faustusque iuvante Deo exitus obtingat. Interea cum admotae nuper sint ad Nos preces ut in uberiorem animarum fructum caelestibus Ecclesiae thesauris hanc sollemnitatem ditare et decorare velimus, Nos piis hisce precibus benigne annuendum censuimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui triduanas quotidie vel quinquies saltem novendialibus supplicationibus quae habendae sunt ante Aloisiana sollemnia diebus a respectivo loci Ordinario designandis, et vel ipso die festo vel uno ex dictis diebus ad cuiuscumque arbitrium sibi eligendo vere poenitentes atque confessi ac s. Comunione refecti quamlibet Ecclesiam seu Oratorium publicum, ubi festum S. Aloisii celebrabitur, devote visitaverint, ibique pro christia-

norum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero fidelibus qui corde saltem contriti pias peregrinationes ad memorata loca confecerint, et parvulis etiam pro eorum captu eorumque parentibus qui nomina ad promerendum Aloisii patrocinium inscripserint dummodo triduanis vel novendialibus supplicationibus ut supra dictum est adstiterint, septem annos totidemque quadragenas in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissionem ac poenitentiarum relaxationem etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. Praesentibus hoc anno tantum valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die I Ianuarii MDCCCXCI. Pontificatus Nostri anno XIII.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

AQUÉN.

INSTITUTIONIS

Die 6 Septembris 1890.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Maria et Antonia Oliviero, e Liguria oriundae, sed Gadibus in Hispania defunctae, publico instrumento diei 1 Aprilis 1786 statuerunt, ex quibusdam suis peculiaribus bonis capellaniam collativam constitui atque erigi in parochiali et collegiata ecclesia loci *Campo freddo,* nunc *Campo ligure,* aquensis Dioecesis. Primum capellanum in iisdem tabulis elegerunt atque esse iusserunt nepotem suum Marcum Olivero, et post eum passive vocavisse videntur propinquos suos ex linea Olivero prognatos, eaque extincta, archipresbyterum eiusdem loci Campiliguris pro tempore parochum : Episcopo autem ius activum nominandi at tribuerunt.

Ad formam harum tabularum erecto beneficio, primus institutionem obtinuit Marcus Olivero : quo vita functo anno 1836, bona beneficii possedit sacerdos Matthaeus Olivero ; eoque etiam mortuo anno 1844, canonicam beneficii nominationem adeptus est clericus Palladino fundatricibus cognatus. Verum antequam is institueretur nonnulla evenerunt, quae germina sunt iis, super quibus hodie contro vertitur,"et de quibus heic aliqua summatim referre ideo maxime praestat, quia ad hodiernae etiam causae solutionem facilem sternunt viam.

Itaque nominato ab Episcopo clerico Palladino, tum pa-

rochus Campiliguris, tum quidam Christophorus Olivero *nihil transeat* contra eius institutionem opposuerunt, dicentes, nominatum clericum ex fundatricum cognatione, ac maxime in concursu aliorum potiore iure fruentium, non posse ad beneficii possessionem admitti; sed, addebat ex parte sua parochus, se utpote in agnatorum defectu vocatum, esse ex fundationis lege instituendum: dum vicissim Christophorus ex altera parte contendebat, infantulum filium suum, quippe agnatum, praeferri potius oportere.

Adita aquensi Curia ad controversiae definitionem, haec die 24 Aprilis 1845 formalem tulit sententiam, qua decrevit, beneficium esse clerico Palladino conferendum, quia, tabulis et mente fundatricum inspectis, cognati a capellaniae possessione non videbantur exclusi, et aliunde tum parochus tum Christophorus Olivero bonum suum ius cum exclusiva aliorum non evincebant.

Cum vero parochus et Christophorus, qui causa ceciderant, ad metropolitanum taurinense forum provocavissent, ad trutinam iterum causa vocata est, advocatorum allegationes productae, ipsiusque procuratoris fiscalis votum exquisitum, ac tandem die 11 Oct. 1847 sententia ferebatur, qua clerici Palladino nominatio denuo quidem confirmabatur, sed aliis atque aliis ac in prima instantia de causis. Nam de admissione aut exclusione cognatorum a fruitione beneficii tribunal nullum emittendum censuit iudicium, utpote de re ad controversiae definitionem non necessaria, licet tamen non celaverit, in votum promotoris fiscalis, quo cognati passiva vocatione exclusi dicebantur, se maxime propendere; sed tenuit, nominationem clerici Palladino ideo esse probandam, quia ex una parte nullus agnatorum extaret requisita idoneitate, idest clericali charactere insignitus; ut ex altera substitutioni in parochi favorem statutae locus esse non po-

terat usque dum linea seu familia vocata non esset extincta : quapropter retinuit, liberam potestatem Episcopo fuisse sive qua patrono activo sive qua collatori ordinario, in defectu passive vocatorum, quemlibet eligendi.

His itaque causa finita est, et exinde Palladino pacifice usque ad mortem, quae die 21 Novembris 1884 contigit, capellaniam possedit. Quo vita functo in nova beneficii provisione eae difficultates ortae sunt, quae praesenti causae argumentum praebuerunt. Nam sacerdos Dominicus Leoncini, ex cognatione fundatricum supplici libello Episcopum adiit exorans ut beneficium sibi conferretur.

Votis annuens Episcopus die 20 Decembris 1884 oratorem in capellanum elegit ac nominavit, ac de more post paucos dies factam nominationem publico edicto enunciavit, ac fatalia praefiniit, ut si quis ex interesse habentibus aut contra hanc nominationem, aut contra nominati personam aliquid haberet, proferret.

Porro ut olim contra clericum Palladino antiquus Campiliguris parochus, sic modo contra sacerdotem Leoncini actualis paroeciae rector, Matthaeus Bruzzone, surrexit, beneficium petens et protestationem emittens contra collationem cuicumque factam aut faciendam de eodem beneficio. Nam, ait, quum non extent clerici de linea fundatricum, beneficium conferri debet, ex testamento, parocho pro tempore Oampiliguris, et dos eius annecti beneficio parochiali in perpetuum.

Verum quando Petrus Oliveri parochi instantiam cognovit, reconventionali libello excepit aiens : ex tabulis testamentarius erui, parochum Campiliguris vocari ad hoc beneficium quum omnino extincta sit familia Oliveri; familiam hanc nullo modo extinctam dici posse, imo spem masculinae prolis suscipiendae adhuc fovere; hinc haud nuncium

mittere iuri huic pro se suisque descendentibus quoad dictum beneficium.

Exinde quid factum sit plane non liquet. Certum tamen est, post quinque annos, ac praecise anno 1889 exeunte, sacerdotem Leoncini S. C. C. adiisse ad institutionem in beneficium consequendam.

Requisitus Episcopus de informatione et voto, retulit, inter alia; constare in curia episcopali quod in linea agnatorum, qui se solummodo putant vocatos ad dictum beneficium, nunc superesse tantum Petrum Oli veri, qui filias, non masculos genuit, quique natus est anno 1818.

Cum autem canonicus Leoncini ad institutionem consequendam agat, et huic actioni absolute se opponat parochus, et aliquatenus ac iuxta modum Episcopus, hinc quinam sint controversiae termini plane liquet.

Disceptatio Synoptica.

QUAE FAVENT PAROCHO. In primis favore parochi valent, quae iam alias producta sunt, cum Aqui et Taurini de clerici Palladino institutione causa a geretur, nimirum in fundationis tabulis patronatum passivum lineae et familiae fundatricum, idest Olivero, reservari. Atque nomine lineae, agnatio dumtaxat designatur, minime vero cognatio, ut ex disputatis penes Baldum *cons. 321 vol. 1* et Fusarium *de subst. quaest. 346* plane liquet. Pariterque « ex recepto Italiae usu sub nomine familiae demonstrari videntur solummodo agnati, idem cognomen habentes » ceu tradit Pitonius *alleg. 100 n. 192* cum De Luca *de iur. patr. discep. 25 num. 3.*

Quod eo strictius retinendum est, quoties nomini familiae ipsum cognomen additum, prout in themate, reperiatur.

Ex hoc enim agnationem dumtaxat indicari, passim tradunt DD. cum De Luca *tit. loc. discep. 26 n. 3.*

Cum itaque canonicus Leoncini ex agnatione Olivero non sit, sequitur, nullum ex hoc titulum ad patronatum passivum et ad institutionem ius praesumere posse.

Nec magis id desumere valebit ex nominatione ab Episcopo obtenta : siquidem in primis Episcopus asseverat, se quasi falsa opinione ductum, ac reputando oratorem bono iuri innixum, eumdem nominasse; ceterum quominus is ad vacantem capellaniam deputaretur, ipsa fundationis lex obstabat. Nam fundatrices iusserunt, parochum Campiliguris ad fruitionem beneficii succedere quando omnino extincta fuerit familia Olivero, et omnis spes cessaverit quod dictum beneficium consequi possit aliquis descendens ex dicta familia. Porro etiamsi familia et linea Olivero fundatricibus coniuncta penitus extincta dici adhuc non possit, certum sin minus est, spe masculinae prolis, quae dicto beneficio investiri valeat, eam defecisse.

QUAE PAROCHO ADVERSANTUR. At ex altera parte considerandum occurrit, quod quae de linea et de familia a DD. traduntur proprie ad patronatum activum pertinent ; et idcirco theoriae superius expositae eodem rigore urgendae et applicandae in activo aeque ac in passivo patronatu non videntur. Imo in genere, ipsa elementari aequitate suadente, retineri oportet, fundatorem suos, sive agnatos sive cognatos, praesertim proximos, extraneis praeferri in beneficii fruizione semper voluisse. Quapropter in themate praesumptio atque aequitas canonico Leoncini, utpote proxime coniuncto, magis quam parocho, qui a sanguine et cognatione fundatricum est alienus, certissime favent.

In eumdem quoque sensum finis in fundatione intentus concurrit; nam sorores Olivero fassae sunt ad capellaniae

erectionem se devenire eo consilio ut ministrorum Dei numerus augeretur. Atqui si capellanía tam cito atque facile, extincta agnatorum linea, cum parochiali beneficio consolidetur, hic fundationis finis prorsus deficeret.

Accedit quod in fundationis tabulis haec nomina *linea, familia* propinqui* coniuncti* promiscue accipiantur , unde iterum confirmari videtur mentem fundatricum non esse, quod in sola agnatione ius patronatum passivum coarctetur, sed ad alios etiam sanguine coniunctos extendatur.

Nec satis ; nam vox *linea,* quae per se atque in generali difficilioris interpretationis est, in nostro tamen casu optimam habere posse videtur explicationem. Sciendum namque est ex Bartolhomaeo Oliveri, qui sub initium saeculi XVI Tridento Campumligurem venit, et stipes familiae habetur, duas lineas Olivero esse prognatas, alteram ex qua capellaniae fundatrices et cuius agnatio nunc in Petrum Olivero desinit, alteram ex qua plures adhuc sunt agnati, Petrus, Ioannes, Mathias, etc. Iamvero nil prohibet dicere, quod fundatrices, quoties lineam nuncupaverunt, intellexerint sectionem illam familiae Olivero ad quam ipsae pertinebant, in oppositione ad aliam sibi remotiorem ; et idcirco in nostro casu lineam sumptam quidem esse in oppositionem ad aliam lineam, at minime ad excludendam cognationem.

Ceterum quidquid de hoc peculiari quaestionis puncto retineri placeat, legentibus fundationis tabulas saltem id firmum esse debebit, parochum ius passivum ad beneficium sibi vindicare non posse, nec nominatum ab Episcopo excludere, usque dum familia Olivero *totaliter extincta* non sit, eidemque *sublata penitus spes successionis.* Atqui, eo praesertim tempore quo canonicus Leoncini ad beneficium fuit nominatus, extincta totaliter non erat familia Olivero, nec spes successionis eidem penitus ablata ; nam Petrus Oliveri in ea

adhuc erat aetate, in qua prolis procreatio, etsi difficilis, impossibilis tamen nullo pacto est.

Hisce animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An sacerdoti Leoncini institutio in capellaniam s. Mariae sub Castello *danda sit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re cognita sub die 6 Septembris 1890 censuit respondere : *Affirmative.*

MELEVITANA

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 6 Septembris 1890.

Per summaria precum

COMPENDIUM PACTI. Canonicus Salvator Schembri testamento anni 1858 etcodicillis annorum 1860 et 1863 statuit, ut ex redditibus nonnullorum fundorum dos tribueretur puellae 18 annorum, descendenti a Francisco Ioanne Schembri, cum praelatione tamen favore puellarum , quae religiosum statum amplecterentur ; et disposuit etiam, ut illae quae in aetate 40 annorum adhuc nubiles essent consequi valerent eandem vim pecuniae, quam constituit in dotem pro puellis nuptias ineuntibus.

His praemissis sciendum est, ferme ante annum Felicem Marmara eiusque sororem, et Annam Rosso una cum duobus suis fratribus , qui tam a parocho quam ab Episcopo consanguinei dicuntur canonici Schembri, pii legati instituto-ris, et magna egestate laborantes, supplici libello oravisse, ut ex hoc legato aliquod sibi subsidium praestaretur.

Prima vice preces reiectae sunt responso , *lectum.* At iterum oratoribus instantibus quaestio definienda proponitur supremo EE. PP. iudicio.

Disceptatio Synoptica

PRECES RESPUENDAE VIDENTUR. Ne a suscepta semel sententia recedatur et preces exaudiantur , militat imprimis sanctissimum illud iuris principium quod iubet fundatorum voluntates servari, et nonnisi ex iusta et necessaria causa mutari, iuxta *cap. 6 sess. 22* Conc. Trid.*

Accedit quod in hac subsidiorum dotalium materia, quaecumque detractio aut imminutio fundorum in detrimentum cedat vocatorum ius ad dotationem habentium.

Quod in casu, de quo agimus, magis elucet, si perpendatur legatum constitutum fuisse pro mulieribus in Domino aut in saeculo nupturis, aut quae in caelibatu manentes quadragesimum aetatis annum excesserint : dum e contra in precibus petitio est pro fratribus simul et sororibus, et iis quidem, saltem probabiliter, iuniore adhuc aetate fruentibus. Unde laesio interesse habentium et subversio legis legati luculenter apparet. Eo vel magis quod fundator iusserit , si forte contingat ut quaedam redituum exuberantia verificetur et vocatae feminae desint, reditus in augmentum sortis ad futurorum eventuum cautionem cumulari.

Demum ad precum exclusionem quaedam ratio disciplinaris etiam occurrit, idest, ut ait Episcopus, ne augeantur petitiones de ultimarum voluntatum commutatione.

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. At ex adverso stat quod ipse in primis legati institutor casus praevident subsidii extra nuptias suis consanguineis praestandi, si puellae quadragesimum annum célibes excesserint. Nec obest quod

in fundationis tabulis feminae dumtaxat vocentur; nam haec, si velint, possunt sine fundationis laesione ius suum cum fratribus dividere. Nec magis facessit quod oratores in themate iuniore adhuc aetate fruantur ; nam in primis hoc certum non est ; sed eo etiam admisso , iusta causa non deesse videtur ut anticipatio in subsidii praestatione fìat, et in hac parte fundatoris praescriptis derogetur.

In primis enim, in hisce terminis , de gravi voluntatis commutatione res non esset ; ac praeterea cum agatur de consanguineis proximioribus sanguine fundatori, ut scribit Episcopus et magna egestate laborantibus, ipsa praesumpta fundatoris voluntas in oratorum favorem intervenire videtur. Accedit, quod modo, teste Episcopo, non adsint puellae quae legatum consequi valeant, ac quod demum in legati gestione redituum redundantia verificetur.

Nec praetermittendum est tam legati oeconomum, quam Ordinarium precibus favere easque commendare, ac modum insuper proponere , iuxta quem subsidium praestari posse putant ex libellis 3750 pro una tantum vice, postulantibus in vera egestate positis.

Hisce animadversis quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re cognita, sub die 6 Septembris 1890 censuit respondere : *Pro gratia iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Eminentissimum Parocchi, Vicarium Urbis, et ad curatores saecularium solemnium s. Gregorii Magni, ob delatam ei ante annos 1300 summam Ecclesiae potestatem.

Dilecte Fili Noster, et Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Praeclarum studium, quo incensi estis, ut ex vestris litteris agnovimus, ad memoriam celebrandam S. Gregorii Primi, huius Romanae Ecclesiae Antistitis, saeculo tertiodecimo exeunte a Natali Summi Sacerdotii eius, Nostrae in eum venerationi, Nostrisque votis apprime respondet. Non potest enim non esse nobis gratissimum singulares honores habere clarissimo illi Ecclesiae lumini, et huius Romanae Sedis ornamento, cuius praestantibus meritis aeternum laudis testimonium tribuit, Magni cognomine indito, grata benevolentia aequalium, confirmavitque concors admiratio posteritatis. Datus quippe Ille catholico Orbi divinitus visus est ut divinae benignitatis consilii et suscipiendis maximis rebus ad Ecclesiae et humanae societatis opem, difficillimis temporibus, fidus administer adlaboraret. Ipso enim operam navante revocatae ab erroribus gentes, dissita Regna ad Christi fidem traducta, caelestis doctrinae rivis irrigata saecula: flagrantissimi Eius pro re christiana studii uberrimos cepere fructus Orientis Ecclesiae, 'cepit Hispania et Gallia, cepit Africa magnis asperitatibus et incommodis obnoxia : ac dum Romani Imperii mole disiecta vis barbarica in hac Italia dominabatur, Ipse in magna rerum perturbatione, magnisque temporum aerumnis, animi excelsi et invicti magnitudine christianae humanitatis assertor et propagato!*, solatur calamitatum, propulsator iniuriarum fuit, per Eum vis et arma Potentium veritati et iustitiae cessere, Eiusque patrocinio felix haec regio praesidium solatium salutem invenit. Dignissimum itaque tanti Decessoris Nostri meritis, et pietate vestra consilium a vobis susceptum est, cum memoriam initi ab eo Pontificatus post decem et tria saecula oblatam, publicis honoribus prosequi decrevistis : par est enim insignia decora quae ad Ecclesiae gloriam pertinent, a fidelibus recoli in lucemque proferri, opportunum etiam rationi temporum, quibus firmare animos oportet fortibus et constantibus exemplis, nec

minus dignitati huius Urbis consentaneum de eo Viro gloriari, quem nascentem excepit, cuius mortales servat et colit exuvias, cuius supremi ministerii paternas curas opemque praecipue experta est, nec non praestantibus meritis novum sibi honorem et gratiam apud omnes gentes sensit accessisse. Et quoniam amplissima est seges gloriae eius, a divina benignitate profecta, ex qua bona cuncta dimanant, percommode ac merito censuistis, immortales ante omnia Deo gratias habere, qui tantam virtutem in Ecclesia sua excitavit, ac mira per eam opera et salutaria perfecit, deinde monumenta ingenii virtutisque Pontificis incliti rerumque quas gessit amplitudinem quantum fieri potest, in doctorum hominum conventibus commemoratione et praeconio complecti, nec praetermittere immortalia caritatis eius exempla caelestibus illustrata prodigiis, quibus honorandis non litteras, sed facta verbis potiora, pium scilicet caritatis epulum adhibendum, felici consilio statuistis. Nacti igitur estote praeclaro pietatis studio, quo affecti sunt animi vestri, atque efficite ut sicut ad gloriam Pontificis Magni, quem colitis, ita etiam ad utilitatem et documentum aetatis nostrae, res ab illo gestae, commemoratione vestra reviviscant. Nihil enim aevo nostro utilius et salutarius, quam si ex Magni Gregorii saeculo documentum capiatur, quantum divina Ecclesiae virtus polleat privatis ac publicis malis vel avertendis vel sanandis, ubi ipsa queat, amotis impedimentis, suam opem erga homines exercere, et quo magis silentibus in eam infensis studiis, rationi et aequitati relinquitur locus; eo magis tranquillitati humanitati et faustitati civitatum et Imperiorum consultum esse. Non enim cum mundo et sapientia saeculi, sed cum Ecclesia columna et firmamento veritatis est Christus, omnium instaurator quae in caelis, et quae in terris sunt, a quo qui defecerunt quid valeant efficere, tristis rerum experientia, et labes ac detrimenta nostrorum temporum docent. Ad horum malorum conspectum, Nos vota Nostra pro communi hominum salute ad Deum effundere non intermittimus, nec dubitamus eadem Vos Deo in solemnibus quae acturi estis oblaturos, ab Ipso postulantes, ut quemadmodum S. Gregorii Magni consilio, labore, constantia publicorum malorum vis et acerbitas eius aetate resedit, ita adversi fluctus, quibus nunc miserrime iacta tur Ecclesia et humana Societas, Viro sanctissimo in caelis suffragante, conquiescant. Hac spe erecti omnia fausta

piis solemnibus, quibus operam datis ominamur, et Apostolicam Benedictionem, sincerae dilectionis Nostrae testem, Tibi Dilecte Fili Noster, Vobisque Dilecti Filii singulis universis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die x Februarii Anno MDCccxci Pontificatus Nostri Decimotertio.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

AQUEN. SEU MASSILIEN.

MATRIMONII

Die 9 Augusti 1890.

Sess. 24 cap. **6** De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Huiusmodi causa die 16 Februarii 1889 proposita sub dubio, *an constet de matrimonii nullitate in casu:* sequenti responso dimissa fuit « Quoad raptum non constare : quoad clandestinitatem fiat processus per Episcopum Lausanen. et Geneven. cum facultate subdelegandi ad tramites instructionis dandae a defensore vinculi matrimonii. »

Processu iuxta iussa peracto, die 9 Augusti 1890 causa reproposita fuit sub dubiis, tum a vinculi defensore tum a mulieris patrono communi consensu concinnatis, tam raptum, quam clandestinitatem pertingentibus.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Actricis patronus, ut evincat clandestinitatis vitio matrimonium laborare, recolit prae primis, illud, in Helvetia celebratum esse die 5 Octobris 1865 in cappella S. Iacobi a sacerdote Luder eiusdem cappellae re-

ctore et vice parochi fungente in districtu S. Mauritii Agaunensis, quo in loco certissime neuter sponsorum domicilium habebat ceu constat ex omnium testium depositione et maxime ex ipso parochi Agaunensis testimonio, qui ideo in parochialibus ecclesiae S. Mauritii codicibus retulit, Lazarinae cum barone d' Outhoorn matrimonium a se celebratum fuisse in vim delegationis a Parocho Mantel traditae « *en vu des publicationsj, et de la délégation du curé Mantel de Vevey.* »

Quin dicatur, sin minus ex delegatione sacerdotis Mantel, qui erat parochus paroeciae Vevey, matrimonii valorem subsistere. Quandoquidem ne Vevey quidem domicilium aut quasi domicilium sponsos habuisse orator contendit; nam ex concordi testimonio actricis et rei conventi liquet, perdurantibus tribus mensibus, qui a fuga seu raptu usque ad matrimonium intercesserunt, huc illuc semper vagasse.

Accedit quod ipse baronis vitricus, Petrus Marquet, qui in privigni auxilium in Helvetiam occurrerat , statim ac triste eius facinus cognovit, fidem facit quod Alfridus de una in alteram urbem cum Lazarina iugiter pergebat, quia timebat ne in iustitiae manus incideret; et ideo non sine labore et difficultatibus sponsos invenire se potuisse.

Quae cum ita sint, orator affirmat quae de domicilio aut quasi domicilio baronis in oppido Vevey dicuntur , nedum falsa videri, sed insuper mendacii coarguendum esse parochum Veveyensem qui ausus est asserere, sponsos trium mensium spatio in Vibisci parochia commoratos fuisse.

Ceterum etsi detur baronem, ad effectum contrahendi matrimonii, tres menses commoratum esse Vevey; nihil tamen causa quasi domicilii proficeret; nam habitatio in aliquo loco, quam non comitetur animus ibi permanendi per maiorem anni partem, canonicum quasi domicilium non inducit et idcirco ad effectum valide contrahendi matrimonium inutiliter obiicitur. Iamvero quod Alfridus animum non haberet commorandi per maiorem anni partem in oppido Vevey eruitur tum ex testimonio Petri Marquet ab actrice

confirmato, quin ipse Alf r idus contradicere valeret; tum ex facto quod, vix peracto matrimonio, sponsi Genuam petierint et ibi per tres annos domum habitaverint, quam ante matrimonii celebrationem Alfridus conduxerat.

Nec melius instauratur matrimonii causa ex implexa illa delegationis historia, quam narrat sacerdos Gignoux, antiquus parochus loci *Nyon** nunc vicarius generalis honorarius Episcopi Genevensis. Hic namque affirmat, se a domino Guiol, vicario generali Massiliensi nunc defuncto, potestatem verbo tenus accepisse controversum huiusmodi matrimonium celebrandi. Se autem in vim acceptae potestatis cum expressa subdelegandi potestate ad id muneris substituisse sacerdotem Mantel parochum loci Vevey; qui, cum nollet ad matrimonii benedictionem ipse procedere , potestatem suam transfusit in alium, idest in parochum S. Mauritii, qui denique matrimonio adstitit.

Complexam enim huiusmodi historiam a veritate prorsus aberrare, eique nullam fidem esse praestandam contendit actricis patronus, primum, quia parochus Veveyensis Mantel in epistola, qua ad celebrandum Lazarinae et baronis mamatrimonium delegabat S. Mauritii parochum , ne verbum quidem facit de facultatibus a Vicario Guiol mediate vel immediate habitis; quin imo se proprium sponsorum parochum, ex falsis utique suppositionibus, se praedicat, et qua talis S. Mauritii parochum delegat.

Ulterius; cum sacerdos Gignoux suis litteris praedicaverit huiusmodi delegationem a Vicario Guiol sibi collatam fuisse coram Petro Marquet; hic rem prorsus negavit. Imo nedum de data delegatione nil audiisse, nil cognovisse idem testis affirmat, sed addit se potius audiisse eam fuisse negatam.

Et huius testis depositionem in magno pretio habendam esse, quia confirmata fuit testimonio notarii Maurel, qui rogatus quid ipse sciret de controversa hac Vicarii Guiol delegatione, respondit se audivisse tum a Reimonet, tum a Massol d' André qui cum Vicario Guiol de re loquuti fue-

rant, ipsum petitam delegationem denegasse, quia probe noscebat huiusmodi matrimonium a sponsae familia reprobatum fuisse.

Quae cum ita sint, patet datae a Vicario Guiol delegationis unicum produci testem sacerdotem Gignoux.

Porro si unus testis nullus testis dicitur, etiam in casibus magis obviis, a fortiori talis iudicandus erit, quando contra illius asserta duo contrarii testes et scriptum documentum, prout in casu, exhibentur ; et multo magis etiam quando unicus hic testis suspectae fidei sit : quandoquidem ex testimonio sacerdotis Broglie erui datur Emum Mermillod quandoque dixisse *M. Gignoux a su agir très-légèrement.*

Accedit quod delegatio, quae a Guiol data contenditur, nimis vaga et generalis extitit, et idcirco forte neque nota,, neque acceptata a delegato, prout iura requirunt. Et insuper neque iuxta terminos, quibus praesumitur data ad executionem demandata videtur. Asseritur enim vicarium Guiol sacerdoti Gignoux vel cuilibet Sacerdoti ab ipso designando iurisdictionem praebuisse nuptiis benedicendi : vicissim habetur, quod Gignoux neque ipse nuptiis benedixit, neque ipse parochum designavit qui eisdem benediceret ; sed qui designatus fuit, nempe parochus S. Mauritii, potestatem suam a parocho Vibisci recepit.

Age vero cum « interpretatio favore matrimonii nullatenus locum habeat in matrimoniis quae contrahuntur spretis Ecclesiae solemnitatibus quae de forma requiruntur » iuxta ea quae in *Florentina Matrimonii 26 Iulii 1854* et *Limana Matrimonii 1 Februarii 1868* penes S. C. C. traduntur; hinc autumat orator nullatenus posse controversi huius matrimonii validitatem praesumi, sed qua clandestinum et nullum idem esse omnino reprobandum.

Gradum post haec faciens patronus ad aliud controversiae punctum, nempe ad impedimentum raptus, repetit atque ex integro in sua allegatione inserit, quae hac de re narrat actrix, et cohaerenter deponunt D. Rambert, Emmanuel Gavot, Victor Bertagne, Alfridus Laval eiusque uxor

Ludovica, quinque nempe testes, quatuor priores de visu, ultimus de auditu mariti, qui omnes iisdem pene substantialiter verbis describunt subitam puellae aggressionem, oppressionem, violentam abductionem, eiusque deliquium, dum in currum immittebatur. Quae tamen omnia cum in praecedenti causae folio relata fuerint, brevitatis causa heic omittuntur. Cum autem antiquo civili et ecclesiastico iure consentiente, Tridentinum *sess. 24 cap. 6 de reform, matr.* statuerit « inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium ; » hinc, censet orator, hac etiam de causa, nullum declarari oportere matrimonium S. Mauritii initum, dum Lazarina in raptoris baronis potestate adhuc plene manebat. Constat enim ex actricis assertis, confirmatis ab eius matre, a notario Maurel, ab ipso Petro Marquet, baronis vitrico et testibus de visu, Lazarinam suspicioso animo fuisse continuo a barone custoditam.

Neque in aliquo pretio haberi valet baronis eiusque amici Bonifay assertum, nempe Lazarinam per plures dies in coenobium quarumdam monialium in oppido S. Mauritii concessisse , ibique spiritualibus exercitiis vacasse. Hoc siquidem falsum putidumque prorsus mendacium esse apparet, tum ex Lazarinae assertis, tum maxime ex concordi testimonio Petri Marquet, canonici Gignoux et actualis parochi S. Mauritii, qui factum nedum negant sed impossibile dicunt et comprobant. Idipsum confirmat actualis S. Mauritii curio, qui ait, neque tempore celebrati matrimonii neque postea monialium coenobium in oppido S. Mauritii extitisse.

Quin ex adverso dicatur Lazarinam in raptum consensisse fugamque seipsam provocavisse. Siquidem cum ex testimonio Lazarinae matris, Aemiliae Gauttier, Christinae Marcoste, plenissime constet, Lazarinam amore iuvenis Ducrot captam fuisse, baronem vero aversione iugiter prosequutam esse, plane sequitur consensum in fugam coniurationemque Lazarinae cum barone inter aegrae mentis somnia esse amandanda. - Quin imo cum qui testes fortuito

fuerunt de Lazarinae abductione, resistentiam puellae, eius oppressionem violentamque asportationem describant, hoc ipso consensum eius in raptum explodunt atque elidunt.

Nec instaurari posse argumentum, ex assertionibus Aloysii Bonifay. Nullam enim fidem huic homini accomodandam esse ait, qui, ut refert notarius Maurel, inimicus est Lazarinae ob antiquas familiae inimicitias, qui insuper est socius et amicus Alfridi, qui, ex testimonio Petri Marquet, baronis vitrici provectaque aetate sua omnino venerabilis, asseritur capax patrandi delictuosas actiones ipso periurio graviores, qui in ipsa sua depositione falsum in re gravissima (nempe quoad libertatem Lazarinae donatam et spiritualia eius exercitia ante matrimonium) asserere non est veritus, qui denique iudicem « supplex postulavit ne D. Lazarina unquam sciret quae ipse Bonifay in audientia deposuerat ».

Nec maior auctoritas adscribi potest sacerdoti Baudin, utpote qui 11 annos natus erat quum Lazarina abducta fuit e conventu loci Cabot; et maxime quia confitetur, se prorsus ignorare utrum Lazarina raptori restiterit.

Quoad moniales denique observat patronus, eas primum, contra ipsa elementaría iuris principia, una simul coram iudice apparuisse ab eoque excussas fuisse: et cum deinde iterum, sed singulae seorsim, interrogatae fuerunt, aut in contradictiones incidisse, aut tam vagas et de auditu notitias retulisse, ut eorum depositio frustranea nulliusque valoris fiat.

Quae cum ita sint raptus violentiam in dubium vocari non posse, orator autumat. At etiamsi, prosequitur, aliquis de hac re dubitaret, et consentientem Lazarinam habere mallet; non ideo raptus crimen elueretur. Nam certum est impedimentum raptus in iure canonico haberi, quoties raptus adsit « *iuxta terminos iuris civilis.* » Atqui, ut utar verbis cl. Cuiacii *tit. 13 lib. 9 c. De rap. virg.,* « sumitur hodie quod est in usu, ut qui clam parentibus duxit puellam pro raptore habeatur, etiamsi volentem dixerit; quia nec velle videtur puella, etiam propter vitium levitatis et sexus mobilitatem. » Et infra: merito igitur qui seductam

duxit clam iis a quibus, uti decebat, petenda erat, pro raptore habetur, et tenetur poena huius constitutionis. » Idemque prorsus repetit Voet *ad Pandect. lib. 48 t. 6 n. 4;* Faber *Cod. lib. 9 tit. 9;* Card. Fuscus *conci. 5 v. Rapina.* Haspreet *De inst. imp. lib. 4 De matr.** ipseque demum Card. Riganti *ad reg. 49 Cariceli, n. 66** qui ita dilucide hanc quaestionem proponit : « Sed an raptus committatur respectu mulieris volentis et consentientis, respondeo, quod si violentia non intercedat et mulier sui iuris sit, idest neque in potestate parentum, nec sub cura tutorum existat, raptum non committi communiter tradunt. Versatur igitur difficultas quando mulier consentit abduci, invitis seu insciis parentibus aut tutoribus. Et in hac quaestione licet in duas partes se scindant doctores, attamen sensus tribunalis Sacrae Rotae fuit, quod committatur raptus ob iniuriam quae fit parentibus, seu tutoribus , non obstante consensu mulieris — Et hanc sententiam priscis etiam temporibus secuta fuit S. C. Concilii.

Sane cum huiusmodi dubium die 24 Iaunarii 1608 coram S. C. C. esset propositum, nempe, « *an raptores mulierum* quae raptui consenserint comprehendantur quoad poenam matrimonii prohibitionem* » sequens prodiit responsum : « Concilium Tridentinum procedere etiam muliere volente, dum tamen sit raptus iuxta terminos iuris civilis, tam quoad nullitatem matrimonii, quam quoad poenas. » Notat autem Card. De Luca *I. cit.* quod ex omnibus Emis Patribus huic sessioni praesentibus « unus Card. Montisregalis existimavit Concilium procedere quoad nullitatem matrimonii, non autem quoad poenas; sed ceteri omnes putarunt Concilium sibi vindicare locum etiam quoad poenas. » Doctissimus hic canonista uti insuper observat, optimo sane iure S. C. C. sanxisse raptum quoque censeri quando mulier consensit; aliter enim, ait, « istud decretum conciliare adeo accurate editum remaneret de viento (sic), atque numquam vel nimium raro esset verificabile, si esset intelligendum de illo raptu tantum, qui fieret cum violentia positiva. »

Cum autem, in themate, ipsis adversariis fatentibus, constet, Lazarinam utpote aetate minorem sui iuris minime fuisse, sed sub matris ac familiae tutela: et cum pariter exploratum et in confessis existat, matrem ac patruum Lazarinae eius nuptiis cum barone prorsus dissensisse ; hinc , dato et non admisso quod ex partium collusione Lazarinae abductio contigerit, adhuc tamen iuxta patronum de raptu constare videretur, et ideo recedendum esse a decisis quoad hoc punctum putat idque magnopere poscit.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. EX adverso vero vinculi defensor ad clandestinitatis obicem removendum in primis considerat a die 15 Iunii 1865, qua abductio contigit, ad diem 5 Octobris, qua matrimonium celebratum est, unam fuisse baronis et Lazarinae curam sollicitudinemque, validas inire nuptias; et hac una de causa eos in Helvetiam venisse ibique tamdiu esse versatos , quia ibi facilius finem suum consequuturos sperabant, ut expresse baro deponit.

Neque ad hunc effectum solus laboravit baro, sed eum pro viribus adiuvarunt quatuor spectatissimi sacerdotes, de quibus Emus Mermillod in suis ad S. C. C. litteris amplissimum fert testimonium.

Neque inficiandum omnia rite processisse: quandoquidem parochus Gignoux a Vicario Guiol delegatus cum amplissima potestate subdelegandi, potestatem suam transfusit in Veveyensem parochum Mantel. Parochus autem Mantel cum sacerdoti Luder in scripto documento omnes facultates transmiserit, quae sibi datae fuerunt, sequitur quod canonicus Luder qua legitimus subdelegatus haberi debeat.

Quod si haec delegationis ratio non arrideat, iam alia in promptu est optima iuxta defensorem responsio : si quidem dum matrimonium celebrabatur, praesens aderat ipse parochus Gignoux, qui omnia et vidisse et audisse testatur.

Nec refert quod ex Petri Marquet depositione in dubium revocetur data a Vicario Guiol delegatio , nam , contendit defensor, nullam huic viro praestandam esse fidem , quia dum in Helvetia cum privigno versabatur, ut nuptias faci-

lins conciliarem, consensit « à passer pour oncle » Lazarinae, dum patruus vel avunculus eius minime erat, et (prout hodie deponit) eam raptam esse sciebat.

Nec pariter movere quidquam potest notarii Maurel auctoritas; nam ipse de relato vel a Lazarinae patruo vel a patrui Lazarinae amico, refert, Vicarium Guiol dixisse, nullam se ad hoc matrimonium delegationem dedisse, nec huic negotio unquam se immiscere voluisse. Porro in primis suspecta videtur fons unde haec notarius Maurel hausit : aut etiam, admissa rei veritate, ex prudentia et timore id dixisse vicarium Guiol supponi optime potest; ne scilicet in poenas incideret, quas lex civilis gallica contra sacerdotes decrevit, qui matrimonium ecclesiasticum ante civilem ritum celebrant.

Post haec vero quanti facienda sit obiectio, quod nempe in commissoria epistola parochi Mantel ad parochum S. Mauritii pro matrimonii celebratione, nulla expressa mentio facta sit de suscepta a Vicario Guiol delegatione , quisque facile intelligit. Licet de cetero sustineri verosimiliter possit per verba « tous les pouvoirs qui sont en ma possession » sacerdotem Mantel non obscure indigitare aliam, praeter ordinariam potestatem, parocho S. Mauritii se committere.

Nec ad existentiam delegationis in dubium revocandam quidquam facessere putat defensor, quod ex adverso adhuc obiicitur, nempe sacerdotem Gignoux unicum esse datae delegationis testem : ipsum vero potuisse agere « très-légèrement » prout, ex testimonio sacerdotis Broglie, ipse Emus Mermillod olim dixisse fertur. Quandoquidem in primis epistola sacerdotis Broglie, in aestu litis expiscata et extraiudicialis, nihili facienda videtur, praesertim cum ipse Emus Mermillod, datis ad S. C. C. peculiaribus litteris, eumdem Gignoux « parochum zelo et prudentia insignem » potius renunciet.

Quod vero sacerdos Gignoux unicus datae delegationis testis existat, non nocet. Ex auctoritate enim Barbosae *De off. et pot. Episc, alleg. 32 n, 128** Sánchez *Be malr.*

lib. 3 disp. 37 n. 5, Mascard *conci. 984* scimus « asserenti licentiam proprii parochi contrahendo matrimonio requisitam non intervenisse, quando contra eam, opponitur a tertio, incumbere onus probandi. Ubi enim matrimonium est contractum, debet probari quod non intervenerit parochus proprius, nec licentia. » Atqui in themate hanc licentiam haud intervenisse minime evincitur; nam eam expresse affirmât Gignoux, qui eam recepit, et confirmat baro d' Outhoorn: de ea mentio suboscura forte fit in epistola parochi Mantel ad parochum S. Mauritii : et si de ea parochus S. Mauritii in libris parochialibus memoriam non fecit, id contigit ut Vicarius Generalis Guiol poenas a lege civili gallica statutas evitaret. Quod si quis suspicari malit de hac re in codicibus parochialibus mentionem ideo non dari, quia authentica documenta ad rem"%cientia ablata sunt, temerarius non videbitur ; nam nonnulla sublata esse, Emus ipse Ordinarius dolet.

Admissa vero delegationis veritate , matrimonium iuxta defensorem ex duplici capite subsistit, tum nempe quia celebratum est coram legitime subdelegato, tum quia subdelegans ipse praesens aderat. - Quod autem legitime subdelegatus fuerit sacerdos Luder plane sequitur ex ipsa amplissima formula qua Vicarius Guiol potestatem suam in sacerdotem Gignoux transfusit. Quando enim « Ordinarius delegans subdelegandi facultatem concessit, tenendum est delegatum inferioris iudicis posse subdelegare » ceu expresse tradit Sánchez *Be matr. lib. 3 disp. 31.* Itaque quum Vicarius Guiol potestatem Gignoux fecerit matrimonio adsistendi vel per se vel per alium a se designatum, praesentia sacerdotis Luder legitima procul dubio debet haberi.

Ceterum ipse adstabat sacerdos Gignoux. Et quamvis obiter et qua spectator ibi esset, tamen eius praesentia, iuxta sacramenti vindicent, sufficiens debet censeri, « quoniam etiam coram parocho cum fraude et dolo ad id vocato, sive etiam expresse dissentiente ac fugiente aut per vim detento, seu aures claudente ut non audiret, valide matrimonium

contrahitur; cum eius praesentia seu interventus materialis sufficiat, consensus autem non requiratur; dummodo tamen ipse ac testes intelligant, seu intelligere possint. » De Luca *Discep. 26 n. 27 Adn. ad S. Conc. Trid.* Quae est etiam opinio S. Rotae in *Romana Matr. cor. Ursino* 4 Feb. 1869 penes De Luca *Mantissa decis. 5 lib. 14** ubi insuper auctoritas fertur S. etiam C. C, quae in *Ciennen.* 26 Iulii 1582 statuit « non valere matrimonium si (sacerdos) non intellexit, nisi affectasset non intelligere », et in *Sarzanen.* 16 Februarii 1684 declaravit, matrimonium sustineri, etiamsi parochus non intellexerit verba sponsae, dum tamen de illius consensu ex aliis signis iuxta iuris communis dispositionem legitime constet. »

At hoc etiam omisso, imo dato quod praesentia sacerdotis Gignoux, utpote omnino perfunctoria, inutilis evaserit per se et directe, utilis sin minus facta est indirecte, quatenus scilicet sacerdotis Luder matrimonio benedicentis auctoritatem roborabat per tacitam quamdam ratihabitionem de praesenti, quam optime valere ad matrimonii validitatem docet Sánchez *De matr. lib. 3 disp. 35.*

Ceterum contendit defensor, quod etiam penitus praescindendo a delegationis quaestione, matrimonium legitimum debet haberi, quia sacerdos Gignoux ait, sponsos, volente parocho Mantel, in loco Vevey domicilium suscepisse; matrimonium vero post quinque hebdomodas celebratum fuisse. Porro cum de commoratione in loco Vevey, saltem per mensem ante matrimonium constet, ex celebri constitutione ad Archiepiscopum Goanum consequi, defensor contendit, matrimonium illud validum haberi debere. Defensor enim cl. Perrone sententiam protuetur, qua docetur ad quasi domicilium et parochum proprium pro matrimonio obtinendum non requiri habitationem cum animo ibidem permanendi per maiorem anni partem, sed sufficere ut quis spatio unius mensis commoratus in paroecia sit. Quae tamen opinio quanti facienda sit EE. PP. aestimabunt.

Verum neque heic subsistit sacramenti vindex; sed ultra

procedens argumentosam invocat theoriam, de iis qui cum matrimonium ineundi ius habent, parochum vero *omnino* adire non possunt, ut in Gallus non raro contigit, grassante elapso saeculo revolutione, valide coram testibus etiam sine parochi praesentia contrahere certissime valent, prout expresse tradidit Pius VI in epistola ad episcopum Lucionensem anno 1793. Quo posito sic in re nostra argumentatur sacramenti vindex : divina et ecclesiastica lege inspecta baro et Lazarina ius certe habebant matrimonium ineundi : atqui quominus id facerent lege civili prohibebantur in Gallus; Lazarina enim 16 annos nata tunc erat, et ex civili iure ante annum duodevicesimum a nuptiis absolute arcebatur, post duodevicesimum usque ad quintum et vicesimum, nonnisi de parentum consensu , qui in themate non erat sperabilis, ad nuptias admittebatur; ideoque ne divina et ecclesiastica lex frustraretur, et sponsi a iusto iuris exercitio prohiberentur, ubilibet extra patriam contrahere poterant, quasi iure vagorum.

Piis de clandestinitatis vitio dictis, ad impedimentum raptus gradum faciens defensor, in primis observat, S. C. Concilii semel iam edixisse non constare de raptu; cum autem nil novi hoc in puncto ulterius hodie producatur , idcirco rationes, quibus a suscepta sententia recedendum sit, prorsus deesse.

Iustissimam autem fuisse praecedentem S. C. C resolutionem , ex eo evinci quod quinque testes , qui de raptu testificantur, non sint omni exceptione maiores. Sic e. g. Emmanuel Gavot in primo examine alia prorsus et opposita ratione ac in secundo loquitur.

Porro haec diversitas loquendi magis ad actricis intentioni morem gerendum, quam in obsequium veritatis videtur facta, praesertim cum diversa factorum aestimatio excusari aut explicari non possit ex diuturno temporis lapsu inter unam et alteram depositionem et ex diversa testis aetate et iudicio magis provecto; nam breve tempus unum inter et alterum examen intercessit.

Ceterum non de raptu, sed de fuga ex condicto, imo rogante et instante praecipue Lazarina in themate agi, probatur 1. ex testimonio Aloysii Bonifay, qui literas se vidisse et legisse affirmat a Lazarina ad Petrum Marquet scriptas, et per amicam famulam, Aemiliam Gautier nomine, transmissas. Confirmatur 2. ex publica fama, quae non tam ex barone, quam ex aliis pluribus indiciis et argumentis originem habuit. Sic sane monialis Maria a SSmo Corde quae eo tempore penes familiam suam in paroecia Mazargues, intra cuius fines est conventus S. Margaritae loci Cahot, refert, se tunc audivisse baronem d' Outhoorn per Aemiliam Lazarinae epistolam misisse.

Idemque affirmant vicarius paroeciae Mazargues, monialis Rigaud a S. I. Baptista, et Maria a S. Familia. Quae imo alia indicia de conspiratione ad fugam referunt; nempe lumen multa de nocte intempestive accensum in cubiculo Lazarinae, frustula carnis coram vigilis canis cubili residua, frequens ac studiosa Lazarinae deambulatio penes illam viridarii maceriam, per quam deinde abductio seu fuga contigit; quae omnia moniales et alumnae, quae in monasterio tunc versabantur attente notarunt.

Quin imo Maria a S. Dominico refert, Lazarinam, postquam in Galliam reversa est, dum invisit moniales loci Cabot, suas olim moderatrices, candide confessam esse, se cum barone de fuga e conventu saepenumero egisse.

Quibus si adiungantur sibili auditi quo tempore abductio contigit, non dubium certe signum intelligentiae et coniurationis, - ingressus puellae in coenaculum et subita egressio, quin cibos gustaret, - ac deinde nullus Lazarinae in litteris questus ob passam violentiam nullaque de raptu querela non matri, non consanguineis, non monialibus, idque per plures menses et annos; profecto de raptus existentia dubitari merito potest. Quin dicatur a barone toto eo tempore custodita ita fuisse Lazarina, ut locus et tempus sine arbitro scribendi ipsi deesset. Quandoquidem id verisimile haud est, imo moraliter impossibile videtur, ut baro per tres aut qua-

tiior menses usque ad matrimonii celebrationem ita vigilanter obsederit puellam, ut ne ad horam quidem ipsa potuerit sua libertate uti, et matri aut alii pro lubitu scribere.

Posito autem quod Lazarina in fugam seu raptum consenserit, iam de impedimento actum esse defensor iudicat, nam « raptum qui sub decretum Concilii cadat non haberi . . . ., 1. si vir *sine dolo* mulierem ex condicto abducat, eo quod tractatus de matrimonio ob parentum oppositionem non potuerit concludi. 2. Neque verificari raptum si non vir, sed mulier virum sollicitaverit, ut ab eo abduceretur. In his duobus casibus dicenda est potius fuga mulieris cum viro, ut *liberius* matrimonium contrahant, quam raptus. » Ita sane Avanzini in *ephem. Acta S. S. vol. I p. 54,* cuius conclusiones maxime laudat et extollit Ballerini in notis ad Grury *De matr. u. 857.*

His perpensis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

I. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad raptum in casu.*

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam,

IL *An, constet de matrimonii nullitate ex capite clandestinitatis in casu,.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, omnibus maturo examini suppositis die 9 Augusti 1890 respondere censuit: Ad I *In indecisis.* Ad II *Negative* (1).

(1) Quaestio eadem, proposita sub dubio an constaret de matrimonii nullitate, praecipue ob raptum, relata fuit Vol. XXI, 593.

rito -

MEDIOLANEN.

MATRIMONII

Die 9 Augusti 1890.

Sess. 24 cap. **1** De reform.

COMPENDIUM FACTI. Quidam Victorius Zacconi, iuvenis auriga mediolanensis, deperire coepit adulescentulam 16 annos natam, plumariam denticulato et reticulato opere addictam, nomine Virginiam Pozzi.

Post annum circiter, cum puella viro in amore respondisset, de matrimonio agi inter eos coepit. Ferunt autem acta processus, quod antequam nuptiae celebrarentur tam Virginia quam eius parentes praemoniti et instructi fuerint de probabili Victorii impotentia. Nihilominus hac illâve de causa contigit, ut quod ponderandum maxime erat, omnino haberetur. Et sic die 3 Octobris 1885, Mediolani, in parochiali ecclesia s. Gottardi nuptiae Victorium inter et Virginiam initae sunt.

Sed ne duobus quidem elapsis annis, idest die 1 Augusti anni 1887, mulier viri domum improvviso fugit , apud matrem se contulit, et sine mora actionem nullitatis matrimonii, ex capite impotentiae viri, coram utroque foro instituit.

Causa civilis cito absoluta est; nam laicum tribunal, acta inspectione in corpore Victorii per peritissimum medicum chirurgum Achille Turati, die 2 Februarii 1888 sententiam tulit, qua matrimonium Victorii et Virginiae propter impotentiam absolutam, antecedentem ac perpetuam, viri nullum et irritum declarabat.

At maioribus difficultatibus causa ecclesiastica haesit. Nam vir novae inspectionis subesse prorsus absoluteque negavit, et vix ac non sine labore induci potuit ut coram ecclesiastico iudice se sisteret. Uxor autem confessa est, nuper libidine abreptam cum alio viro concubuisse, et ideo haud posse virginitatis experimentum praebere. Denique vero ad

septimam testium manum nonnisi paucissimi ex utraque parte producti sunt.

Post haec Archiepiscopi!s, qui putabat sententiam in tanto actorum defectu haud sibi ferre licere, et alioquin ulteriora comparari minime posse, rem universam S. Sedis iudicio subiecit, transmittendo acta ad S. C. C.

Ex voto defensoris vinculi penes S. C. Congr. placuit, peritiam medici Turati examini subiici alicuius peritioris, scientia et honestate apprime perspecti: et idcirco die 4 Februarii 1889 rescriptum est *exmo 1). Dr. Taedii Venturi pro examine et zelo.* Hic vero perlectis actis, sententiam suam reddidit aiens, Victorium esse ineptum copulae carnali ex vitio insanabili per artis remedia.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Consultor canonicus praemonuit controversiae fundamentum versari in determinando, an acta in processu mediolanensis Curiae collecta, talis ac tanti momenti sint, ut *plene* evincant, matrimonium, ob viri impotentiam antecedentem ac perpetuam, invalidum esse ac nullum. Ad matrimonii enim dissolutionem ex causa impotentiae procedendum non est, nisi cum maxima circumspectione et obtenta *plena* impotentiae probatione, uti testantur Schmalzgrueber tom. IV p. *2* tit. 15 n. 70, Reiifenstuel *lib. IV tit. 15,* aliique Doctores fere omnes, post glossam in cap. fin. De frig. et Malefic.

Hisce praemissis, actis processualibus maturo examine perpensis, ait Consultor, prae oculis in primis haberi debet depositio Virginiae Pozzi; quae iuridice interrogata respondens 14. ac 15 interrogationi sub sanctitate iuramenti affirmat, Victorium Zacconi per integrum biennii spatium qualibet fere nocte tentasse copulam coniugalem, infelici tamen exitu, cum nunquam perforatio facta fuerit; et addit mulier, neque memini illum f udisse semen.....Idem repetit in responsionibus ad 18, 19 ac 26 interrogationem. Neque infirma-

tur assertio mulieris per responsionem viri ad 8 interrogationem deponentis : usque a prima condonationis nocte Virginiam f udisse sanguinem a pudendis ob introductionem mei virilis membri. Nam in aliis responsionibus, uti in quarta ac ultima, sibimet contradicit fatendo propriam impotentiam. Victorius in citata responsione joctava deponit se introduxisse virilia in membrum genitale propriae uxoris. Ex hoc autem non descendit, matrimonium consummasse ; consummatio enim intelligitur per copulam perfectam, illam nempe qua saltem vir seminavit. Hinc ReifFenstuel *loc. cit. n. 14* habet, verum adesse impedimentum impotentiae , « si vir, sive ex proprio, sive mulieris defectu vel omnino non, vel non intra vas feminae seminare potest, etsi cum illa congredi et vas illius penetrare valeat. » Certum denique in iure est quod, si coniuges discordes sint, illius iuramentum retinetur verum, cui ceterae concordant probationes , quae non consummationem confirmant; iamvero non consummatio matrimonii ex inferius dicendis sat probata apparebit.

Depositio Virginiae Pozzi roboratur testimonio ipsius matris Mariae, quae cum iuramento in responsione ad 4„ interrogationem habet : se vidisse Victorium nudum, occasione ebriefatis, et insuper subiecisse eundem iudicio medici qui retulit, Victorium haud esse matrimonio aptum. Quibus cognitis, eadem Maria institit apud matrem Victorii, ne coniugium celebraretur, quod nullo modo obtinere potuit. Inito verum matrimonio, ipsum consummatum non fuisse ob impotentiam praefati Victorii fatetur in responsione ad 5. interrogationem. Non absimilia deponit mater Victorii, quae a iudice interrogata n. 8 deponit : sese vidisse filium in infantia, membrumque illius parvum fuisse et uncum. Haec omnia maiorem vim accipiunt ex attestatione Augustini Rosa qui, factis Evangeliis, post monitiones de iure super sanctitate iuramenti factas, iuramento fatetur, se cognoscere Victorium, eiusque parentes a quibus certior factus fuit de filii impotentia.

Iuridicae depositiones, quas exposuimus, roborandae es-

sent de iure inspectione corporum utriusque coniugis. Verum iudex ecclesiasticus non potuit proponere inspectionem mulieris; haec enim inspectio supervacanea fuisset, cum amplius non aderant virginitatis indicia. Nam ipsa mulier fatetur virginitatem amisisse per copulam habitam cum fabro lignario, habente habitationem domui suae proximam. Idque fecisse ob sensuales incitationes passas cum viro suo.

Quod factum testatur Victorius in respon. ad 7. interrogationem et parentes utriusque coniugis. Omissionem autem inspectionis mulieris, docent Doctores, nullam facere difficultatem, quoties constet solidis rationibus impossibile mulieri fuisse, ut cognosceretur a viro. Quae impossibilitas in tuto forsitan posita esset, si vir cogi potuisset a iudice ecclesiastico ad subeundam proprii corporis inspectionem per peritos ab eodem iudice designatos : quod continuo recusavit. Quamvis autem corporalis viri inspectio facta non fuerit per peritos, a Curia archiepiscopali mediolanensi deputatos; nihilominus in actis processualibus habentur attestationes duorum medicorum Stephani Campiglio atque Achillis Iurati. Primus Victorium inspexit, coniugio non adhuc contracto cum Virginia. Alter inito iam matrimonio, iussu et auctoritate saecularis potestatis, antequam sententiam nullitatis contractus civilis proferret.

Medici praefati fide digni atque in arte experti, uti testatur Archiepiscopus, interrogationibus de iure factis a iudice ecclesiastico, cum iuramento reponunt, Victorium Zacconi, laborare impotentia coeundi ac foecundandi; hanc impotentiam esse eidem congenitam, aut saltem matrimonii celebrationem antecedere; impotentiam esse perpetuam et insanabilem mediis medicis. Quas conclusiones deducunt ex factis inspectionibus. Votum ab eisdem elaboratum, transmissum fuit ad Archiepiscopum mediolanensem, a quo iuxta instructionem habitam a praefato Rmo Defensore Vinculi ex officio, iterum accersiti fuerunt Achilles Iurati ac Stephanus Campiglio : qui iuridice interrogati an diligenter examinato voto doctoris artis medicae Tacchi-Venturi possent testifica-

ri Victorium Zacconi talibus vitiis affectum esse, quae ex sententia antedicti Tacchi-Venturi impotentiam extra dubitationis aleam ponerent; clare, explicite ac distincte cum iuramento reposuerunt, Victorium Zacconi talibus organicis vitiis affectum esse, quae iuxta votum doctoris Tacchi-Venturi certam faciunt impotentiam eiusdem Victorii. Hoc idem iisdem fere verbis deponit Achilles Iurati.

Post haec , sive ex depositionibus iuratis coniugum, eorumque parentum, sive ex attestationibus medicorum mediolanensium firmatis ex voto D. Tacchi-Venturi haberi, ut videtur, in casu, solidam ac plenam probationem certae impotentiae viri, antecedentis, insanabilis ac perpetuae. Hinc pronunciandum esset pro nullitate matrimonii. Cum autem S. C. C. etiam in casibus, in quibus habebatur plenior impotentiae viri probatio, uti in causa Burgi S. Domnini *21 Apr. et 25 Aug. 1877* et in Florent. *27 Ian.* eiusdem anni, elegit procedere per *viam gratiae** relicta *via iustitiae.*, consulendo nempe SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, videndum est an in nostro casu, posita non consummatione matrimonii, quae ex dictis sat probata mihi videtur, causae concurrant dissolvendi coniugium ratum et non consummatum. Et inspectis actis processualibus habemus, impossibilem esse inducere mulierem , ut relicta domo paterna, penes illam coniugis redeat ad instaurandam cum proprio viro conviventiam. Imo, ut fatetur Archiepiscopus, ex restauratione conviventiae, si possibilis foret, nonnisi incommoda et scandala orirentur in civitate. Mulier capta est amore erga alium virum; hinc periculum ne cum eodem civiliter contrahat, cum, uti superius innuebamus, a laicali potestate dissolutus fuerit contractus civilis initus cum Victorio Zacconi.

VOTUM THEOLOGI. Quaeritur, ait, 1. utrum ex actis Victorii impotentia ita clare resultet, ut certi esse possimus, matrimonium de quo agitur non fuisse consummatum; 2. utrum adsint gravia motiva, quae animum Sum. Pont. inducere valeant ad dispensationem impertiendam.

Licet pro certo habeam Curiam mediolan, omnem adhibuisse diligentiam ut processus quantum fieri posset, conficeretur ad tramitem iuris, tamen intelligere nequeo quare ex officio inductus non fuerit testis vir ille, cum quo primum rem habuisse testata est Virginia. Neque enim Curiam latere poterat, ex defectu inspectionis corporalis mulieris, quantum interfuisse!, ex iurata huius viri depositione dignoscere, utrum eam virginem reperierit vel secus. Asseruit quidem Victorii mater, hunc hominem eidem revelasse se eam iam violatam invenisse; at quis fidem praebeat mulieri huic, quae in sua depositione continuis se implicat contradictionibus, ut filii sui potentiam maritalem tueatur ? Aliunde pronum est intelligere quo tendat haec insinuatio. Si hic vir eam corruptam invenit, a quo hoc detrimentum passa est nisi a suo marito? Quamvis in praesenti causa desiderentur efficaciores probationes, quae desumendae fuissent ex utriusque coniugis corporali inspectione, atque septimae manus iurata depositione, tamen ex actis sufficienter probari posse autumo absolutam antecedentem et perpetuam Victorii impotentiam, ita ut in vado ponatur matrimonii inconsummatio.

Primum argumentum mihi suppeditat ipsa Victorii agendi ratio. Ipse enim, ut ex eius, aliorumque iudiciali depositione aperte liquet, Virginiam licet infidelem maximopere avet, nullumque non movit lapidem ut thalamo coniugali eam reduceret. Iamvero ad hunc finem obtinendum, atque ad vinculi coniugalis dissolutionem impediendam, nullum medium efficacius ipsi praesto esse poterat quam inspectioni corporali se subiicere a tribus peritis peragendae, a Curia eligendis, qui, eius potentia ad munia matrimonialia explenda rite comperta, atque iuramento confirmata, iudicem induxissent ad matrimonii sui, cum Virginia contracti validitatem atque indissolubilitatem proclamandam. Quare ergo ab hoc remedio ad opus suum unice efficaci tantopere abhorruit, ut veneno sibi vitam tollere, potiusquam nova corporali inspectioni se subiicere malle asseruerit?

Haec reluctatio nonne indicio est, sibi intime persuasum esse per hanc inspectionem magis magisque confirmatam iri eius impotentiam quae in tribus anteactis inspectionibus proclamata fuerat?

Verum praecipuum argumentum nobis suppeditat corporalis inspectio a duobus peritis facta, nempe a doctore Turati ante matrimonium, et a medico-chirurgo Campiglio a civili magistratu ad hoc officium specialiter constituto. Hi enim unanimiter, praevio iuramento, apud Curiam Archiepis. affirmarunt ex inspectione ab unoquoque eorum facta super corporis Victorii certo resultasse physicam, innatam, atque perpetuam eius impotentiam. Verum quidem est inspectionem ab ipsis factam esse extraiudiciabm, at verum insimul est huiusmodi inspectiones extraiudiciales magnum pondus semper habuisse apud S. Cong. quando inspectio iudicialis haberi nequit atque certo ipsi constat de scientia et honestate peritorum ut in casu nostro.

Duobus antedictis peritis coniungi debet eximius doctor Tacchi Venturi, qui a S. Cong. rogatus, ut iudicium proferret super relationem scripto exaratam a duobus peritis mediolanenses, confirmavit et ipse, licet sub conditione, Victorii impotentiam. Nam triplici ex capite ipsi Victorii impotentiam arguebant, 1. ex extrema tenuitate glandularum seminalium, atque lapidea earum duritie, concidebant eas incapaces ad semen elaborandum; nempe innata laborare atrophia.

Hoc primum argumentum laudatus doctor excludit, quia innata glandularum atrophia influit in totum corpus, cuius evolutionem impedit, aliosque characteres praesefert, qui in Victorio non deprehenduntur. Cui iudicio libenter adhaereo, quia alioquin explicare nequirem, quomodo tam vehementi concupiscentiae ardore excitaretur, ut quotidie copulam maritalem pertentaret.

Secundum argumentum desumebant ex Ipospadia. Hoc quoque vitium non esse per se sufficiens ad impotentiam certe asserendam iudicavit; quia tunc solummodo ipospadia

reddit physice impossibilem immissionem seminis in vagina feminea, quando meatus uretra resi dit in radice penis. At ultimum et decretorium argumentum desumebant ex eo quod per quandam rigidam fimbriam in parte inferiori membri virilis, erectio eiusdem membri, natura unci, praepeditur. Huius impedimenti vim recognovit et admisit eximius peritus in suo voto. Hoc egregii doctoris votum communicatum fuit duobus peritis mediolanensibus, ut post maturum eius examen , apud Curiam archiep. clare atque explicite declararet utrum conditiones ab eo requisitae ad impotentiam Victorii in tuto ponendam, in ipso reperirentur. Qui unanimiter sub iuramenti fide affirmarunt rem ita se habere.

Ex quo elucet, ipsum peritum Tacchi Venturi cum aliis duobus convenire in Victorii impotentia admittenda iuxta illam logicam regulam « verificata conditione, affirmari debet veritas conditionati. » Hisce addi potest sententia tribunalis militaris, qua Victorium ineptum ad militiam declaravit propter defectum debitae evolutionis viriliurn. Haec omnia simul sumpta asserendi ius praebent, ni fallor, Zacconi impotentiam antecedentem, perpetuam, in vado positam esse.

Inquirendum nunc est utrum duae illae conditiones locum habeant in casu nostro, quae ad dispensationem obtinendam requiruntur, nempe matrimonii inconsummatio et grave motivum, quod animum sponte inducere possit ad dispensationem concedendam. Iamvero licet in casu nostro desiderentur omnes probationes iudiciales quae ad normam iuris requiruntur, tamen ipsa Victorii impotentia a tribus peritis asserta et iuramento confirmata, sufficit ad omne dubium rationabile removendum circa inconsummationem matrimonii iuxta illud « a non posse ad non esse valet illatio. » Tam igitur certum est matrimonium non fuisse consummatum , quam certum est Zacconi non potuisse eum consummare.

Haec eadem satis probata viri impotentia grave motivum exhibet ad dispensationem impertiendam, quia coniuges continuo exponerentur periculo Incontinentiae. Neque opponas

hanc viri impotentiam non fuisse iudicialiter comprobatam, ac proinde non omne dubium excludi de matrimonii validitate; quo in casu iuxta regulam iuris semper iudicandum est de valore matrimonii: nam respondet Reiffenstuel, *lib. 4 De frig. n. 28,* « illud procedere quando matrimonium potest consummari et habere suum effectum , bonum scilicet prolis et remedium concupiscentiae; non item si hoc habere nequit, prout fit, existente periculo impotentiae. » Aliam etiam rationem adducit Conscius, *De sep. tor. lib. 3 c. 2,* ad notificandum, dispensationem dandam esse in dubio. Tunc enim, quia agitur de iniuria inferenda, et praeiudicio eidem sacramento matrimonii directa, contraria procedit regula, nimirum quod in dubio standum sit pro exclusione matrimonii: et viva ratione, quia in foro externo, in quo iudicat Ecclesia, tolerabilius et honestius est per canonicas leges et probationes, et iuxta disciplinam Ecclesiae matrimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii, occasionem incontinentiae praebere , et continuum confovere peccatum. »

Aliud motivum est bonum spirituale mulieris. Haec enim iuvenis futuris suis necessitatibus prospicere volens, alium virum probum et honestum, ut testatur Archiep. adscivit qui paratum se praebet ad eam in uxorem ducendam.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS EX OFFICIO. Laetissimi consultores, ait vinculi Vindex, theologus et canonista, quamvis matrimonium irritum affirmare non audeant, ope tamen apostolicae dispensationis succurrendum esse Virginiae censent. Ast, ni fallor, omnibus omnino causis potius quam praesenti quadrai praefatum *gratiae* remedium.

Etenim primum exulat libellus supplex Romano Pontifici de necessitate porrigendus. Deinde, matrimonii inconsummatio quae *remedio gratiae* basim et fundamentum suppeditat, non magis explorata in themate est, quam ipsa matrimonii nullitas.

Porro in confessis est virginale Virginiae claustrum reseratum esse : et coniuges a die 3 Octobris 1885 ad diem

1 Augusti 1887 maritali operi incubuisse cunctis noctibus, neque unquam oppositionem feci, ait Virginia.

Eapropter, si qua Virginiae supersit ex naufragio tabula, ea est matrimonii irritatio ob assertam viri impotentiam. Sed vero argumenta ad hoc in medium allata, neque probationem, neque probationis inchoationem constituunt.

Septimae enim *manus* loco sunt tres testes. Scilicet, Virginiae et Victorii matres, ac quidam Augustinus Rosa. En omnes. Peritorum munere funguntur Stephanus Campiglio et Achilles Turati. Ille ante matrimonii, quod in disputationem venit, celebrationem, corpus Victorii, quasi dicam, ioco lustravit: iste idipsum praestitit laici magistratus imperio.

Modo dictum peritorum specimen in Victorii corpore expletum parvipendo non solum, quia extraiudiciale et omnibus cautelis ad praecavendas fraudes praescriptis destitutum est, sed etiam quia vitia « *ipospadia con atrofia ai testicoli,* » quae tantum commemorat medicus Campiglio, matrimonii consummationi impedimento minime sunt, ut tradit clarissimus archiater Tacchi Venturi, peritus ex officio adhibitus.

Quo vero ad ea quae renuntiat medicus Achilles Tarati, idem Tacchi Venturi omnia spernit; consideratione dignam censet solummodo fimbriam rigidam in parte inferiori penis ; quatenus anormalitas haec retineri velit apta ad impediendam membri erectionem, neque artis remediis sananda.

Non diffiteor medicos Campiglio et Turati, cognito Aesculapii Tacchi Venturi iudicio, testari uno ore praedictae fimbriae rigiditatem eam esse, quae coitum impediat. Ast si vitium adeo enorme medici mediolanenses in corporis Zacconi recognitione speraverunt atque manibus contrectaverunt, eccur, quaeso, de eo, in primo examine, Achilles Turati non nisi obiter egit. Stephanus autem Campiglio nullam prorsus mentionem fecit? Ecquomodo medicus praesertim Campiglio quatuor post annos recordatur quod flocci fecit in ipsa exploratione ?

Huc accedit quod Virginiae agendi ratio inter fabulas assertam Victorii impotentiam amandat. Videte, in quot laqueos se involvent, quorum ex nullo se unquam expediet.

Ne credulissimus quidem iudaeus Apella sibi suadet garrullam puellam tam severo ac diuturno silentio protexisse viri impotentiam prima nocte cognitam ! Virginiam , viro cupidam, per duos fere annos concubuisse cum viro adeo inepto ! Imo Virginiae mater iureiurando testatur Virginiam in domo viri adhuc mansuram, nisi Victorii pater Virginiam comprimere pertentasset.

Tandem Virginia adiecit : virginitatem amisisse cum fabro lignario. Iam vero faber iste lignarius , teste Victorii Zacconi matre, quae in toto examine veritatis apprime studiosa apparet, affirmat Virginiam iam tum virginitatis flosculo caruisse. Si Victorius Virginiam intactam ut Minervam dimisit, non video quam ob causam Virginia potius illum fabrum lignarium, quam verum stupri auctorem denuntiaverit.

Quibus animadversis, propositum fuit dirimendum

Draforam

An constet de matrimonii nuli i t at e in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 9 Augusti 1890 censuit respondere : *Affirmative.*

LUCEORIEN. ZYTOMIRIEN.

MATRIMONII

Die 9 Augusti 1890.

Sess. 24 cap. 1 De reform

COMPENDIUM FACTI. Iterum redit causa de dispensatione matrimonii Zytomiriae initi ab Adamo Bronislao Mielesko-Malinzkiewicz cum Lucia Arcadia Mieleniewska. Cum enim proposita esset die 10 Septembri 1887 sub as sueta rogationis formula, S. C. C. rescribendum censuit: « Dilata et conficiatur novus processus, servata forma const. Benedicti XIV et instr. S. C. C. et iuxta animadversiones conficiendas a defensore matrimonii ex officio. » Modo vero, novo processu peracto, cum iterum proponatur causa, summatim species facti aliaque, quae praecesserunt heic repetuntur.

Adamus et Lucia nuptias inibant die 2 Iulii 1880. Diversa erat nupturientibus aetas : nam 50 annos natus erat vir, 26 mulier; sed mutuus quo flagrabant amor optima quaeque de eorum coniugio ominabantur. At e contra infeliciter contigit, ut discordia inter sponsos cito subreperet, adeoque excresceret, ut post quinque circiter menses mulier viro valedixerit, et apud matrem se receperit. Imo post paucos dies Zytomiriensem Ordinarium supplici libello adierit, postulatum, ut suum matrimonium, nullum ex capite impotentiae declararetur. Affirmabat enim, virum per totum id tempus consummandi) matrimonio imparem semper fuisse, licet omni nisu, adhibitis etiam medicamentis, id perficere contenderet.

Constituto itaque tribunali, primum accersita et examinata est actrix, quae, cohaerenter ad suum supplicem libellum, retulit matrimonium numquam consummatum fuisse vitio mariti, cuius membrum viribus inertem semper manebat, de qua re usque ab initio ipsa conquesta erat cum matre, patre, ancilla, et ad ultimum, antequam a viro discederet, etiam cum aliis ; vidisse virum remediis ad reparandas

et excitandas vires quotidie uti: se autem ab eo nimium neglectam fuisse, quod quidem ei non semel exprobravit, quin tamen de impotentiae defectu aperte eum unquam coarguerit, nisi per litteras postquam ab eo discessit.

Septem testes ex latere mulieris deinde excussi sunt, qui quidem eius dicta et confirmarunt et ampliarunt ; nam de lasciva aut effraenata vita Adami a prima usque iuventute, de acquisito inde forte impotentiae vitio, de publica fama eius imbecillitatis, de medicaminibus ex excitamentis ab eo adhibitis ad hunc defectum arcendum, ac demum de fide adhibenda actricis verbis, unanimi suffragio loquuti sunt. Quin imo omnes, inter quos eminent mater actricis, sacerdos Nireziadkowski; et medicus Krzeskowski, sive directe ab actrice sive de relato amicorum professi sunt se usque ab initio audivisse virum suis officiis imparem evasisse et matrimonium non esse consummatum.

Vir vero utpote reus in causa vocatus adstitit, et inter alia retulit se amasse et amatum fuisse ab uxore sua; sed addit : « Multum apud eam valuit auctoritate inimica mihi persona . . . sacerdos Nireziadkewski, qui licet fere quotidie nos viseret, et plena auctoritate gauderet penes D. Malinzhiewiczam, non tantum non cooperabatur mutuae concordiae nostrae, verum etiam contra me clam machinabatur. » Hoc autem auctore uxorem suam quodam mane petiisse penes matrem suam pransum duci ; eaque occasione divisionem contigisse. Postridie certiorem me fecit, ait vir, quod numquam ad me reverteretur. Et cum rogatus esset, an, quando primum ac quoties copulam attentaverit, respondit : « Duobus diebus elapsis post nuptias, postea vero bis tantum ; copulam tamen perficere non potui, ut puto, ob timiditatem meam et quamdam erga uxorem reverentiam . . . Quum copulam perficere non potuissem, consului medicum Kamieski : quum vero remedia ab illo praescripta nocuissent mihi, ille censuit, me esse sanum, quod ipse expertus sum ; habens omni tempore relationem carnalem cum aliis feminis ; sed timidus erga uxorem. » Rogatus autem quando et quibus

verbis ab uxore sua de impotentia exprobratus esset, ait : « Uxor mea de hoc certiorem me reddidit per litteras quas mihi postridie eius diei qua domum meam deseruit, scripsit. » Conquestus deinde est, quod socrus brevi post filiae nuptias in domum suam venerit, ibi per aliquot hebdomadas consedere, et praesentia sua difficultates inter sponsos auxerit : quod insuper prohibitus fuerit ab uxoris dote administranda, eo quod aere alieno laboraret ; quod grave ipsi fuit et animos invicem abalienavit. Ac tandem conclusit: « Nihil habeo addendum, nisi quod certus sum vitam nostram matrimonialem felicem et concordem fieri potuisse, spectatis nobilibus et optimis qualitatibus uxoris meae, si procul vixissem a personis mihi inimicis, quae pro vocarunt anormalem statum moralem et materialem. Certus sum, hunc processum esse iniustum ; nam causam eius, impotentiam meam, nego. »

Ad septimam manum ex parte sua vir nunciavit nonnisi quatuor testes se producere posse : qui, cum coram iudice stetissent, actoris sui verba firmarunt dicentes, ei credi posse, dignum fide esse, aut omnino fidem mereri.

Praeterea curia medicum Galli et quamdam Alexandram Brantusiewicz ex officio accersivit ad contestanda nonnulla facta in testimonio actricis eiusque septimae manus asserta, et quae ad confirmandam impotentiam mariti plurimum profuissent : at hi, praesertim doctor Galli, evasive prorsus loquuti sunt.

Insuper curavit iudex, ut ex libris rationum officinae pharmaceuticae desumeretur notula medicamentorum Adamo praestitorum durante maritali consortio : quae cum esset exhibita, a quodam consilio medicorum universitatis iudicatum est, haec remedia fuisse « praescripta a medico eo fine ut actionem partium genitalium debilitai ani instaurarent. »

Demum deveniendum fuit ad corporalem utriusque sponsi inspectionem. At tres medici, qui virum examinarunt, eum regulariter formatum edixerunt, et ex inspectione « in eo nihil fuisse repertum, quo impotentia ad copulam perficien-

dam probetur ; sed simul minimae impotentiae huius in dicto viro existendi possibilitatem, prout ibi legitur, negant. »

Pro inspectione autem mulieris electae sunt tres obstetrices, quae postquam a medico Krseczkowshi instructae de more fuissent, in domum actricis venerunt, ubi, matre tamquam honesta matrona adstante, Luciani examinarunt, et deinde retulerunt, hymenem in ea esse intactum, aliasque quas referebant virginitatis notas in eo quoque inveniri, concludentes coitum carnalem cum viro non habuisse. »

In hoc rerum statu ecclesiasticus iudex Zytomiriensis, cnusa discussa, censuit haud posse procedi ad matrimonii nullitatem declarandam ; nam impotentia viri relate ad uxorem suam haud poterat probari perpetua : ideoque die 18 Novembris 1882 decretum tulit *de triennali experimento.*

Quod cum aegre ferret actrix, S. Sedem adiit, et a SSmo supplici libello petiit, ut suum matrimonium qua ratum et non consummatum benigne dispensare dignaretur. Die 17 Martii 18S3 rescriptum fuit Ordinario, ut processum tam super non sequuta consummatione matrimonii, quam super causis dispensationis iuxta formam perficeret.

At paulo post Episcopus respondit, argumenta de non sequuta consummatione et causa dispensationis inveniri in processu Zytomiriae instructo pro causa nullitatis, de quo superius brevis synopsis confecta est ; quem idcirco in latinam linguam verti iusserat et ad S. O. O. transmitti. Causa proposita tandem fuit die 7 Septembris 1887 : sed dilata fuit ut supra dictum est.

Modo vero iuxta instructionem defensoris vinculi iterum et magis ad iuris amussim confecto examine corporali mulieris, et nonnullis aliis testibus auditis, iterum agitur causa cum novis consultorum votis et sacramenti vindicis animadversionibus.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM CANONISTAE. In hac quaestione, ait consultor, sequens proponitur dubium - *An si' consulendam SS ilio pro*

dispensatione a matrimonio rato et non consummato.* - Uti patet, heic supponitur inconsummatio, et quaeritur an sit consulenda dispensatio, ad quam gravissimas requiri causas monet Schmalzgrueber. *Ius eccl. p. 4, tit. 19* et *certum esse non sufficere quamlibet causam, sed omnino gravem postulari* quia in illis casibus* in quibus obligatio nascitur ex iure divino* et naturali urgentiora dispensationis motiva requiruntur.*

1. *An processuales Tabulae sint rite confectae* seu, quod perinde est* an nullo inficiuntur substantiali vitio? 2. An certe* saltem moralité?"* resultet virum esse impotentem ad perfectam copulami* 3. *An revera femina fuerit et sine dubio intacta* et virgo?*

Ad actorum defectus, qui notantur, exploratum est, eiusmodi causas pertractandas esse iuxta normam ab ecclesiastico iure traditam « Princeps autem praescripta norma ad acta eiusmodi conficienda traditur in notissima Benedicti XIV Const. *Dei miseratione, Mansella art. 3* cui additur Instructio S. C. C. an. 1840. Revera, sicuti non immerito observat sagacissimus vinculi assertor, plura sunt, quae ex praescriptis fuerunt omissa, et quae videntur validitati officere, praeter testium contradictiones. Verum enim vero, quum defectus isti seu omissiones *substantialia* non destruunt, et sine difficultate condonari possunt, quemadmodum in aliis consimilibus casibus S. Sedes, pia mater, difficilem non se praebuit, uti notat cl. Mansella « Suprema S. C. Congregatio passim dispensat ab .accurata cit. Const. observantia, *servata tamen in substantialibus*» Propterea etsi quaedam omissae fuerint praescriptiones, puta de iuramento obstetricum, et medicorum, vel de septennario numero et testium depositionibus, qui videntur in aliquid contradici, aliisque notatu dignis, haec non infirmant *substantialia* actorum, cum et viri impotentia et feminae integritas, de quibus praecipue quaerimus, satis moraliter, et physice quoque discutientur et probentur.

Quod ad potentiam viri attinet, ipse idem sub iuramento

asserit copulam tentasse, *nec eam* ***co7i**.su/mmare* *potuisse :* femina e contra iurat per se non stetisse quin copula consummaretur. Cum utriusque depositiones non concordent remanent probationes per testes ex utraque parte vocatos. Sed ex istis deponentibus de relationibus inter Adamum et Luciani non colligitur nisi quaedam animorum alienatio inter eos, et vix eruitur obscure copulae imperfectionem fuisse causam dissociationis, cui additur denegatio Luciae solvendi aes alienum, quo gravabatur Adamus. Sed in Adamo impotentiam, qualiscumque ea fuerit, extitisse ipse fatetur in suo examine. Pharmacis pariter confitetur se usum fuisse ad se excitandum, cum membrum eius *iners esset;* et femina deponit « sanguis post tentatam copulam numquam apparuit » Testes quoque eadem se audivisse deponunt.

Ex quibus collective sumptis, moralis certitudo innotescere videtur, Adamum ad officium coniugale esse impotentem ; et gravis ideo suspicio exoritur de matrimonii validitate, siquidem de essentia est matrimonii, ut coniuges fieri possint una caro, quod evenire non potest, si inepti sint ad veram perfectamque copulam. Ita communiter DD. Atqui pro nunc, seposita validitate, audienda sunt quae ipsi Adamo videntur favere: verum testes fere nihil de copula deponunt: ipse vero loquitur de uxoris instigatoribus sibi inimicis, vel de socru cubiculum separatum assignante etc., quae non videntur magni esse ponderis, ipsique suffragari. Neque pariter ei suffragatur iudicium medicorum testantium ipsum robustum esse virum, eiusque organa genitalia sine vitio reperiri: « etenim iudicium medicorum, excludens impotentiae, vitium ex signis externis, est *fallacissimwm,* quia potest esse internum... Sed eorumdem iudicium circa impotentiam, ex defectu externi vitii desumptum nequaquam est attendendum ad excludendum etiam vitium internum »; Coscius cum aliis *Be sep. thor. lib. 3 c. 2.* Neque tandem eidem favet confessio se pluries rem uxoriam habuisse cum alia, seu cum aliis feminis, sicuti fatetur vir ; nam qui aptus esse poterat cum muliere corrupta, minime vero potuit cum vir-

gine ; idcirco Lucia deponit viri sui membrum in congressu *fuisse inertem** et inde dignoscimus Adamum, ex debilitate virium, vas femineum permeare non potuisse. Dictis hucusque pondus addere videtur ipsius Adami vitae ratio, qui otiosus, et aere gravatus alieno, uxori solutionem deneganti amorem denegavit frigidus factus : quisque autem novit quantum amor mutuus conferat ad maritalem regulariter exercendum coitum. Zytomiriensis sacri vinculi assértor strenue, et erudite in Adamo potentiam ad coitum inesse contendit, sed valide Luciae Patronus obiecta solvit ab adversario argumenta.

Omnia itaque conspirant, ut in Aclamo Bronislai Mieleszko impotentiam existere, saltem morali certitudine, agnoscamus. Sed remanet adhuc quaerendum an *temporanea* sit, an *relativa ?* Non dubito quin Curia, seu iudices Zytomirienses ante hocce dubium constiterint, et suspensa diffinitiva sententia, triennale experimentum, de quo infra, coniugibus indixerint.

Prosequitur consultor : Luciae virginitas physice, et moraliter probatur evidenter per testimonium, iuramenti religione interposita, obstetricum, medicorum aliorumque qui omnia ad eiusmodi inspectionem requisita, saltem substantialiter, adimpleta fuisse testantur ; videlicet in Lucia, postquam e thalamo recessit, reperiri signa, characteres et argumenta certa perfectae virginitatis, « et grave argumentum habetur ex hymenis integritate, qui consistere non posset, ubi hominis irruptio totum obicem confregisset, ideo ut corrupta virgo sine hymenis laceratione fìngi nequeat, *Act. S. Sedis vol. XVI p. 219.* E contra in viro indicia moraliter certa habentur impotentiae, qui licet cum uxore condormierit, numquam tamen coniugalem actum consummare, et perficere potuit. Unde ex processu satis evidenter eruitur tum inconsummati ex impotentia, tum uxoris virginitas, quae luculenter demonstratur.

Ast curia Zytomiriensis de impotentiae veritate profecto dubitavit, quam *temporaneam** aut *relativam* fortassis

existimavit, et hac in hypothesi, abstinens a nullitate coniugii declaranda, triennale iussit experimentum. Standumne erit huic sententiae, an consulendum sit SSmum Principem pro dispensatione, emam enixe postulat Lucia ?

Consultores theologus, et canonista stant pro dispensatione impetranda. Prior tenet matrimonium valide fuisse contractum, sed *ratum* mansisse, et *inconsummatum,* ideo locus dispensationi : alter vero admittit impotentiam in viro esse moraliter certam, sed non iudicialiter, defectu plenae probationis : nihilominus concludit cum theologo pro dispensatione, aut potius pro dissolutione matrimonii, cum nullum irritumque putet.

Praevia itaque actorum sanatione, quam saepe elargiri solet ab hac S. C. respondendo ad dubium in themate propositum, existimo consulendum esse SSmum Principem pro dispensatione, vel dissolutione, cuius potestatem nefas esset in controversiam revocare. Sed in re tanti momenti causae iustae, imo gravissimae requiruntur, cum agatur de iure divino, naturali et ecclesiastico indissolubilitatem matrimonii obfirmantibus, ceu patet ex Trid. *sess. XXIV,* et ex D. Thoma, *Suppl. 67, 2.* In praesenti casu causae graves, et iustae non desunt. Concesso quod de impotentia cum Zytomeriensi curia dubitandum esset, hoc stante dubio, docet Cosci cum pluribus aliis, *lib. 3 c. 2 § 386,* « standum est pro exclusione matrimonii, ea viva ratione, quia in foro externo... tolerabilius, et honestius est per canonicas probationes, et iuxta ecclesiae disciplinam, matrimonium dissolvere, quam nomine, et iure matrimonii occasionem praebere incontinentiae. » Propterea, addit cl. Mansella *Dis. 111% 35,* « haec S. Congregatio ob hanc principem causam, et forsan ob hanc unicam, non semel pro dispensatione consuluit... » Nec minus habet pondus discordia animorum et apathia inducta, et certe percrescens, inter coniuges, et inde impossibilitas conciliationis. Lucia vero propter Adami impotentiam, quam is forte praenoverat, et medicinis excutere conabatur, coactae continentiae subiiceretur, cum periculo animae suae.

His adde timorem scandali futuri cum haud ignota, sed vulgata sit viri impotentia, et consequentem suspicionem de nullitate matrimonii, idque cedit in magnum damnum commune, sicuti tenent Corrado, Sánchez, et Card. de Luca. Causae itaque iustae, et honestae non desunt, ut Pontifex super hoc, de quo agitur matrimonio rato, et non consummato possit dispensare.

Hisce praenotatis, infirmandam esse patet curiae Zytomiriensis sententiam et *praevia Actorum sanatione,* consulendum SSmum pro dispensatione matrimonii *rati et non consummati** sequenti edoctus exemplo, quod refertur in *vol. XVI Ada S. Sedis pag. 216.*

In una *Olindensis* causa, quae huic nostrae simillima est, et agitata an. 1883 ad secundum dubium: *An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati* et non consummati** S. Congregatio, re disceptata, respondit : *Affirmative* vetito viro transitu ad alias nuptias** cui responsioni haec nota subiicitur: « In themate patet S. Congregationem moralem hausisse certitudinem de inconsummato matrimonio, sed intactam reliquisse quaestionem de viri impotentia, supra quam non omnem deposuit anxietatem, ceu formula vetito viro transitu, etc. satis innuit. » *Acta Sanctae Sedis vol. XIV* 226.*

Cum itaque in nostro themate idem proponatur dubium ac in Olindensi, idem responsum adhibendum esse censeo, videlicet : *An sit consulendum SSmo pro dissolutione etc.** respondeo : *Affirmative.*

Quod si Emis PP. placuerit Adamo imponere interdictionem nuptiarum novarum absque recursu ad hanc S. Congreg, non repugnabo, cum in eo impotentia sit moraliter certa, sed non item an temporanea, vel relativa, ceu curia suspicata est, triennale experimentum praescribens. Verum inopportunum est hoc imponere experimentum, quod hodie haud amplius imponi solet ab Ap. Sede « Ingravescens enim in dies populi malitia ab huiusmodi specimine abstinendum ductum fuit etc. » idque eruitur ex pluribus resolutioni-

bus huius S. Congr., sicuti legimus in vol. XVI *Acta S. Sedis pag. 219.*

VOTUM THEOLOGI. Dubium, ait iste, proponitur solvendum : an sit consulendum SS. pro dispensatione in « rato et non consummato hoc matrimonio Adami Bronislai et Ludae Arcadiae? »

Sententiae affirmativae strenue se opponit cl. Defensor matrimonii ex officio, potissimum quia factum principale scilicet « non consummatio > illi non constat ; siquidem processus pro hac parte in pluribus defuit normae praescriptae a Ben. XIV in Constit. « Dei miseratione. » Praesenti autem habetur, cura S. C. C. alter processus correctus, in quo inspectio corporis mulieris refertur a tribus obstetricibus iuratis peracta, praevia medici et chirurgi instructione, et servatis omnino omnibus, quae in praelaudata constitutione praescribuntur. Et ex hac inspectione concludi posse videtur, Luciam fuisse et esse adhuc integram et intactam, quia non deest ei vel unum ex indiciis, quibus virginitas demonstrari solet.

Conspirant insuper cum depositionibus ultimus processus, testimonia allata in priori, quae etiamsi ut plene iudicialia non habeantur, nihilominus fidem merentur, quia testes sunt omni exceptione maiores et omissio iuramenti a duobus ex istis, error iudicii tantum fuit, ortus ex eo quod iuramentum officii iam praestiterunt. - Admitti praeterea ab Adamo in interrogatione illi facta, et confirmatur iis quae afferuntur de medicamentis et pharmacis frustra ab ipso adhibitis, eo fine ut matrimonium consummare possit.

Allegata circa factum « non consummationis > omnia, ita concordia et coherentia cernuntur ut « dubium rationabile » penitus excludant ; quamobrem sustinendam esse puto, quoad hanc partem, petitionem actricis, et tenendum pro certo « matrimonium inter coniuges nunquam fuisse consummatum. »

Inter causas iustas dispensationis in matrimonio rato et non consummato DD. ponunt « impotentiam supervenien-

tem » ante consummationem. Clericatus. *loc. cit. num. 45** Sánchez, *disp. XVI n. 6.* A fortiori, iusta causa erit si impotentia praecesserit matrimonium et perseveraret ita ut certa dici possit.

Ut suum vigorem aliquomodo tueatur Adamus explicat vana ad copulam tentami na per causas morales ; verum allegata per ipsum in hunc finem, nec fidem nec discussionem merentur, aut contradictoria sunt aut absurda. Neque timiditas, neque éxtasis gaudii paralysim attingens concipi potest in viro quinquagenario vegeto et robusto rebus venereis assuefacto, praesertim cum uxor nullum opponat obstaculum et placentem amabilemque se praebeat : quod quidem inferri potest ex eo quod conquesta sit « se deceptam in omnibus fuisse. » E contra Adamus agnoscit propriam incontinentiam in suo testimonio, quae eius confusio amplificatur in relatione patroni Luciae, ex qua apparet, continuam eius lasciviam, a iuventute usque, rem fuisse notissimam. Affirmatur praeterea ipsum morbo venereo aliquando laborare ; et causae sunt haec impotentiae eius longe probabiliores illis, quas ipse recenset, simul cum toto quod de praesentia in domo socri narratur. Nam socrus ibi mansit per paucas hebdomadas tantum, et quare non consummavit sive ante sive post ?

Concludendo igitur dici potest, ex omnibus disputatis in causa, duo tantum certa et inconcussa manere; scilicet factum « non consummationis » et Adami impotentia, certa in se, sed *dubia* quoad perpetuitatem ; quare salvo meliori EE. PP, iudicio, ait Consultor, existimarem responsum vix dari posse in forma solita. Distinguendum videtur inter ius et factum. Potest absque dubio dispensatio a SSmo. concedi, quia « non consummatio » est certa, et ex hoc solo capite S. C. interdum procedit. Utrum vero *expediat* dispensare in casu non ita certum est ; quia tempus cohabitationis breve fuit - impotentia eius generis non est, quae absolute insanabilis pronuntiaretur - timor scandali. et peccati, visa Luciae aetate, non est gravis - neque graves sunt discor-

diae, nisi, decursu annorum, illae valde creverint. Praeterea neglectu esse non debet, nuspiam in actis apparere documentum aliquod sive Ordinarii, sive parochi ostendens, reconciliationem tentatam fuisse inter sponsos post separationem - neque habetur ulla declaratio de *convenientia* dispensationis ab iis, quibus facile esset, secluso omni partium studio mentem S. C. informare in re tam gravi, qualis est sanctitas sacramenti matrimonii.

Haec sunt, ait Consultor, quae Emis PP. submittenda censeo, quaeque proinde humillime submitto, ex quibus fluere videtur responsum ad dubium « Utrum consulendum SS. pro dispensatione in casu » nempe « Affirmative » previa relatione ab Ordinario requirenda de convenientia huius concessionis.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO.

Vertente anno 1880, sub die 2 Iulii, Lucia Arcadia in aetate annorum octo supra viginti constituta matrimoniale vinculum cum Adamo Bronislay octo et quadraginta annos nato contraxit.

Sed non diu stetit coniugalis amor: quoniam uxor, divite censu praedita, recusavit negotiorum gestionem viro committere. Discordiae vero hac de causa inter coniuges enatae, fastigium imposuit Luciae mater, quae ad novorum coniugum domum profecta, tota in eo fuit, ut filiam ab ipsis quoque maritalibus obsequiis praeriperet.

Elapsis autem ab hymenaeo quinque mensibus, die scilicet 5 Decembris, Lucia viro valedixit ; die 19 eiusdem mensis, causata viri impotentia, irritum proclamavit matrimonium, quod modo contendit validum, sed opere imperfectum fuisse.

Amplissimus vester senatus hac de re consultus, die 10 Septembris 1887 sapientissime rescripsit : - *Dilata et conficiatur novus processus, servata forma constitutionis Ben. XIV et instructionis S. C. C. et iuxta animadversiones conficiendas a defensore matrimonii ex officio.* - Quapropter sinite iam, Emi Patres, ut novae huiusce ad exitum perductae in-

quisitionis tabulas aliquantisper contrectem, earumque expendam pondus.

Ut incipiam a potissimo et unico ferme adversae actionis argumento : specimen in Luciae corpore peregerunt tres obstetrices, quas inter Tecla Mogilnicka et Alexandra Zatuska, in primo etiam processu ad hoc adhibitae.

Iam vero obstetricum Teclae et Alexandrae testimonium cum in altera huiusce causae disceptatione flocci factum sit, quia iuramentum minime praeseferant, etiam hodie mane earum relationem parvipendere debeo. Etenim si primum decipere potuerunt, quia non iurarunt ; deinde paratae fuerunt peierare potius, quam seipsas mendacii redarguere.

Deinde, in anteactis animadversionibus querebamur matronae munere, quod immunitatem a studio partium apprime requirit, functam fuisse actricis matrem. Idipsum lamentatur hodiernis in comitiis. Matronae enim munus expletum est ab Alphonsina Dasrkowska, quae una est ex testibus ab ipsamet *Lucia* inductis.

Ceterum Alphonsina specie tenus matronae officium suscepit. Rogata enim a iudice : « An inspectio obstetricum te praesente facta sit, singillatim a qualibet obstetrice vel forsitan ab omnibus simultanee, num illae inter se consilium inierint... num, praeter illas, aliqua alia persona ibidem adfuerit »? reponit; Ad haec nil respondere possum, cum RE DOMESTICA OCCUPATA FUISSEM... An et aliae obstetrices adessent nescio, quia TUM TEMPORIS AD REM DOMESTICAM ET INFANTES ME VERTI. »

Rursum animadvertebamus, obstetrices in prima inquisitione ad actricis explorationem adhibitas, ab uno tantum medico praedoctas esse. In nova autem inquisitione duo quidem artis medicae cultores obstetrices instruxerunt : at mancam imperfectamque tradiderunt instructionem : adeo ut obstetrices, instructioni inhaerentes, nonnulla de statu membrorum genitalium referant, omissa qualicunque aliarum corporis partium consideratione.

Postremo, in altero processu quatuor solummodo testes

ex latere viri excussi fuerant. Complendum proinde, iuxta BE. VV. mentem, erat *septimae manus* testimonium. Sed nova inquisitio non nisi unum exhibet ex parte viri testem.

Quo vero ad dispensandi causas, cum nihil suppeditet nupera inquisitio, non est cur sive multis sive paucis vos morer. Ideoque finem impono, ad inscriptum dubium postulans responsum - NEGATIVE. -

His itaque omnibus aliisque perpensis, definire remissum fuit EE. PP. quomodonam dimitti posset

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a, matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C, re disceptata, sub die 9 Augusti 1890, censuit respondere: *Affirmative.*

—————-=»-S-©-S-s—=-—————

ANAGNINA

IURIUM ET OFFICIORUM CANONICALIUM

Die O Septembris 1890.

Sess. 24, Cap. 1 de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. In constitutionibus cathedralis Ecclesiae Anagninae statutum est, ut in maioribus solemnitatibus, si Episcopus a celebrando se abstinet, eum suppleat Praepositus, qui unica capituli dignitas est ; quod si Praepositus absit aut impeditus sit, eius vices antiquior canonicus gerat.

Verum contra capituli statuta usus invaluit, ut in tertia Paschae et Pentecostes solemnitate, in die S. Stephani, in secundis vesperis festorum primae classis, quoties Praepositus primas vesperas celebraverit, antiquior canonicus sacras functiones peragat, licet praesens minimeque impeditus sit Praepositus.

Insuper eaedem constitutiones praefìniunt, ut Praeposito duplex portio in distributionibus tam ordinariis quam extraordinariis assignetur; simulque ad normam communis iuris praescribunt, ut quae portio ab absentibus amittitur praesentibus accrescat.

At e contra in processionibus, quoties Praepositus absit, duplex eius portio ceteris non accrescit, sed tribuitur canonico vices Praepositi gerenti : qui mos usque ad annum 1877 constanter observatus dicitur: - unde licet inferre, inde ab anno 1877 constantem sin minus hac de re consuetudinem non obtinuisse. - In funeribus vero, canonico, qui absentem Praepositum supplet, non tribuitur duplex portio de omnibus, sed dumtaxat duplex candela sive intorticium.

Denique cum in praesentiarum antiquior canonicus, qui demens est, coadiutore donatus sit, et in vim Bullae institutionis coadiutor « omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, praeeminentiis, honoribus, favoribus et gratiis, quibus *coadhitus** ratione canonicatus et praebendae praelatorum utitur, fruitur, potitur et gaudet, uti, frui et gaudere possit; » quaestio est, utrum loco antiquioris canonici in solemnioris missae celebratione, et in praecedentia in funeribus et supplicationibus succédât canonicus vicedecanus, idest qui ratione possessionis proximior seniori est, an potius decani coadiutor.

Cum itaque super his non una esset canonicorum mens, concordi consilio S. C. C. adierunt supplicatum, ut sequentium dubiorum solutio daretur :

« I. An in Cathedrali anagnina canonici antiquioris coadiutor, qui ex Bulla gaudet omnibus privilegiis, praeeminentiis et honoribus ad coadiutum pertinentibus, debeat supplere Praepositum absentem vel legitime impeditum in processionibus, funeribus et solemnitatibus maioribus, quibus non intersit Episcopus. »

« Ii. An canonicus antiquior declinare ¡Dossit onus canendi missam conventualem in tertia solemnitate Paschae, Pentecostes, S. Stephani, nec non celebrandi secundas ve-

speras primae classis, quoties Praepositus sit praesens nec legitime impeditus. »

« III. An canonicus, qui supplet vicem Praepositi absentis vel legitime impediti in processionibus et funeribus, ius habeat ad eamdem retributionem, quae eidem Praeposito deberetur si functioni interesset. »

<t IV. An canonicus, qui loco Praepositi absentis vel legitime impediti, canit missam conventualem in solemnitatibus maioribus ius habeat ad eleemosynam missae cantatae a Praeposito solvendam. »

« V. An canonicus qui in vesperis, aliisque functionibus solemnioribus, praeter missam conventualem , vicem gerit Praepositi, legitime et habitualiter impediti, ius habeat repetendi aliquam ab eo mercedem pro labore et incommodo. »

Super quibus Episcopus, ad rem rogatus, sententiam suam ita aperuit:

« Ad 1. Honores sunt dignitatum, et solus canonicus antiquior primum tenet locum post dignitatem, coadiutores vero cuiuscumque generis semper ultimum tenuerunt, sive in choro, sive in functionibus. »

« Ad 2. Quomodo canonicus antiquior potest declinare onus canendi missam conventualem in tertia solemnitate Paschatis etc., si, uti praemittitur, usus contrarius invaluit? Certe non auderem alicui novum onus imponere. »

« Ad 3. Si praepositus est legitime impeditus, in processionibus et funeribus percipere debet eam distributionem, quae ei competit: si vero non est legitime impeditus, in dictis functionibus tunc dividi debet inter omnes canonicos praesentes ob ius accrescendi, quod in capitulo sancitum est. Et eo magis quod non pauci ex canonicis antiquioribus asserunt, nullam unquam retributionem datam fuisse canonico antiquiori fungenti Praepositi vices, nedum usque ad annum 1877. »

« Ad 4. Canonicus antiquior, qui loco Praepositi canit et applicat missam, si vere est onus dignitati inhaerens, ius habet ad solam eleemosynam ab ipso Praeposito solvendam. »

« Ad 5. In vesperis solemnioribus, ob eamdem rationem expositam in tertio loco, semper et in quocumque casu canonicus antiquior debet Praeposito supplere, quia onus et privilegium habet vicem gerere dignitatis : ideoque nullum ius habet ad emolumentum percipiendum: de quo emolumento nulla in constitutionibus capitularibus lit mentio. »

Disceptatio Synoptica.

Relate ad primum punctum, ubi de iuribus coadiutoris canonici senioris quaestio est, animadversum fuit ex officio, pro coadiutore militare in primis ipsas institutionis Bullas in quibus eidem coadiutori adscribuntur - omnia et singula privilegia, libertates, praeeminentiae, honores, favores et gratiae, quibus coadiutus gaudet. - Atqui celebratio in maioribus festivitatibus, quoties Episcopus et Praepositus se abstinent, nec non praecedentia in processionibus et ' funeribus inter praeeminentias, privilegia et honores connumerari debent.

Accedit quod praecedentia et celebratio missae in solemnioribus diebus, praeter quam honorem, onus insuper et officium importat. Atqui vulgatissimum est, coadiutorem coadiuto in oneribus et officiis semper subrogari, licet non semper subrogetur in honoribus.

At e contra ex *lib. 1 Caer. Episc. c. 26* habemus quod « deficiente prima dignitate. . . . supplebit alter ei proximus, sive dignitas sit archipresbyter sive canonicus, et sic deinceps . . . Ubi vero ordines non sunt distincti, duo canonici immediate sedentes post canonicum qui servit, supplebunt. » Quae regula, dum valet pro oneribus et officiis , a fortiori procedit in casu praecedentiae et honorum. Et idcirco passim et ubique receptum et a DD. sine disputatione traditum invenitur, ut qui primum de facto occupat stallimi in choro, sive dignitas sive canonicus sit, ipse, prae ceteris, primas exerat partes, praecedentiam et honorem assequatur. Passerinus in *cap. Çonsuei. n. 3[De consuet. in VI** Pignatelli *consul. 35 n. 2 tom. 4** Benedictus XIV *Q. 136,* Fer-

raris *v. Canonicus art. 10 n. 21* cum pluribus SS. CC. resolutionibus.

Iamvero in themate coadiutor canonici senioris haud occupat eamdem vel proximam coadiuti sedem, sed postremam quam nempe ad eum ratione possessionis competit, sicut Episcopus commemorat. Incongruum itaque videretur, hunc qui ceteris inferior est, ceteros tamen supergredi.

Quin aliquid facessant obiecta Bullae institutionis verba; nam ea intelligi optime possunt de iuribus et honoribus et praeeminentiis canonico seniori propriis, qua canonicus est, idest, ad eum competentibus *ratione canonicatus,* ceu proprie cavent institutionis Bullae, minime vero de iis iuribus et honoribus quae ex antiquitate servitii canonico seniori sunt acquisita, quae accidentalia sunt, et idcirco coadiutori tribui non possunt nisi cum evidenti antilogia et aperta laesione omnium aliorum canonicorum, qui antiquiores sunt et longius servitium praestarunt.

Unica exceptio esset si de coadiutore dignitati dato ageretur; nam tunc, « iuxta celebres resolutiones S. RR. C. in *Patavina* 14 Feb. 1615 et 3 Decemb. 1616 et in *Neritonen.* 12 Octobr. 1619, haec adest differentia inter coadiutores dignitatum et coadiutores canonicorum, quod coadiutores dignitatum, uti sedentes in stallo dignitatis, facere debent functiones spectantes ad dignitatem coadiutam; et e contra coadiutores canonicorum, utpote sedentes post omnes canonicos, facere non possunt functiones ad canonicos coadiutos pertinentes, nisi in hypothesi, in qua alii desint canonici. » Ita Benedictus XIV *loc. cit.*

Relate ad secundum quaestionis caput colligi potest constitutiones cathedralis Anagninae praescriptis verbis statuere, ut in maioribus solemnitatibus, Episcopo non celebrante, Praepositus eum suppleat; et nonnisi in casu quo Praepositus legitime impeditus sit, senior canonicus eum debet supplere. Porro unumquodque capitulum suis statutis stare debet eaque districte observare. Quapropter inolita praxis, ut senior canonicus celebret in quibusdam maioribus solemni-

tatibus, licet praesens et expeditus sit Praepositus, utpote constitutionibus contraria, reprobanda videretur.

Nisi forte in contrarium valeat consuetudo, quae si tempore praescripta sit, prout in themate videtur, ecclesiae statutis derogare et vim legis legitime nancisci certissime potest. De materia enim agitur, in qua iuxta commmunem DD. sententiam apud Panimol. *decis. 1 n. 9 et 19** Rota *cor. Othob. decis. 4 n. 34** attenditur solitum, et in qua « consuetudo totum facit et unice spectatur. » Baldus in *cap. Cum olim n. 1 De consuet.*

Insuper adverti potest solemnitates, de quibus res est , et in quibus celebratio seniori canonico reservatur, quamvis primae classis existant, non primi tamen ordinis sunt, sed tertii, ut animadvertit Castaldus in *prax. Caer. lib. 2 sect. 5 c. 1 n. 2 et seqq.* Quapropter dici verosimiliter posset, constitutionibus, in ea parte in qua iubent praepositum in maioribus solemnitatibus loco Episcopi deficientis celebrare, minime esse derogatum. Iuxta dicta enim non ageretur de maioribus solemnitatibus, sed de minoribus.

Ad tertium dubium accedentes, in quo quaeritur utrum portio quae Praeposito in funeribus et supplicationibus deberetur, si interesset, attribuenda sit canonico, eius vices gerenti, an non: animadvertendum est, in formula dubii a capitulo proposita, quaestionem coarctari ad casum praepositi *absentis vel legitime impediti;* quae verba minus apte posita nimiumque limitativa aut equivoci inductiva videntur. Etenim qui abest vel legitime impeditus est, quandoque, ut in casu infirmitatis, ius habet ad distributiones nedum ordinarias, sed etiam extraordinarias. Sed est et alter casus, de absentia nempe, quae legitima quidem est, sed in qua distributiones amittuntur, ut in conciliarium vacationum trimestri. Denique est et casus absentiae illegitimae, de qua tamen capitulo nihil curae esse videtur et qua de causa nescio.

His claritatis ergo praenotatis, adiectum fuit, quod si quaestio sit de ea praepositi absentia, quae ius eius ad di-

stributionem non adimit, iam portio quae ad eum competit, eidem de iure tribuenda est, quin ullae quaestioni locus esse possit, ceu et Ordinarius autumat.

At vero in casu absentiae, sive legitimae sive illegitimae, in quo Praepositus distributiones amittit, canonicus senior, ut vacantem portionem sibi vindicet, invocare potest principium, quod subrogatus in loco et suffectus in honore, emolumenta loco et honori iuncta percipere quoque debet.

At vicissim opponitur clara dispositio *cap. 3 Conc. Trid. sess. 22,* qua statuitur, ut distributiones inter dignitates et ceteros, divinis interessentes, proportionaliter ratione servitii dividantur, et quae ab absentibus amittuntur, praesentibus accrescant. Quapropter in themate quae a praeposito ob absentiam amittuntur, non uni seniori, sed omnibus cedere debent, qui ob parvi illius emolumenti divisionem, ius ex Tridentino acquisitum habent. Eo vel magis quod primus locus in funeribus et supplicationibus honorem importat magis quam onus peculiari aliquo emolumento rependendum.

In quarto loco, ubi de missa, et in quinto, ubi de vesperis aliisque functionibus res est, quaeritur, an senior canonicus, qui Praepositi loco celebrat, ius habeat, eleemosynam pro missa, et mercedem pro vesperis aliisque sacris functionibus ab eodem Praeposito repetendi. Sed heic etiam in formula dubiorum a capitulo proposita quaestio coarctatur ad casum praepositi absentis vel legitime impediti. Quibus terminis minime attingitur alter casus praepositi illegitime absentis, et eo minus peculiarissima quaestio de tertia solemnitate Paschae et Pentecostes ac de festo s. Stephani, nec non de secundis vesperis, quando Praepositus in primis ac mane celebravit, quibus in adiunctis idem praepositus exemptionem ab onere celebrandi ex consuetudine forte obtinuit. Verum, cum de his minime sollicitum videatur capitulum, quaestio ideo movenda non est et idcirco ad unum casum praepositi legitime impediti disceptationem cohibetur.

Et hac de re, favore senioris canonici, pro Praeposito celebrantis, ut ipse congruo stipendio donetur, invocari po-

test principium, quod « qui sentit onus, sentire debet et commodum > ex *reg. 55 iur. in. VI;* quia « secundum naturam est commoda cuiusque in eum sequi, quem sequuntur incommoda » iuxta *leg. secundum naturam IO ff. Be reg. iur.*

Cum itaque senior canonicus Praepositum in missae celebratione aut in vesperis substituat, et eius onus ferat, aequum quoque videtur, ut emolumenta , idest eleemosynam pro missa et mercedem pro vesperis assequatur. Eo vel magis, quod Praepositus, cuius proprium esset haec onera ferre, praebendam obtineat duplo maiorem quam ceteri canonici ; et ideo sine incommodo possit qui eum substituit rependere.

At vicissim si sermo sit de vesperis « cum semper et in quocumque casu canonicus antiquior debet Praeposito supplere, quia onus et privilegium habet vicem gerere dignitatis, ideoque, sunt Episcopi verba, nullum ius habet ad emolumentum percipiendum, de quo emolumento nulla in constitutionibus capitularibus fit mentio. »

Quo vero ad missam, eadem forte applicari posset theoria.

Verum hac de re non potest quis non mirari, Episcopum et capitulum necessaria ad dubii solutionem referre omisisse utrum nempe pro missa conventuali peculiaris eleemosyna ex massa distributionum tribuatur, iuxta ea quae Benedictus XIV in const *Cum semper oblatas,* et S. C. C. in pluribus resolutionibus , ut in *Äuximana Miss. Coment. 16 Dec. 1820* inculcant, an potius in themate onus constituat uniuscuiusque capitularis proprium et nullo peculiari stipendio donatum. Expediens insuper fuisset scire utrum, in ea ecclesia observetur, quod ceteroquin ius commune praescribit et S. Rit C. decreto diei 12 Nov. 1831 apud Oardellini *n. 4669 ad 20* confirmat, ut nempe Missa conventualis, sive cum relativa eleemosyna, sive aliter, iis etiam diebus applicetur in quibus Episcopus pontificaliter celebrat.

Patet enim quod si singulis diebus et cum relativo ex. communi massa stipendio missa conventualis celebranda sit,

canonicus senior, qui loco praepositi missarum solemnia agit, sicut alius quilibet, qui confratrem absentem in sancto sacrificio suppleat, statutam per constitutiones eleemosynam percipiet, quin aliud quidquam possit aut debeat praesumere.

Nec rem declarat Episcopus in suo Voto, ubi haec habet: « Canonicus antiquior, qui loco Praepositi canit et applicat missam, *st vere est onus dignitati inhaerens,* ius habet ad solam eleemosynam, ab ipso Praeposito, solvendam. »

Quae verba satis obscura sunt, nec certam proferunt sententiam. Episcopus enim non audet asserere, nec onus Praeposito imponere praestandi eleemosynam missae conventualis, nisi in hypothesi quod haec missa sit *vere onus dignitati inhaerens.* At utrum revera et quo sensu sit onus dignitati inhaerens praefinire non studet.

His itaque adnotatis, definienda proposita fuerunt quae sequuntur

Dubia

L *An ius et onus supplendi Praeposito absenti vel impedito spectet ad coadiutorem canonici antiquioris in casu.*

II. *An canonicus antiquior declinare possit onus missam conventualem celebrandi in tertia solemnitate Paschae et Pentecostes, in festo S. Stephani, nec non secundas vesperas praecipiendi diebus, in quibus l^raepositus primas vesperas ac mane missam celebravit in casu.*

III. *An canonicus, qui Praepositum supplet in processionibus et funeribus, ius habeat ad duplum portionem quae ad eumdem Praepositum, si interesset, competeret in casu.*

IV. *An canonicus, qui loco Praepositi legitime impediti, canit missam conventualem in melioribus solemnitatibus, ius habeat ad, eleemosynam missae cantatele a Praeposito solvendam in casu.*

V. *An canonicus, qui in vesperis aliisque functionibus solemnioribus vicem gerit Praepositi legitime impediti* * *ius habeat repetendi aliquam ab eo mercedem pro labore in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 6 Septembris 1890, censuit respondere : Ad I *Negative.* Ad II *Ex deductis negative.* Ad III *In voto Episcopi.* Ad IV *Affirmative* * *si pro missa conventuali ex massa communi nullum sit assignatum stipendium.* Ad V *Negative.*

EX S. C. EPISC. ET REGULARIUM

LUCANA

DISMEMBRATIONIS PAROECIAE

COMPENDIUM FACTI. In Archidioecesi Lucana duae paroeciales ecclesiae existunt de *Montesacrato* et de *Sextimoriano* appellatae, quae ob utriusque redditus tenuitatem, ad instantiam familiae *de Nobili** quae iuspatronatus super Ecclesiam *Montesacrati* gaudebat, a f. m. Leone X in vim Bullae diei 17 Decembris anni 1517 unitae fuerunt.

Plebanus pro tempore modo in una, modo in altera ecclesia morabatur: at progressu temporis moram fixit in domo parochiali Sextimoriani, relicta domo Montesacrati cappellano curato, qui a Plebano in omnibus dependebat.

Post duo et amplius saecula ex quo haec evenerunt, incolae Montesacrati supplicem libellum S. H. O. porrexerint, petentes ut eorum ecclesia ab illa Sextimoriani dismembraretur.

Causa die 18 decembris 1863 proposita sub dubiis: 1. *An et quomodo annuendum sit precibus sive pro obsoluta dismembratione* * *sive pro constitutione Vicarii perpetui porrectis in casui* Et quatenus affirmative, sive ad primam vel ad

secundam partem. 2. *Quaenam summa pro congrua novi rectoris* pro ecclesiae manutentione et aliis expensis statuenda sit in casui* Placuit Emis Patribus respondere : *Ad primum'. Negative ad primam partem iuxta votum Archiepiscopi. Ad secundum: Affirmative in omnibus iuxta votum Archiepiscopi.*

Praestat referre Archiepiscopi votum, qui haec S. Congregationi exponebat: 1. divisionem spiritualem paroeciarum non modo ob locorum distantiam, sed etiam ob pacem populi Montesacrati, opportunam esse. 2. Novo parocho titulum et praerogativas Plebani competere, ex eo quod ecclesia Montesacrati Plebaniae titulum iugiter retinuit; 3. Plebano pro tempore Montesacrati nihil aliud, quam iuspatronatus Ecclesiae Montesacrati tribuendum esse; idque ad evitanda dissidia , quae aliter timenda essent: 4. tandem quoad redditus nihil innovandum esse et onera Plebani Sextimoriani relate ad Montesacratum etiam in posterum eadem remanere, ex eo quod tam Ecclesiae manutentioni, quam praebendae parochialis constitutioni satis provisum esse putabat.

Relatum rescriptum diei 13 decembris 1863 haud arrisi t populo Montesacrati, qui idcirco novae auditionis beneficium imploravit.

Super hoc novo supplici libello requisitus Archiepiscopus respondit, difficultates tam super Rectoris electione , quam super congrua ipsi assignanda attendendas haud esse ; ac proinde consultius fore, ut resolutiones diei 18 decembris 1863 confirmarentur.

Quibus auditis S. H. C. propositis dubiis. 1. *An et quomodo recedendum sit a decisis in primo dubio ?* 2. *An et quomodo recedendum sit a decisis in secundo dubio ?* Sub die 31 Martii 1865 utrumque confirmavit sequenti responso: *Ad primum et secundum in decisis.*

Tresdecim post annos seu die 16 Februarii 1878 Archiepiscopus, ad instantiam quorumdam habitantium Montesacrati mox citatae S. Congregationis sententiam executioni mandavit haec praescribens : 1. Ecclesia Montesacrati sub titulo

S. Ioannis Baptistae, una cum populo ipsi assignato in Vicariam erigitur ad tramitem S. Congregationis decreti. 2. Electio Vicarii perpetui R. Plebano pro tempore ecclesiae Sextimoriani referatur : 3. Confinia praedicta Vicariae perpetuae eadem erunt, quae Ecclesiae Montesacrati usque ab antiquis temporibus tributa fuerunt : 4. Onera a Vicario perpetuo eiusque successoribus adimplenda haec erunt; scilicet Missam *pro populo* celebrare ; Sacramenta administrare , S. Evangelium explanare ; S. catechismum adultis et doctrinam christianam pueris tradere ; adsistentiam moribundis praebere, natorum, mortuorum ac matrimoniorum libros custodire et cetera munia ac functiones etiam per consuetudinem ipsorum ufficio inhaerentia peragere : Plebanum Sextimoriani Vicario Montesacrati, praeter domum, quae modo a Cappellano Curato habitatur, tradere debere hortum ipsi domui adnexum et vineam prope Ecclesiam sitam, nec non sexaginta modia frumenti una cum duodecim vini mensuris lib. 22,40 in compensationem olei quod eidem praestare deberet: firmis manentibus augmento congruae et reliquis oneribus archiepiscopali decreto die 19 Februarii 1821 et altero decreto deputationis ecclesiasticae die 27 Iulii 1835 impositis. Vicarium perpetuum, ad tramitem citati archiepiscopalis decreti diei 19 Februarii 1821 teneri tres Sacerdotes pro functionibus sabbati Sancti, nec non Olea Sancta providere; duo frumenti modia, agnum, palmas et candelas distribuere, ceram, oleum pro lampade, vinum et oleum pro missis praestare. Exceptis oneribus supra descriptis, Vicario perpetuo impositis Plebanus Sextimoriani reliquis oneribus satisfaciet quibus in antecessum tenebatur.

Post haec seu die 26 Novembris 1879 Plebanum inter et S. Rochi Confraternitatem, in Montesacrato erectam, conventio inita fuit, vi cuius Plebanus, ut se ab omnibus oneribus erga ecclesiam Montesacrati susceptis liberaret, annuas libellas sexaginta persoluturum promiserat, Confraternitas vero omnibus oneribus et necessitatibus dictae Ecclesiae satisfacturum spoponderit.

Verum cum dicta conventio quinque post annos rescindi valeret, quinquennio elapso, Confraternitas initae conventioni valedixit et rem Sextimoriani Plebano significavit. At hisce non obstantibus, cum Plebanus contra decretum anni 1821, loco libellarum 171,73, annuas libellas 60 persolvere praesumeret, Montesacrati Vicarius S. Congregationem adivit de Plebani agendi ratione questus movens , simulque petens, ut ad dissidia et scandala praecavenda ad decus ecclesiae Montesacrati promovendum et ad pacem concordiamque inter utriusque ecclesiae fideles fovendam *absoluta dismembratio* decerneretur, et cuilibet paroeciae illa beneficii pars assignaretur, quae 'ante unionem cuique competebat. Idque obtenturum pro certo habebat, ex eo quod a Leonis X Bulla eruitur Sextimoriani plebaniae matricitatis ius haud competere, sed ecclesiae Montesacrati unitam fuisse ad instantiam familiae de Nobili quae, ut supra dictum fuit, iuspatronatus super hanc ecclesiam gaudet.

Acceptum libellum S. Congregatio ad Archiepiscopum transmisit ipsi indicens ut, auditis interesse habentibus, animi sui sensus aperiret.

Archiepiscopus, eo quo par obsequio, S. Congregationis iussa faciens, respondit, summam a Plebano Sextimoriani Ecclesiae Montesacrati solvendam decreto executoriali praefici haud potuisse , quia ipse nullum mandatum ad hoc a S. Congregatione acceperat : elapso quinquennio a conventione inter Plebanum et Confraternitatem inita, controversias Plebanum inter et Vicarium ortas fuisse, quae componi haud valuerunt: dismembrationem a Vicario imploratam rem utilem quidem esse, sed difficilis executionis ob ingerentiam quam auctoritas civilis in bonis ecclesiasticis exercet.

Audita Archiepiscopi informatione, auditisque Plebani deductionibus, qui preces et rationes a Vicario pro dismembratione porrectas, utpote veritate destituías, in nullo pretio habendas esse pro viribus contendebat; S. Congregatio iterum Archiepiscopo mandavit, ut praevio diligenti examine ex-

pensarum annuarum pro manutentione et conservatione Ecclesiae Montesacrati eiusque Sacrarii, campanilis ac sacrorum Sacramentorum , rem componere curaret et summam pro congrua ecclesiae Montesacrati constituenda a Plebano solvendam praefigeret. Quod si compositio obtineri haud valuisset, utriusque partis documenta ad S. Congregationem transmitteret. Curis ad pacem conciliandam in irritum cessis, Archiepiscopus mandatis S. Congregationis faciens, litigantium documenta transmisit, simulque retulit, annuas expensas pro Ecclesia de Montesacrato Summam lib. 238 pertingere. Iisque satisfieri partim lib. 156 a delegatione Ecclesiastica Parocho de Montesacrato assignatis: partim lib. 60 a Plebano de Sextomoriano persolvendis in vim conventionis cum Confraternitate S. Rochi anno 1879 initae: partim tandem praestationibus, ad quas usque ab anno 1753 ipsa S. Rochi Confraternitas sese obligaverat, ut expensis contribueret, quae pro ecclesiae manutentione sacrisque suppellectilibus reficiendis requiruntur.

Relate vero ad utriusque ecclesiae congruas retulit, congruam Plebani de Sextomoriano minorem esse eâ qua Parochus de Montesacrato gaudet: illam siquidem annuas libellas 450, hanc vero lib. 558 pertingere.

Quibus acceptis sapientissimo Emorum Patrum iudicio proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia.

1. *An sit standum vel recedendum a decisis die 18 Decembris 1863 et die 31 Martii 1865, quoad dismembrationem parocchiae de Montesacrato ab illa de Sextomoriano in casu?* Et quatenus aiflrmative ad primam partem, negative ad secundam. II. *An et quaenam summa, a Plebano de Sextomoriano persolvenda favore ecclesiae de Montesacrato constituenda sit in casu?*

RESOLUTIO. Hactenus expositis ad trutinam revocatis, Sacra Congregatio Episc, et Reg. sub die 22 Martii 1889 sequens prudentissimum responsum dedit : *dilata et ad mentem:*

mens est : ut Archiepiscopus statum reddituum onerumque utriusque ecclesiae transmittat, una cum schemate circa modum, quo implorata dismembratio effici valeat.

Ad tramitem rescripti mox citati Archiepiscopus transmisit prospectum status tam activi, quam passivi Ecclesiae de Sextomoriano una cum redditibus et oneribus ad fabricam dictae ecclesiae spectantibus, nec non prospectum praestationum , quae favore Parochi de Montesacrato statutae fuerant, prout a denunciationibus occasione postremae S. Visitationis 1886 porrectis eruebantur. Animadvertit insuper ad instantiam Parochi de Montesacrato oneribus ipsius congruam gravantibus additas fuisse lib. 85 pro missis pro populo celebrandis, itemque lib. 50 pro festo S. Titularis, ceu pro Plebano de Sextomoriano notatum fuerat.

Praeter haec observat concordiam obtineri non posse, quia ex una parte Parochus de Montesacrato exigit ut utrisque ecclesiis redditus restituantur, quas unaquaeque ecclesia ante unionem percipiebat, vel sin minus ut statuta favore fabricae suae ecclesiae summa non minori ea , quam fabrica de Sextomoriano percipit, reliqui redditus ita dividantur, ut beneficium de Montesacrato redditum pro sexta parte maiorem percipere debeat. Ex parte vero Plebani Sextimoriani refert, hunc promptum esse ad tradendas tot canones livellares, quot requiruntur ad redditum efformandum, quo Parochus de Montesacrato in praesentiarum fruitur.

Tandem quoad schema ab ipso transmittendum circa modum quo implorata dismembratio ad effectum perduci valeat, Archiepiscopus existimat non esse recedendum a sententia a S. Congregatione die 18 decembris 1863 ad rem prolata, tum ob rationes ab Archiepiscopo, tunc temporis, adductas, tum etiam quia timendum esset ne patroni se ingerere praesumerent. Hinc autumat tam beneficio, quam fabricae de Montesacrato tot redditus tribuendus esse, quot requiruntur ad efformandam summam quae a Plebano de Sextomoriano usque adhuc persoluta est. Ita tamen ut ii redditus assignentur, qui in oppido Montesacrati existunt.

Res ita se habebant, cum Parochus de Montesacrato novum supplicem libellum S. Congregationi porrexit enarrant a Curia archiepiscopali sibi denegatam fuisse facultatem examini subiiciendi libros Sacrarum Visitationum, quae ante annuum 1886 peractae fuerunt, et contendens denunciationem sive reddituum, sive onerum a Plebano Sextimoriani ad S. Congregationem trasmissam a veritate alienam esse. Qua de re petebat, ut onus Archiepiscopo imponeretur transmittendi ad S. Congregationem in copia conformi documenta, quae in archivio tum Archiepiscopali, tum parochiali Sextimoriani reperiuntur, quaeque statum, indolem et fundos beneficii indicant, nec non acta ss. Visitationum, quae ad praesens et ad praeteritum saeculum referuntur.

Hisce parochi de Montesacrato precibus perlectis, S. Con-, gregatio Archiepiscopo 'significavit, non posse reddituum utrique Parochiae spectantium quantitatem cognosci, nisi decem vel forsan quindecim annorum media examini subiiciatur.

S. Congregationis mandatis obtemperans Archiepiscopus, sub die 7 Ianuarii 1890 scripsit ex novis disquisitionibus erui redditum Plebaniae de Sextomoriano ab expensis immunem ad lib. 744, 79; redditum vero Parochiae de Montesacrato ad lib. 452,95 quotannis ascendere, ac proinde diversum esse ab eo, quod occasione ss. Visitationum pastoralium denuntiatus fuerat.

Omnibus rite expletis, solvenda proposita fuerunt duo dubia superius descripta.

Verum S. Congregatio Episc, et Regul. die 7 Martii 1890 post maturum examen, respondere censuit: *Adi. reformato dubio: An et quomodo Ecclesia de Montesacrato una cum territorio dismembranda sit, ut in paroeciam erigatur in casu? Negative. Ad IL Affirmative pro annua summa, quam nunc recipit; et eximendum esse Vicarium ab onere applicandi Missam pro populo, nisi Archiepiscopo constiterit, parochum ante decretum diei 16 Februarii 1878 duas pro populo missas, quavis die festo, celebrare.*

DECRETUM quo nonnullae praecipiuntur normae quoad cordis et conscientiae intimam manifestationem superioribus faciendam in coenobiis mulierum aut virorum.

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint; ita et legum, sapienter conditarum, ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum , Societatum aut Institutorum sive mulierum quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent ; e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem ss. Canonum praescriptum fuit, ut sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis ; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alias pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut

huiusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant.

Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea, qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die decimaquarta Decembris 1890 omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque,etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungi Moderatoribus ac Moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

IL Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis

ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Praeterea firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in *Sess. 25 Cap. 10 de Begul. et a S. M. Benedicti* Xl F statuitur in Constitutione quae incipit " Pastoralis curae *n* Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet ne extraordinarium denegent subditis Confessarium quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructas designent, ad quos pro Sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant.

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim

curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit fréquentions ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra, sive virorum, sive mulierum ut studiose accurateque huius Decreti dispositiones observent sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 Decembris 1890.

I. CARDINALIS VERGA PRAEFECTUS

f ER. ALOISIUS EPISCOPUS CALLINICEN. *Secretarius.*

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

RESCRIPTUM quoad missas celebrandas in Ecclesia, ubi asservantur cineres s. Aloisii Gonzaga, vel in aliis ecclesiis per totam octavam solemnitatis, occasione tertii labentis Saeculi ab eius pretiosa morte (1).

ROMANA

Die 18 Ianuarii 1891.

Tertio iam labente saeculo, ex quo Angelicus Iuvenis Aloisius Gonzaga ob miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociatam, pretiose moriens in conspectu Domini ad caelestia regna feliciter migravit, tanti diei natalis centenaria solemnia in Urbe ad Sancti Ignatii per octo continenter dies instituentur, ubi virginales sancti Iuvenis cineres summa religione asservantur. Ut vero extrinsecae solemnitati ecclesiasticus quoque ritus accedat et magis magisque pietas foveatur erga hunc caelestem studiosae iuventutis Patronum, Emus et Rmus Dnus Lucidus Maria Parocchi Episcopus albanensis in Alma Urbe Sanctissimi Domini Nostri Leonis XIII vicarius, ab eodem Sanctissimo Domino Nostro humillime expetivit, ut singulis enuntiatae Octavae diebus, nempe a die vigesimaprima ad diem vigesimamoctavam Iunii inclusive, hoc anno in praedicta Ecclesia missae omnes de Sancto Aloisio Gonzaga propriae celebrari valeant. Insuper Emus et Rmus Dnus eumdem Sanctissimum Dominum Nostrum supplex rogavit, ut eiusmodi privilegium cuilibet Ecclesiae vel Oratorio concedere dignaretur, ubi triduana solemnia vel die vigesimaprima Iunii cum duabus sequentibus vel alia die aut tribus aliis diebus a Revmo loci Ordinario designandis in honorem ipsius angelici Iuvenis peragentur.

Sanctitas porro Sua has preces a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi praefecto relatas peramanter excipiens, petitum Missarum privilegium benigne indulgere dignata est, excepta, quoad memoratam Octavam, die Nativitatis S. Ioannis Baptistae, in qua commemoratio de Sancto Aloisio addi poterit in cunctis Missis pro Ecclesia tantum S. Ignatii:

(1) Litterae quibus indulgentiae variae concessae sunt pro eadem occasione relatae fuerunt pag. ¿37 huius voluminis.

pro ceteris vero Ecclesiis sive Oratoriis, ubi vel die vigesimaprima Iunii cum duabus insequentibus, aut alia die vel tribus aliis diebus post praefatam diem vigesimamprimam Iunii, a respectivo Ordinario designandis, triduana memorata agantur solemnia, exceptis Dominica prima sacri Adventus et Duplicibus primae classis quoad Missam solemnem, ac Duplicibus secundae classis quoad lectas; Missa Conventuali vel Parochiali officio diei respondente nunquam omissa, quatenus onus adsit eam celebrandi: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. f S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Ioannis Martini Moye, sacerdotis ab exteris missionibus et fundatoris sororum a providentia.

Quum decimoquarto Kalendas Septembris anni 1886 Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII iam benigne indulsisset, ut de dubio signaturae Commissionis introductionis Causae praefati Servi Dei Ioannis Martini Move agi 'valeret in Sacrorum Rituum Congregatione ordinaria absque interventu et voto Consultorum, etsi nondum elapsum esset decennium a praesentatione Processus, ordinaria auctoritate constructi, super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum, neque ipsius Servi Dei scriptis adhuc rite perquisitis et examinatis; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta Episcopus Ostiem et Velitern. huiusce Causae ponens, ad instantiam Rev. Patris Francisci Xaverii Cazenave procuratoris generalis Seminarii parisiensis Missionum ad exteros, eiusdem Causae Postulatoris, attentis postulatoriis Litteris plurium Virorum ecclesiastica praesertim dignitate insignium, in ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum: « *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur ?* » *Emi et* Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque R.

P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, qui sententiam suam voce et scripto protulit, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 18 Decembris 1890.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae ven. Servi Dei Ioannis Martini Move praedicti. Die 14 Ianuarii 1891.

C. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus*

L. % S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

DECRETUM Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei luliae Billiart fundatricis congregationis sororum beatae Mariae Virginis.

Instante Revmo D. Raphaele Maria Virili Antistite Urbano, Causae Beatificationis et Canonizationis praefatae ven. Servae Dei luliae Billiart postulatore constituto, a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto atque huiusce Causae ponente in ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium propositum fuit, nimirum: *An sententia Iudicis a Revmo Episcopo Namurcensi delegato super cultu ven. Servae Dei praefatae non exhibito, seu super paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi et Revmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, post auditum voce et scripto R. P. D. Augustinum Caprara Sanctae Fidei Promotorem, rescribere censuerunt: *Affirmative seu sententiam esse confirmandam.* Die 18 Decembris 1890.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per subscriptum Secretarium fideli relatione, San-

ctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habere et confirmare dignata est. Die 14 Ianuarii 1891.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R.* C. *Praefectus.*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI -S *R.* *C.* *Secretarius.*

DECRETUM Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti servae Dei sor. lustinae Francucci Bezzoli Ordinis sancti Benedicti beatae nuncupatae.

Ad instantiam Rev. Dfii Victorii Piazzesi postulatoris constituti Causae supradictae, quum Emus et Rmus Cardinalis Aloisius Macchi [eiusdem Causae ponens in ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuerit, nimirum: « *An* » *sententia Iudicum ab Illifw et Rmo Domino Aretino Episcopo* » *delegatorum super cultu ab immemorabili tempore praestito* » *praefatae Servae Dei, seu super casu excepto a Decretis* » *sa. me. Urbani Papae VIII, confirmanda sit in casu et ad ef-* » *fectum, de quo agitur?* » Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, post auditum R. P. D. Augustinum Caprara Sanctae Fidei promotorem, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 18 Decembris 1890.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 14 Ianuarii 1891.

C CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. % S.

VINCENTIUS NUSSI -S. *R. C. Secretarius.*

LITTERAE apostolicae Sanctissimi D. N. Leonis XIII ; de iuribus Archiepiscopi bariensis et privilegiis magni Prioris Basilicae s. Nicolai.

Praeclara inter monumenta, quae maiorum pietas iii Italia excitavit, merito censetur sacra Bariensis Aedes in honorem condita s. Nicolai Episcopi Myrensis, cui studium tuendae fidei in Nicaena Synodo explicatum, aliaeque virtutes egregiae iustam meruere apud posteros venerationem. - Nobilem huic Aedi fecere famam cum artis ornamenta et opera antiquam testanda fidem, tum maxime ipsius sancti Episcopi reliquiae, quas ex Asia advectas, idem templum osservai, et signa indubia praesentis opis, quam constanter experti sunt Barii cives et alii quotquot colendi magis quam visendi studio illuc accedunt. Quo factum est, ut Basilica haec non modo civium et advenarum e tota Italia quamplurium, sed et peregrinorum e dissitis confluentium oris frequentia et religione celebretur. - Qui etiam plures ex Principibus, qui Barium tenuerunt in ditione sua, nominatim que rex Siciliae Rogerius, quo instructior esset opibus et adversus hominum iniurias tutior, multa eidem munifice tribuerunt.

In primis vero Romani Pontifices praedecessores Nostri, praesente Urbano II qui Templum consecravit, illud prosequuti sunt favore suo, in tutela et patrocinio habuerunt immediato, quod nunquam fuit saeculis volventibus intermissum, ac Principum meritis liberaliter praemia rependerunt, insignia elargientes privilegia indulgentia prope singulari. - At vero neque haec privilegia, neque patrocinium civilium imperantium efficere potuerunt, ut aedes sacra et Capitulum ab ordinaria Pastoris, qui Dioecesi praeest, iurisdictione eximeretur. Constat imo tutelam ipsam a Summis Pontificibus *nullo medio,* sive immediate susceptam, non eo valere, ut locus aut coetus aliquis exemptus sit ab Ordinarii iurisdictione, nisi exemptio diserte explicateque seu, ut de iure dicitur, *dispositive* concessa sit. - Pluries quidem de exemptione Basilicae Bariensis controversiae excitae sunt, et ad Apostolicae Sedis iudicium delatae ; at sacra Consilia Pa-

trum Cardinalium, quae Summi Pontificis nomine huiusmodi iudiciis praesunt, iterum iterumque adversus exemptionis adsertores pronuntiarunt, easque sententias Pontificia sanctio firmavit. - Nihilosecius et in praesens contenditur, illud fuisse indultum quod revera nunquam concessum fuit, et pene publici criminis loco habetur, facta apud sacras, quas diximus, Congregationes expostulatio. Eo demum deventum est a quibusdam, ut non modo Archiepiscopi Bariensis auctoritatem spernerent, sed et supremam, ordinariam, immediatam Romani Pontificis potestatem reiicerent in ea causa, quae ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinet, rebusque mere spiritualibus continetur. - Quae exinde oborta sunt et adhuc oboriantur scandala, defiere magis quam memorare praestat. Satis sit innuisse, obtentu tuendi privilegia illius Basilicae et Cleri, quae opinione quorumdam non veritate nituntur, graviter laesa fuisse debitae obedientiae officia, et supremam Romani Pontificis potestatem in contemptum et invidiam vocari.

Equidem in hac tanta rei gravitate, officio Nostro viderentur deesse, nisi omni niteremur ope, huius contentionis flammam restinguere, et cavere ne qua in posterum instaurandi certaminis detur occasio. Itaque e re esse censuimus suprema Nostra auctoritate definire per Litteras hasce Nostras, quae mutua sit iurium et officiorum ratio inter Ordinarium Bariensem, et Basilicam s. Nicolai eiusque magnum Priorem, Capitulum et Clerum.

Quum autem non pauca sint, de quibus ambigendi omnis est ratio sublata, recolimus imprimis, sacram Congregationem decretorum Synodi Tridentinae interpretum quaestiones dirimentem alias alio tempore sibi propositas, probantibus Nobis vel Decessoribus Nostris, haec statuisse quae infra scripta sunt :

Non constare, Basilicam S. Nicolai eiusve magnum Priorem, Capitulum et Clerum exemptos esse ab ordinaria Archiepiscopi Bariensis iurisdictione, adeoque eidem Archiepiscopo ordinarium ius esse peragendae visitationis pastoralis in Basilicam, ecclesias eidem unitas, Magnum Priorem virosque praedictos, eosque Synodi dioecesanae adesse oportere : - Archiepiscopo, ac, sede vacante, Vicario capitulari privative facultatem competere approbandi confessarios, sacras fidelium homologeses in Basilica excepturus, ac presbyteros qui Sanctissimum Viaticum magno

Priori, Canonicis et Clero Basilicae administrent : - Nemini licere in eo templo absque Ordinarii venia, sacras habere conciones aut publicare indulgentias, aliasque gratias spirituales: - Non posse magnum Priorem concedere litteras *dimissorias* Clericis eiusdem Basilicae, sed eos qui sacris initiari velint, illas debere ab Archiepiscopo accipere: - magnum Priorem, Capitulum et Clerum Basilicae teneri sacris pompis, quae processiones audiunt, interesse, solique magno Priori licere ab iis abesse, Archiepiscopali sede vacante : - In ordine procedendi, etsi sedes vacet, oportere Capitulum S. Nicolai primas concedere Capitulo Cathedralis Ecclesiae : — Ab eadem Cathedrali Ecclesia teneri Capitulum S. Nicolai, etiam sede vacante, olea infirmorum accipere.

Vicissim pronunciatum fuit: admittendos esse ab Archiepiscopo adolescentes idoneos, quos magnus Prior poposcerit in Basilicae ministerium, non tamen plures quam triginta, operamque datam ab iisdem Clericis qui in Basilicae famulatu per triennium fuere, triennale servitium iure constituere ad effectum ordinum suscipiendorum. — Quod vero ad sacram eorumdem clericorum ordinationem attinet, statutum est, eos a magno Priore sistendos esse Archiepiscopo, et huic ius esse illos rite examinandi, quin tamen possit repellere nisi ex causa, canonico iure probata.

Iamvero quamvis hisce omnibus plena vis constet ac stabile robur, quippe definita sunt, causa plane cognita et Pontificia sanctione communita, attamen ne qua supersit vera aut praetexta ratio ambigendi, tergiversandi, detrectandae frustrandaeve rerum recte iudicatarum exequutionis, Nos ex plenitudine Apostolicae potestatis, quae nullis praegressis actis nullaque humana auctoritate minui aut circumscribi potest, praedictas deliberationes confirmantes, decernimus ac declaramus Basilicam Bariensem S. Nicolai eiusque magnum Priorem, Capitulum et Clerum minime exemptos esse a iurisdictione Ordinarii illius civitatis, imo eidem subesse; nec magnum Priorem ullam habere iurisdictionem quasi episcopalem in eam Basilicam vel loca attigua, vel ecclesias unitas, neque ei licere quavis ratione impedire in iis locis iurisdictionis Ordinarii exercitium.

Ad haec decernimus ac declaramus :

I. Magno Priori ius esse modicae coercitionis in suum clerum; atque hinc posse ipsum directe omnia iubere, quae ad

interiorem Basilicae disciplinam, cleri ordinem ac functionum* tempus pertinent, ideoque intra Basilicae ambitum et in levioribus culpis aequas delinquentibus poenas infligere, manente tamen in reliquis, etiam quod ad punitionem attinet, ordinaria,, sive, quatenus opus sit, a Sede Apostolica delegata Archiepiscopi plena et incolumi potestate.

II. Non licere Archiepiscopo magnum Priorem censuris illi— gare neque Basilicam subiicere interdicto, nisi prius ab Apostolica Sede venia fuerit impetrata.

III. Fas esse magno Priori, intra Basilicae ambitum, Pontificalibus insignibus uti, iuxta privilegia a Summis Pontificibus indulta, atque extra ecclesiam iis uti indumentis quae *roehetus* et *manteleta* dicuntur, non tamen *mozzeta* : item licere eidem praeferre in pectore crucem, in signum honoris ; non tamen ei fas esse gradienti per vias populo benedicere.

IV. Magni Prioris, Canonicorum aliorumque beneficiariorum tam sacrum ac perpetuum ius esse, quam quo pollent ii qui in aliis ecclesiis vera ac propria beneficia ecclesiastica possident; neque in ea Basilica quidquam privilegiorum obtentu esse detractum de germana beneficiorum natura, eo quod illa a Romano Pontifice per interpositam personam conferri contigerit. Quare et iustitiam violaret et actum iure irritum ederet, qui sine iusta causa canonica, rite a competenti auctoritate ecclesiastica recognita, vel sine beneficiarii renunciatione, hunc deturbaret e beneficii possessione, multoque deterius ageret qui idem beneficium alteri conferret.

V. In his quae bonorum temporalium administrationem attingunt, servandas esse declaramus, etiamsi Prioratum vacare contigerit, fundationis ac dotationis leges, quippe quibus cavetur, vacationis tempore Prioris, potestatem in Thesaurarium transferri.

Denique quum etiam clericorum ephebeum Basilicae adiectum curas Nostras in se converterit, gravibus id suadentibus caussis, volumus ac decernimus in suspenso esse facultatem quam anno MDCCCLXXXII fecimus magno Priori, cui nimirum indulsimus, ut in aedificiis ad Basilicam pertinentibus collegium constitueret, in quo pie religioseque instituerentur sub immediata Sactae Sedis potestate clerici triginta famulatui Basilicae addicti. Hanc vero facultatem tamdiu in suspenso esse volumus, adeoque Collegium, si pateat, claudi et tamdiu clausum manere,

quamdiu leges, quibus illud regi oporteat, praescriptae et a Nobis probatae sint, satisque cautum Nobis fuerit de moderatorum ac praeceptorum sana doctrina et probitate.

Hisce ita constitutis, nihil anceps aut obscurum esse poterit ex iis quae spectant ad ecclesiasticam iurisdictionem in Bariensi Basilica S. Nicolai. — Restat, ut ultro ea quisque peragat quae partibus officii sui continentur, praesertim vero qui sacerdotali praestant dignitate, contendat, promptae obedientiae laude et officii servandi studio, ministerii sui sanctitatem et amplitudinem adaequare. — Sane siquis adversus ea fecerit quae Litteris hisce Nostris constituta sunt, graviter delinquet contra debitam huic Sanctae Sedi obedientiam; graviori autem se piaculo obstringeret, qui auderet contumax praescriptis hisce Nostris obsistere, aperteve contemptu Pontificiae auctoritatis, imparem eam esse diceret rebus iudicandis quae praedictae Basilicae et Cleri regimen spectant; demum qui contenderet Sanctae Sedis praescripta et decreta, quae in hisce rebus versantur, alterius potestatis, ut rata sint, assensu et sanctione indigere. Scilicet quisquis haec ageret vel affirmaret, schismaticis sese accenseret vel schismatis fautoribus, ac manifesto proderet indicio sese haereticas profiteri doctrinas. — Enimvero confidimus fore, ut Deus Nostras excipiens preces, hanc criminum labem a fidelibus cunctis avertat, maxime vero ab administris Ecclesiae suae, neque sinat, ut ex eo templo religiosissimo, unde malorum remedia petuntur, nova inferantur vulnera in matrem omnium Ecclesiam, quae tot iam vulnera a filiis, in hostes conversis, accepit.

Igitur quaecumque his litteris decreta ac declarata sunt, ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, nec notari, infringi et in controversiam vocari posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus praemissis [et, quatenus opus sit, Cancellariae! Apostolicae regulis, aliisque Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis; constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domi-

nicae Millesimo Octingentesimo Nonagésimo, Sexto Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno XIII.

A. CARD. BIANCHI PRO-DAT.
M. CARD. LEDOCHOWSKI

VISA

DE CVRIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco s£ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

L CVGNONIVS.

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Ordinarios Imperii austriaci ; qui excitantur ad habendas quotannis quasdam inter se congressiones; ex quibus exurgit efficax sentiendi agendique concordia; eisdemque congressui innuit quae essent praecipue agenda.

In ipso supremi Pontificatus, quo providens Deus Nos auxit, exordio, universitatem catholici orbis contuentes, habuimus equidem quod laetaremur tam multa esse tamque egregia in omni recte factorum genere vel studia vel opera, in quae, Deo iuvante, sacri pastores et uterque clerus fidelesque homines sedulo incumberent: neque tamen sine acerba fuit aegritudine conspexisse Ecclesiae hostes, pessimo foedere coniuratos, moliri ac tentare omnia, ut admirabile istud aedificium, quod pertugio humani generis ipse extulit Deus, convellerent atque adeo, si fieri posset, exscinderent. — Quae nimirum longe lateque in Ecclesiam Christi ardet dimicatio, etsi variis pro varietate locorum artibus armisque exercetur, hanc demum unam habet eamdemque rationem belli praescriptam; a familiis, a scholis, a legibus,, ab institutis vestigia religionis delere omnia, Ecclesiam ipsam facultatibus suis et insigni, qua pollet in commune bonum virtute spoliare, perniciosissimam errorum pestem in omnes venas domesticae civilisque communitatis infundere. Ab adversariis iam nihil temperatum est, infinita licentia; qui plurimi acresque in iura, libertatem, dignitatem Ecclesiae, in Episcopos omnesque cleri ordines, in auctoritatem maxime et principatum romani Pontificis invaserunt. Ex tantis catholico nomini iniuriis illatis, multa in nationes ingentiaque mala profluxerunt et profluunt : in iis

dolendum, ut serpat latius opinionum perversitas, comitesque improbitas et seditio spiritus tollant, atque inde rebus publicis imperiisque pericula impendeant quotidie maiora. Neque alia sane erant consecutura: nam debilitato, eove deterius reiecto firmissimo civitatis praesidio, religione, quae una homines et recte commonendo et salutariter deterrendo vere potest in suo quemque officio retinere, nutant continuo et labefactantur ipsius fundamenta civitatis.

Haec Nos, nulla dimissa occasione, gravibus litteris palam denuntiavimus et iis qui cum potestate praesunt et iis qui sunt sub potestate, indicantes alteris religionis et civitatis inter se rationes quam arcte contuerentur, alteros adhorta ti ut divina Ecclesiae documenta iuste colerent diligenterque expièrent. Singularis porro fuit compellatio Nostra ad venerabiles fratres Episcopos, quos Spiritus Sanctus rectores posuit Ecclesiae Dei idemque larga suae gratiae luce perfundit: qui enim, tamquam custodes per omnes vigilantes terrarum regiones, in re praesenti notarent experiendoque nossent quaenam cuique genti sive adhibenda remedia sive insidiae praecavendae, iidem profecto adiutores Nobis optimi futuri erant ad id quod summis viribus urgebamus, urgemus, catholicarum gentium salutem. Sunt autem a Nobis peramplae Deo gratiae, quod compellationi Nostrae mira prorsus ex omni Episcoporum ordine consensio responderit et sollertia : nam, quantum eniti illi possunt, ingenio et animis, hortatione et actione, eo toti spectant ut veritatem catholicae fidei tueantur, utque hominum societatem, ad consentaneas fidei virtutes revocando, maximis expédiant miseriis, ad veri nominis prosperitatem adducant.

In quo tam nobili studii pastoralis certamine praeclare quidem fecerunt Austriae Episcopi, et Nobis animus gestit debitam Vobis laudem hoc loco tribuere: habemus quippe compertum quanta contendatis prudentia et assiduitate laborum ad mala quaevis in populo germina evellenda et ad semina fovenda christianae vitae. Imo nuper perlibenter agnovimus, coniunctim a Vobis epistolam ad fideles Dioecesium vestrarum fuisse datam, quae preclaro Nobis argumento fuit consociatissimas esse voluntates vestras quum res est de rei catholicae rationibus tuendis. Verum ut firmius constet vigeatque in posterum haec concordia, vestraque studia et vires ad unum certumque finem eodem tramite intendant, nihil Nobis opportunius fore videtur, quam

si quasdam inter ipsos congressiones quotannis Episcopi habeant, ex quibus ea ineatur tam efficax sentiendi agendique conocrdia. Isthaec, quam optamus, conventuum ratio nonnullis in regionibus iam inducta viget, et fructus adhuc tulit vere laetabiles: inde enimvero Episcopis amplior patuit consiliorum copia, robur animi confirmatum, studium religionis incensum, haud pauca etiam consulta profecta, quae rei catholicae multis modis utilia contigerunt. — Accedit quod tanta sacrorum antistitum coniunctio et consensio non modo eis ipsis decus et gratiam apud suos non mediocrem auxerit, sed exemplum quoque et invitamentum extiterit hominibus laicis vel aliarum gentium, ut concordibus aeque animis consulerent, quibus oporteret praesidiis tutelam religionis neque minus civilis ordinis laborantis suscipere. — Praeterea, ab ipsis Episcopis et praeeuntibus et cohortantibus multum certe navitatis et ardoris hauserunt catholici, ut conventus adsimiles pro nationibus vel provinciis locisve aliis cogèrent et celebrarent; idque sane quam providenter factum. Si etenim contra flagitiosi homines, audacia praepotentes et numero, sese passim congregant foederatique conspirant ut illis donum fidei, unum omnium praestantissimum, et consequentia bona perfide eripiant, rectum omnino est ac necessarium, catholicos, Episcopis moderantibus, studia sua omnia viresque consociare ad resistendum: qui quidem, in talium coetuum frequentia, liberius poterunt et validius sui nominis professionem sustinere, hostiles impetus propulsare.

Res autem ad deliberandum, eaeque magni momenti, Episcopis non deerunt congressuris. — Qua temporum calamitate afflictamur, id primum petendum curandumque esse censemus, ut cum hierarchico ordine vincula christianae familiae arctiore in dies necessitudine constringantur; ita plane, ut fideles Episcopis suis omni voluntate et observantia adhaerescant, quum maxime vero ad Episcopum ecclesiae universae fidem, obtemperationem, pietatem filiorum retineant alacres et profiteantur non timide. Velle autem ut romanus Pontifex nulli subsit hominum ditioni, sed plene sui perfecteque sit iuris, hoc nempe officium quum ad omnes ubique gentium catholicos, non ad unam gentem aliquam, sancte pertineat, Episcopi idcirco collatis videant sententiis atque opera efficiant, ut fidelium studia in eam iustissimam causam erecta constent, caleantque ad exitum feliciter maturandum. —Ibidem commode licebit Episcopis con-

silia inter se communicare, siqua inciderint ecclesiis suis impeditiora negotia: licebit etiam, si de re quapiam expedire visum, communes litteras et acta evulgare. — Item cleri instituendi excolendique cura, qua nulla Episcopo maior neque uberior, suum in consultationibus locum habebit; quemadmodum disciplina et rectio clericorum sacris in seminariis ad tridentinas exigenda normas, quibusnam praecipue rebus alenda in eis pietas et generosa virtus, quaenam maioribus doctrinis, ut congruenter temporibus floreant, incitamenta adiicienda, in omnique clero quaenam ad ampliora animorum lucra sint providenda. — Quod attinet ad greges fidelium, tam multis in periculis insidiisque versantes, permagni intererit varia pro vehi subsidia quae ipsis esse usui possint: de divinis rebus conciones et catecheses, ad homines, aetates, locos bene appositas; pias laicorum non uno in genere sodalitates, quas probet laudetque Ecclesia; inviolatam festorum custodiam et religionem; ea quoque vel instituta vel opera, unde fidelibus, iuventuti in primis, cautiones suppetant a pravitate et corruptela, et unde sacramentorum saluberrima consuetudo increbrescat; denique libros, diaria, similia in vulgus data, quae ad fidei defensionem faciant morumque disciplinam. Qua in re illud magni refert Episcopis commendare quod iamdiu fovemus animo et frequenti admonitione insistimus, ut hominum catholicorum in scribendo edendoque sollertia et meliore ordine temperata procedat et secundis vigeat incrementis. Eiusmodi scriptis optimis, quae vel quotidie vel certis diebus emittantur, multum sane in omni gente est tribuendum ad utilitates rei sacrae et civilis, sive quod eas proxime tutentur et augeant, sive quod adversariorum in ipsarum damna nitentium elidant scripta et contagionem impuram coerceant. At vero in Austriaco imperio tribuendum illis quam plurimum, ubi vulgatae ephemerides infensis Ecclesiae hominibus magnam partem subserviunt, ab eisque, rerum copia affluentibus, facilius disseminantur et fusius. Necesse igitur prorsus est scripta scriptis concursu non impari opponere, atque ita posse eorum tela retundere, fraudes malas detegere, venena errorum prohibere, iusta officia suadere virtutis. Quapropter apte et salutariter fuerit, si suae propriaeque ephemerides, veluti pro aris focisque propugnantes, unicuique sint regioni, eo modo institutae, ut nulla in re a iudicio Episcopi abscedant, sed recte studioseque cum eius conveniant prudentia et voluntate; eisdem.

autem et clerus benigne faveat suaeque afferat doctrinae praesidia, et viri quotquot reapse sunt catholici omnem gratiam bonamque pro viribus et facultate opem largiantur. — Episcoporum sollicitudini et suffragiis alia praeterea se dat tuendam insignis causa, quam vobis cordi esse intelleximus ex litteris quas ad fideles, quibus praeestis, communiter dedistis: ea causa est opificum, religionis auxilio maxime indigentium, tum ad perfunctionem laborum honestam, tum ad levamen tum dolorum: quae causa cum illa cohaeret, per hos dies agitata ferventer, quam socialem nominant, et quae, quanto maioribus implicatur difficultatibus, tanto curationem postulat praesentarem. Huc pariter, quoad in ipsis erit, si cogitationes Episcopi curasque contulerint, si prospexerint ut evangelica iustitiae caritatisque praecepta in omnes civium ordines influant alteque in animos descendant, si quoquo pacto, auctoritate et opera, intimae opificum conditioni subvenerint, perquam optime de religione aeque ac de imperio merebuntur.

Haec igitur et huiuscemodi capita rerum graviora in deliberationem veniant per annuos Episcoporum congressus, quos placet inducere. Nobis autem persuasissimum est, omnes in Austria Episcopos his Nostris votis, quae sanctum movet religionis studium et caritas in catholicas istas gentes benevolentissima, summa omnes esse voluntate et alacritate obsecuturos.

Interim caelestium munerum auspicem et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis omnibus, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, cunctaeque genti Austriacae Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III. Martii MDCCCXCI, Pontificatus Nostri Decimo quarto.

LEO PP. XIII.

MOTU-PRQPRIO Sanctissimi D. N. Leonis XIII ; de vaticana specula astronomica restituenda et amplificanda.

Ut mysticam Sponsam Christi, qui lux vera est, in contemptum et invidiam vocarent tenebrarum filii consuevere in vulgus eam vecordi calumnia impetere, et, conversa rerum nomiliiurique ratione et vi, compellare obscuritatis amicam, altricem

ignorantiae, scientiarum lamini et progressui intensam. — At quae primis ab exordiis Ecclesiae gessit et docuit homines, ea satis refellunt et coarguunt turpis mendacii impudentiam. Nam praeter notitiam rerum divinarum, in qua veritatis sola magistra fuit, praestantiores etiam philosophiae partes, quae summa statuunt principia et fundamenta scientiarum omnium, quaeve rationem veritatis detegendae, recteque ac subtiliter disserendi tradunt, vel animi vim ac facultates explicant, aut in vitam hominum moresque inquirunt, ita per Doctores suos excoluit et illustravit, ut difficile sit novum aliquid memoria dignum iis adiicere, periculosum sit ab iis discedere. — Summa praeterea laus est Ecclesiae, quod iuris prudentiam perfecerit atque expolierit, nec ulla delebit oblivio quantum ipsa contulit doctrinis, exemplis et institutis suis ad implexas quaestiones expediendas, in quibus scriptores haerent scientiarum, quae *oeconomicae* et *sociales* audiunt. — Interim vero ne illas quidem neglexit disciplinas quae in naturae eiusque virium exploratione versantur. Scholas namque condidit et musea instruxit, quo penitius illas iuventus addisceret, suosque inter filios et administros egregios habuit earum cultores, quos ope sua adiutos et ornatos honore ad ea studia impensius colenda excitavit. — Eminet in hoc scientiarum numero *astronomia,* quippe cui ea proposita sunt vestiganda, quae prae ceteris mammis rebus enarrant gloriam Dei; ac virorum omnium sapientissimum mirifice delectabant, qui lumine divinitus indito nosse se laetabatur imprimis « *anni cursus et stellarum dispositiones*» (Sap. VII. *19.* — Porro ad curanda huius scientiae incrementa et fovendos cultores eius illud quoque incitamento fuit Ecclesiae Pastoribus, quod huius unius ope certo possint constituti dies, quibus celebrari oporteat ea quae maxima et religiosissima sunt mysteriorum Christi solemnia. Quo factum est, ut Tridentini Patres qui probe noverant perturbatami esse rationem temporum, quae non satis commode, Iulio Caesare auctore, fuerat emendata, rogarunt enixe Romanum Pontificem ut, viris doctissimis in consilium adhibitis, novam ac perfectiorem conficeret annorum dierumque ordinationem. — Quanta fuerit in ea re gerenda Gregorii XIII Praedecessoris Nostri diligentia, constantia et liberalitas satis compertum est ex indubiis historiae monumentis. Scilicet in ea quae aptissima videbatur parte Vaticanarum aedium speculatoriam turrim excitari iussit, quam instrumentis ornavit, quae ferebat

aetas illa maxima et accuratissima, ibique conventus habuit doctorum hominum quos Kalendario restituendo praefecerat. Manet adhuc ea turris munifici auctoris sui illustria praeseferens indicia, extatque in ea linea meridiana constructa ab Egnatio Danti Perusino, eique marmorea tabula rotunda interiecta, cuius signa scienter exarata demissis ex alto radiis icta solis, necessitatem emendandae veteris rationis temporum et consentientem rerum naturae restitutionem peractam demonstrant. — Haec turris, monumentum nobile Pontificis de scientiis ac litteris optime meriti, ad pristinum caelestium observationum usum post diutinam intermissionem revocata est imperio et auspicio Pii VI, flectente ad exitum saeculo superiore. Tum cura et studio Philippi Gilii, urbani Antistitis aliae etiam adiectae sunt explorationes, quae vim magneticam, tempestates aeris vitamque plantarum spectarent. Ast eo demortuo docto et industrio viro, anno huius saeculi vicesimo primo, templum hoc scientiae astronomicae neglectum desertumque fuit; nam brevi postea Pii VII mors est insecuta, Leonis autem XII curas ad se convertit grandius inceptum scientiarum omnium complectens incrementum et decus, nova nimirum instauratio rationis studiorum in Pontificia ditione universa. Hanc ab immortali Decessore suo cogitatam perfecit ille feliciter, datis Litteris Apostolicis quarum initium: « *Quod divina sapientia* ». Ibi nonnulla graviter constituit de speculis astronomicis, de observationibus assidue peragendis, de scriptione ephemeridum, quae explorata referrent, deque studio adhibendo, ut quae ab exteris detecta forent nostratibus innotescerent. Si Vaticana turris posthabita est quum aliae in Urbe instructae suppetérent, id ex eo profectum videtur, quod qui tunc rerum huiusmodi peritia praestabant, huic turri obesse censerent vicinas aedes, maximeque obiectum tholi praecelsi qui Vaticanum templum coronat. Hinc illae potiores speculae videbantur quae caelum ex aliis editis locis circumspectant. - Postquam vero ea loca cum reliqua Urbe in alienam potestatem devenere, agentibus Nobis quinquagesimum primum sacerdotii Nostri natalem diem, plura cum aliis muneribus oblata sunt instrumenta, affabre facta, quae cultoribus physices caelestis, aëriae et terrestris usui sunt; atqui nullam illis aptiorem sedem tribui posse viri physicae scientiae peritissimi putaverunt prae ea, quam Gregorius XIII iis quodammodo paravisse in Vaticana turri videbatur. Quum ea sententia Nobis probata esset;

ipsa aedificii natura, veteris gloriae eius memoria, et collecta suppellex, non secus ac vota virorum prudentia et doctrina praestantium, Nobis suasere, ut iuberemus eam speculam restitui, rebusque omnibus ornari et instrui, per quae non modo astronomiae studiis esset profutura, sed etiam pervestigationibus physicae terrestris, et pernoscendis phaenomenis quae in aëria regione contingunt. Quod porro amplitudini prospectus deesse videbatur ut quoquoversus pateret latissime ad sidera eorumque motus explorandos, id commode praestitit vicinitas *Leoniam propugnaeuli* veteri soliditate nobilis, cuius turris editissima in vertice collis vaticani assurgens maximas praebet opportunitates, ut inde astrorum observatio plenissima sit et numeris omnibus absoluta. Hanc itaque adiutricem addidimus Gregorianae speculae, eoque deferri iussimus ingens optices instrumentum quod *aequatoriale* dicunt, ad photographicas siderum imagines excipiendas comparatum. - Ad haec gnaros sollertesque viros selegimus, quorum ministerio ea omnia praestarentur quae suscepti operis natura flagitat, iisque praefecimus virum rei astronomicae et physicae scientissimum, *P. Franciscum Denza* ex Clericis Regularibus S. Pauli, Barnabitis nuncupatis. Horum industria freti libenter annuimus Vaticanam speculam in societatem partemque operis vocari cum aliis praeclarissimis Institutis rei astronomicae provehendae addictis, quibus propositum est tabulas photographicas conficere quae totius caeli, prout nitet, frequentibus stellis conspersum, accurate imaginem referant. - Quum autem susceptum a Nobis opus in hac specula restituenda non brevi interire, sed perpetuum fieri optemus, legem ei dedimus quae regulas praescribit, quas in rebus ibi gerendis ac ministeriis obeundis servari volumus. Consilium praeterea constituimus virorum lectissimorum penes quod summa sit totius rei moderatio, et maxima post Nostram potestas in iis quae spectant internum eius ordinem decernendis. - Iamvero hanc legem et hoc Consilium, non secus ac delationem variorum munerum et reliqua "quae hucusque iussu vel consensu Nostro circa Vaticanam speculam acta sunt, per hasce Litteras solemniter confirmamus, eamque in eodem ordine haberi volumus cum aliis Pontificiis Institutis quae scientiarum colendarum causa condita sunt. Imo quo firmius operis stabilitati consulamus, pecuniae vim eidem attribuimus cuius reditus sumptus eidem servando tuendoque decenter necessarios suppeditet. Tametsi magis quam humanis praesidiis, illud

tectum iri florensque fore confidimus favore et ope omnipotentis Dei; namque in eo aggrediendo non modo incrementis studuimus scientiae praenobilis, quae mortalium animos prae ceteris humanis disciplinis ad rerum caelestium contemplationem erigit, sed illud praecipue animo intendimus quod ab ipsis Nostri Pontificatus exordiis constanter, ubi data est occasio, verbis, scriptis rebusque gestis praestare adnisi sumus, curare scilicet, ut omnibus persuasum sit, Ecclesiam eiusque Pastores, prout initio diximus, non odisse veram solidamque scientiam cum divinarum tum humanarum rerum, sed eam complecti et fovere, et qua valent ope studiose provehere.

Omnia igitur quae Litteris hisce Nostris statuimus et declaravimus, rata et firma, uti sunt, ita in posterum esse volumus ac iubemus, irritumque et inane futurum decernimus, siquid super his a quoquam contigerit attentari, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die xiv Martii anno MDCCCXCI, Pontificatus Nostri decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad comitem de Ballestrem, Liberum Baronem Heermann comitem de Preysing ; occasione obitus illustris L. Windsthorst, cuius vestigia sequi exoratur in patriae et fidei studio.

Dilecti Filii salutem et Apostolicam benedictionem.

Summa animorum coniunctio quae vobis fuit cum egregio Viro *Ludovico Windthor st,* etsi Nos minime latebat, exploratior tamen Nobis extitit ex iis quae telegraphica scriptione perferri ad Nos curavistis, communi vestro et collegarum catholicorum nomine, per dilectum lilium Nostrum Cardinalem a publicis negotiis administrum. Iusto enimvero et acerbo dolore affectos vos esse intelligimus ex insperato eius Viri obitu, cuius religio, integritas, prudentia, aliaque animi ornamenta perspecta prae ceteris vobis fuere, qui ipsum ducem sequuti in officii gravissimi perfunctione, non minus laborum et consiliorum socii quam laudis eius participes extitistis. Vestra, enim consensione et suffragiis fretus, maximis rei christianae et publicae tempo-

ribus, Ecclesiae rationes et iura strenue defendit, causamque iustitiae semel susceptam magno animo tueri perrexit, donec ea se assequutum videret quae animo constanter intenderat. Merito autem partium vestrarum principem eum vos habuisse gloriamini, qui nunquam se adversantium viribus aut popularibus fluctibus gradu moveri passus est, qui ita patriam dilexit et debitam Principi observantiam ostendit, ut nunquam haec officia a religionis cultu seiunxerit, atque ita rationum pondere solidaeque eloquentiae robore eos qui contra sentiebant oppugnavit, ut facile agnitu esset, eum veritatis studio ad certandum, non ulla commodi aut honoris cupiditate moveri. — Equidem haec eius merita, uti par erat, probatissima habuimus; idque cum alias, oblata occasione, testati sumus, tum nuper hoc anno, quum, redeunte anniversaria die coronationis Nostrae, nova honoris accessione ipsum augere voluimus, adlectum nempe inter Equites primi Ordinis Sancti Gregorii Magni insignibus eius ornare. Quod si morte praereptus hoc amoris et existimationis Nostrae testimonio frui non potuit, certa spes Nos solatur et recreat, quae illum Nobis ostendit amplioribus praemiis a Deo ornatum, eamque adeptum incommutabilem gloriam, qua nulla illustrior ac beatior est hominibus expetenda.

Vos interim, dilecti filii, virtutis memores et exemplorum tanti ducis, firmiter vestigia eius insistite, arctam inter vos retinete concordiam, quam ipse in eo cui praefuit agmine, naviter studioseque servavit, ac certum habete quod ille semper animo defixum habuit, prosperitati et gloriae communis patriae eo consultius a vobis prospectum iri, quo impensius vos praebueritis fideles Deo et Ecclesiae matri obsequentes. — Sic vos sociosque vestros propitius Deus tueatur ac sospitet, eiusque favoris auspex sit Apostolica benedictio, quam voláis singulis universis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xix Marti anno MDCCCXCI, Pontificatus Nostri decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

MATRIMONII

Die O Septembris i 890.

COMPENDIUM FACTI. Die 20 Novembris 1880, Parisiis, in ecclesia parochiali s. Augustini, catholico ritu, ad formam Tridentini, matrimonio copulati fuerunt D. Aloisius Delarue et Dna Susanna Pauchet. Nulla habita prole, sextum post annum, vir divortii sententiam obtinuit, ob derelictum a muliere coniugale domicilium. Cum autem causa diceretur apud civile tribunal, accidit ut mulier testimonium produceret suae corporalis integritatis : quae res omnibus admirationi fuit et praesertim viro, qui matrimonialia officia a se plene adimpleta fuisse censebat. Licet autem tribunal sententiam tulisset in favorem viri, nulla habita ratione assertae a muliere integritatis; tamen exeunte anno 1888, vir ecclesiasticum tribunal adivit, ut dispensationem peteret super matrimonio rato et non consummato. Annuit Sacra haec Congregatio, et facultatem fecit Emo Archiepiscopo, ut, ad formam Benedictinae, processum construeret et acta omnia Romam transmitteret. Quod et factum est.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Gravissima, sapientissimi iudices, ait, est causa, quae supremo vestro iudicio hodie discutienda proponitur. Agitur enim de corporali comprobanda integritate mulieris, quam suus vir cognovisse putat, quam civile tribunal talia producentem reiecit, quam denique ecclesiasticus iudex, ut assertam integritatem novo experimento comprobaret, adigere non valuit. Hinc si semper, hodie certe, nedum anceps, sed pavidus loquar: dum ex una parte pro sacramenti

indissolubilitate mihi decertandum putarem, ex altera vero talis apparet contraria rei certitudo, ut non advocatus pro cliente, sed theologus pro veritate ad dicendum requisitus, me cohibere non possum quin et matrimonium in casu haud consummatum affirmem, et causas ad dispensandum validissimas haberi contendam.

Atque ut mentem meam ab ipso aperiam sermonis initio, dicam statim, me esse intime persuasum, Aloisium Delarue et Susannam Pauchet matrimonialibus officiis operam quidem dedisse et obtentam consummationem putasse, at frustra, inaniterque; quin tamen rem cognosceret, si non mulier, saltem vir. Hanc autem non secutam consummationem repetendam puto non proprie forsan ex quadam viri impotentia, sed potius ex quadam asymetria partium genitalium, per excessum in viro, et per defectum in muliere; quam certe graviorem evasisse contendo, et matrimonialibus officiis magis oppositam ex non ordinaria in muliere genitalis orificii positione. Quae omnia si ex actis processus valeam demonstrare, vos certe, sapientissimi iudices, declarare non dubitabitis matrimonium coniugum Delarue neque consummatum fuisse, neque revera consummari potuisse.

Haec autem demonstratur^, ut iam dixi, non tamquam advocatus pro cliente, sed tamquam theologus pro veritate, incipiam ab exponenda evidentissima illa contradictione, quae resultat ex coniugum responsionibus circa adimplementum matrimonialium officiorum. Vir enim affirmat in processu, se pluries, et ab ipsa prima nuptiarum nocte, rogasse mulierem ut vellet suo muneri satisfacere; sed invitarli semper et reluctantem reperisse. B contra respondet mulier quod certe libenter se facilem praebuisset, si id aliquando a viro expostulatum fuisset. At, si ita est, cur ipsa non petiit? Evidenter, Emi Patres, et vir et mulier petierunt, sed cum effectum inanem vidissent, timuit uterque ne impos diceretur. Et mulier quidem seipsam probe noscens, id debuit statim timere; vir autem, bonus et simplex, tantum post prolatum a muliere suae integritatis testimonium.

Et sane quod praefati coniuges, quidquid verbo dicant, reapse convenerint, triplici potest argumento demonstrari, ex processibus desumpto. Etenim 1 cum mulier apud civile tribunal documentum protulisset integritatis suae, scimus virum valde obstupuisse. At quaeso, ad quid haec viri admiratio, nisi quia certo sciverat se pluries uxorem suam cognovisse? Et quidem 2 non quocumque modo, sed perfecte cognovisse putabat; dixerat enim Dno Roger *quii pensait acoir eu ries rapports avec sa femme, et il pensait que les rapports avaient été complets.* Imo 3 in quodam infimo et confìdentiali colloquio habito cum Dno Hurpy, declaraverat vir se pluries usum esse iure suo ad filios habendos. Et notandum quod qui ita deponunt, sunt ipse advocatus, cuius vir in causa peragenda secutus est consilia, et medicus, a quo vir fuit physice inspectas ad eiusdem recognoscendam potentiam. Dubitari igitur nullimode potest quin Aloisius et Susanna reapse convenerint. Et si aliud affirmant, fidem non merentur.

Quid igitur iuris? Probe nostis, sapientissimi iudices, in causa dicenda rem esse a causa rei omnino distinguendam: aliud est enim, ut loquamur de casu, factum quaerere consummationis, et aliud non secutae consummationis causam inquirere. Et siquidem coniuges audiendi non sunt, cum de causa loquuntur; omnis est ipsis fides adhibenda, cum de facto testificantur. Etenim in causa designanda, cum nemo seipsum prodere teneatur, mirum non est si coniuges verum abscondant, vel proferant falsum. At in facto statuendo, cum id generatim fiat ad conscientiae consulendum, mendacium, nisi per summam iniuriam, supponi non potest. Imo absonum non esse videtur si coniuges, quadam utentes mentali restrictione, dicant ex. gr. se non convenisse, cum certo sciant quod *efficaciter* non convenerint.

Hinc, ad factum quod spectat, inquirendum est, Emi Patres, an Aloisius et Susanna ita convenerint, ut eorum matrimonium tamquam revera consummatum haberi possit. Negativam autem responsionem seligendam esse, iam dixi ab

initio, et nunc tali argumento demonstrandam assumam, ut coniuges neque vere convenire potuisse evidentissime pateat. Et quidem quod vere et, ad effectum quod attinet, efficaciter non convenerint, acta omnia processus conclamant. Habemus enim 1 partium iuramentum, et praesertim iuramentum viri, qui cum sit vir probus, et ut talis a testibus recognitus, et ab Emo Archiepiscopo commendatus, omnem fidem meretur, imo omnem parit certitudinem: 2 habemus testium depositiones, ex quibus resultat vel mulierem natos habere noluisse, vel ab ipsa prima nuptiarum nocte, viro suo se reluctantem praebuisse, vel ita accedentem virum recepisse, ut aut actus perfectionem impediret, aut perfectum actum habere non posset.

Atque hic animadvertatis oro, sapientissimi iudices, quae hic a testibus asserta dicuntur, omnia explicite dicta fuisse ad excludendam consummationem. Sic, ut unum vel alterum proferam testimonium, expressis verbis aiebat Dnus Lafosse: *Je dois ajouter sur le point de la non consummationi que madame Delarue de notoriété presque publique ne voulait pas avoir d'enfants.* Pariter cum Dnus Roger asseruisset *que madame Delarue a pu se prêter en apparence aux désirs de son maxi,* id certissime asserebat ad excludendam veri nominis consummationem, utpote qui audiverat a perito medico Dno Hurpuy Susannae genitalia non esse ut in ceteris mulieribus disposita, idque vere et proprie sub respectu potentiae. Certum est igitur ex actis processus quod Aloisii et Susannae matrimonium revera consummatum non fuit, etsi coniuges saltem apparenter convenerint.

Fateor equidem, Emi Patres, haec omnia, etsi gravia, ad effectum tamen sufficientia non videri. At quid si probem, Aloisium et Susannam simul vere convenire non potuisse? Et tamen ex processu id certum, exploratumque est. Breviter dicam quae longius audire taederet. Ibi impossibilis evadit *verus* maritalis congressus , ubi coniugum genitalia contraria et opposita proportione donantur. Atqui ita accidit in casu nostro : ergo Aloisii et Susannae matrimonium *vere*

consummari non potuit. Et sane ex medicali inspectione peracta a Dñis Hurpuy, Brouardel, et Tarnier, constat virile Aloisii membrum tali esse amplitudine donatum, ut in statu erectionis ordinariae debeat omnium amplitudinem superare. E contra ex mulieris inspectione, quam peregerunt Dñi Brouardel et Tarnier, resultat genitale eiusdem orificium adeo arctum esse, ut neque minimi digiti extremitatem admittat, et ita se dilatandi carere vi, ut neque primus arctus minimi digiti introduci valeat, quin dilaceretur. Quomodo igitur, et qua ratione, potuerunt huiusmodi vere et reapse convenire?

At dicet fortasse cl. vinculi defensor: quomodo igitur et qua ratione putare potuit vir se rem cum uxore sua perfecte habuisse, quando neque veri congressus possibilitas admittitur? Nonne putandum est theologi argumentum nihil probare, cum nimis probare contendat? Non ego, sed respondeat pro me peritus medicus Dnus Hurpuy, qui opportune requisitus a parisiensi ecclesiastico iudice, apertissime fassus est, nil mirum quod, data in contrario sensu partium genitaliuin asymetria, possint putare coniuges se perfecte convenisse, cum tamen revera non convenerint. Abs re non sit eius verba referre: *Mon avis est que étant donnée la disproportion en sens inverse des organes sexueles des deux conjoints, ils ont pu pendant longtemps et de bonne fois croire accomplir régulièrement les fonctions génératrices, sans les accomplir rèellemen t.*

Et quoniam appellavimus ad Dùum Hurpuy, iuverit eius opinionem referre circa potentiam mulieris. Iuridice enim interrogatus Dnus Roger, an virum Aloisium Delarue potentem putaret, respondit, se perlegisse medicalia documenta, quibus constat, virum esse optime a natura conformatum; sed potius audivisse doctorem physicum Dnum Hurpuy dicentem non idem teneri posse de eiusdem muliere, ob quamdam genitalium organorum anomaliam. Hanc autem Dnum Hurpuy deduxisse puto ex quibusdam factis, sine ulla haesitatione assertis in relatione physicae inspectionis corporis mulieris et praesertim 1 ex arctitudine genitalis orificii, 2 ex

deficiente vi ad seipsum dilatandum, 3 ex quadam insensibilitate, qua, peracta digito pressione super vaginale orificium, nulla producitur doloris sensatio, 4 demum ex non ordinaria orificii positione. Equidem fateor et ego haec omnia mulieris impotentiam *iuridice* non probare; at satis, superque sunt ut ex iis possit, deductivo argumento, copulationis impossibilitas demonstrari. Unde verum erit quod Dfii Brouardel et Tarnier canonice requisiti, iuramento affirmarunt, scilicet, genitalia utriusque coniuges *inter comparata** demonstrare quod virilis membri introductio in mulieris vaginam *locum vere non habuit** ut dicit Dnus Tarnier, vel melius *locum habere non potuit** ut vult Dnus Brouardel.

Et haec quidem, sapientissimi iudices, magni facienda esse vel inde patet, quod aliud sit matrimonium non consummatum dicere ex inspecta mulieris integritate, et aliud non consummationem deducere ex comparatis utriusque coniugis genitalibus organis. Qui mulierem integram dicit, is factum consummationis excludit, si ita loqui fas est, *in actu secundo.* At qui coniugum genitalia comparat, si ex hac comparatione matrimonium non consummatum dicat, is censendus est factum consummationis *in actu primo** idest quoad sui possibilitatem. Simplex enim consummationis factum, tale non est ut deduci possit ex inspecto virili membro. At si virile hoc membrum comparetur cum vagina mulieris, bene potest possibilitas consummationis excludi, quoties ex alterutrius vel utriusque conformatione, ingressus impossibilis appareat. Si igitur in casu verum est *que la comparaison de Vetat des organes génitaux de monsieur et madame Delarue permet d'affirmer que l'introduction de la verge du mari dans la vagine de madame Delarue n avait pm avoir Heu** fateamur oportet, matrimonium Aloisii cum Susanna neque vere consummatum fuisse, imo neque consummari potuisse.

Hinc omnia explicantur et evanescunt quae aliquam possent difficultatem facessere. Vir matrimonium vere consummatum fuisse putavit, quia bonus et simplex cum esset, id

tenebat quod, ex medicorum sententia, potest etiam per longum tempus et bona fide supponi. Postea vero dixit se numquam convenisse, quia reapse numquam efficaciter. Mulier e contra affirmabat se natos habere noluisse, quia seipsam probe noscens, timebat ne ut impos t induceretur. Hodie vero recusat ulteriorem sui corporis inspectionem, quia se prodere non vult. Quid plura? Video graviorem etiam afferri posse difficultatem; sed pariter facilioris esse solutionis contendo.. Esto quod corporalis mulieris inspectio locum habuerit iam tribus abhinc annis : esto quod iuridice non constet coniuges, post illam inspectionem, non amplius simul cohabitasse: esto quod mulier deneget hodie seipsam inspiciendam praebere. Ast quid ex hoc? quae consequentia? quae conclusio? Probant tabulae, publicae esse notorietatis, quod mulier amplius suum virum non viderit. Et dato etiam quod simul cohabitaverint; imo dato pariter quod simul convenerint, et quidem sponte, maritali affectu, reciproco conatu; dicemusne ipsos obtinuisse quod *ex naturali permanente defectu* numquam obtinere potuerunt? Et id utique darem, si maritalis congressus impossibilitas repetenda esset ex quadam frigiditate, ex aversione animi, ex nervorum debilitate. At cum repetenda sit ex ipsa organorum conformatione, ex notabili quadam genitalium partium in contrario sensu asymetria, qua, quaeso, ratione fieri potest ut haec omnia evanuerint et in viro et in muliere? Quo igitur se vertat acutissimus vinculi defensor, id unum fateatur necesse est, scilicet matrimonium Aloisii cum Susanna, nonnisi per miraculum consummari potuisse.

Nil igitur remanet, Emi Patres, nisi ut, actoris precibus, benigne receptis, rogetur SSmus pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato. Et quidem causae ad dispensandum validissimae afferuntur. Et 1 probatum in iure; est validissimam ad dispensandum esse causam illam, quae si iuridice probata esset sufficeret ad nullitatem declarandum. Atqui habemus in themate probabilem mulieris impotentiam; probabilem quidem, non quia ipse veram non putem, sed quia

in tabulis, explicitis verbis non asseritur : nil igitur impedit quominus saltem pro dispensatione obtinenda assumatur. 2 Habemus iam prolatam civilis divortii sententiam; et Vos non latet, Emi Patres, quae inde mala possent provenire in animarum detrimentum, denegata dispensatione. 3 Denique stat in facto pertinax animorum aversio, quae praesertim ex parte mulieris nulla ratione vinci posse videtur, ut ipsa declaravit mulier, et testes deposuerunt.

VOTUM CANONISTAE. Tria, ait iste, in casu praesenti sunt consideranda, nempe processus, non-consummatio praetensa, et gravitas causarum ob quas solutio vinculi petitur. Sub triplici hoc capite igitur ea proferam quae mihi occurrunt iudicio EE. PP. submittenda.

DE PROCESSU. - Nemo est qui non videt processum multiplici et gravi vitio maculari, non quidem quod tribunal non fuerit rite constitutum, quoad hoc enim praescripta fuerunt adamussim impleta; sed defectus revera substantiales ex parte utriusque coniugis vim probativam actorum notabiliter minuunt si non penitus destruant. Etenim citata Susanna comparuit quidem coram iudicibus ecclesiasticis, et sub iuramento affirmavit, matrimonium suum nunquam fuisse consummatum, quod marito in culpam tribuendum asserit: sed omnino recusat inspectionem obstetricum, et quamvis petitioni viri pro solutione vinculi minime adversetur, noluit instigationi concurrere, testes pro sua parte producendo. Testimonium igitur « septimae manus » ut aiunt, pro parte mulieris omnino deest, dum ex parte viri valde sit incompletum. Praeter medicum Hurpy tres tantum testes a viro producuntur, nempe DD. Lafosse, Roger et frater actoris. Aliorum trium afferuntur testimonia in causa coram tribunali civili iurata, quorum duo mortui sunt ante inceptum processum ecclesiasticum, et tertia D. Gavet gravi morbo detenta, omnino nequiverat coram iudice se sistere et testimonium proferre. Inter acta processus inveniuntur attestationes authenticatae tum mortis, tum gravis aegritudinis; verum quorsum valeant haec, iudicent EE. PP.- Non satis videtur cur alii

testes inveniri non potuerint, qui testimonium ferrent coram ipsis iudicibus aut si hoc difficilius fuerit, coram iudice delegato, ad normam dictae Constitutionis Benedictinae. - Meo iudicio, processus tam defectuosus auget possibilitatem errandi, et non meretur nisi responsionem negativam.

Negandum non est quaestionem moveri posse, et reapse movetur, utrum requiratur rigorosa Constitutionis Benedictinae observantia, quando de dispensatione tantum agitur coram S. C. C. tractanda. Siquidem actus « *consultivus* », qualis est actus S. C. in casibus ubi dispensatio petitur, differt essentialiter a « iudicio », quo nullitas alicuius matrimonii pronuntiatur; et aliunde certum videtur quod solemnitates Benedictinae, iudices potius, iudicium ferentes, respiciant, non eos qui votum consultivum emittere debent, ita ut sententia negativa non sit improbabilis. Nihilominus tutior et verior est sententia opposita, quae ceteroquin in ipso stylo S. C. nititur. - Vid. Litteras ad Archiep. Paris, in Act. et praeterea confirmatur ratione. Revera in dispensationibus huiusmodi non minus quam in causis de Imped. dirimenti impotentiae, « non-consummatio » est factum, ut ita dicam, centrale et capitale a quo solutio pendet. Probari igitur debet plenissime, nullum circa illud remanere debet dubium positivum, et proinde sedulo observanda quaecumque per processum ordinata fuere, quae omnia eo unice tendunt ut veritatem circa factum non-consummationis patefaciant, semota formidine collusionis inter partes vel cuiuscumque deceptionis. Deficiente ergo a forma canonica processu, praesertim cum defectus non errori, sed perversae voluntati adscribendum videtur, petitio refici potest ac debet.

Sanatur quidem processus defectus quandoque, per dispensationem S. Pontificis; sed utrum hoc expediat in casu, melius apparebit ex dicendis circa secundum punctum, nempe non-consummationem, ad quam nunc gressum facimus.

DE NON-CONSUMMATIONE. - Quo magis clarescat discussio huius rei, ex qua sors petitionis potissimum pendet, iuvat prae oculis habere historiam istius parum felicis connubii.

Die 20 Novembris 1880, Aloysius Delarue, civilis conditionis vir matrimonium contraxit cum Susanna Pauchet, quae videtur fuisse conditionis aliquantum inferioris. - In actis describitur « cucitrix » coutourière. Huic matrimonio praecesserant tractatus ab anno ferme, sed non tales ex quibus futuri sponsi cognitionem adaequatam indolis et qualitatum utriusque respective habere potuissent; nam ut testatur frater Aloysii: « Simul convenerunt in loco publico nequaquam apud parentes. Statim post matrimonium incoeperunt discordiae, quamvis vir certissime sponsam arnaverit et ipsa coniux vicissim se « contentissimam » matrimonio se exhibuerit, et infelix haec conditio rerum durasse videtur toto tempore cohabitationis.

Ratio sufficiens huius discordiae habetur, si admittamus quae a viro affirmantur, nempe quod ab initio et toto tempore quo coniuges simul vixerunt, mulier pertinaciter officia coniugalia recusaverit, protestans se nolle filios habere. Sed hic, difficultas; mulier recise negat se unquam debitum coniugale recusaturam, si requisita fuerit. Pluries affirmât virum nunquam copulam rogasse aut attentasse. Interrogata utrum parata fuerit consentire marito petenti: respondit cum emphasi « utique, certe ». Deinde quoad dissensiones affirmat has unice attribuendas esse indoli iracundae et violentae mariti, qui illam ex causa levissima saepe verbis non tantum sed et pugnis impetivit. Quidquid de hac contradictione inter ipsos dicatur, certum est coniuges simul habitasse usque ad 1886, discordia non obstante; et illo anno, Susanna occasionem nacta in itinere quod singulis annis solebat suscipere ad alium locum causa sanitatis et recitationis, declaravit se nunquam ad domum et consortium mariti reversuram. Quod autem alicuius momenti certi est, vir, facta monitione de restituendo domicilio, processum instituit pro divortio coram iudice laico, vix quindecim elapsis diebus a quo uxor primo declaraverat se nolle reverti! ! Quae ratio agendi praeter irreverentiam erga Sacramentum, indicat etiam quamdam praecipitationem et animi intemperantiam, quae

aliqualiter confirmant ea quae sunt a muliere allegata, circa causas dispensationum.

Ut petitionem viri destrueret et divortium obtineret ex capite impotentiae, Susanna peritiam duorum medicorum protulit, qui testantur ipsam virginem adhuc esse et matrimonium inconsummatum. Nihilominus in favorem viri sententia prolata est a duobus tribunalibus « primae instantiae » scilicet et « appellationis ». Circa hoc iudicium notandum quod tribunal civile abstineat ab omni sententia, tum quoad impotentiam praetensam, tum quoad non-consummationem, et solutionem decrevit ob derelictam a Susanna habitationem coniugalem. Postea autem Aloysius, cum id utile sibi videretur, non-consummationem obtendit ipse in sua ad S. Sedem petitione pro dispensatione.

Nunc videamus quid dicendum de non consummatione, certa ab incertis secernendo. - Constat 1 coniuges simul habitasse per sex annos, nisi excipias paucas hebdomadas a Susanna transactas apud suos vel in alio loco de consensu mariti - toto hoc tempore solitos fuisse coniuges in eodem lecto discumbere. - 2 Esse ambos iuvenes, tempore matrimonii contrahendi: vir 25 annos habuit, mulier 19, nulla infirmitate affectos, et praeterea Aloysius vehementi amore captus Susannam uxorem duxerat; dum ipsa pro parte sua contentissimam se exhibuerat. - 3 Suspicio impotentiae impellitur a viro et excludi videtur peritia medici Hurpy, et nihil ex testimonio aliorum medicorum erui potest contra habilitatem Susannae ad congressum coniugalem - Iam vero haec omnia praesumptionem constituunt consummationis maximam, quam destruere non valent nisi argumenta certa et peremptoria in contrarium. - At ubi quaeso sunt haec argumenta?

Adducitur testimonium duorum medicorum Tarnier et Brouardel de « non-defioratione » Susannae, quod post inspectionem vulvae eius - de corpore « non loquuntur - ediderant. Iam vero conditio partium genitalium feminae est indicium si velis, et quidem potissimum physicae virginità-

iis; sed non est unicum, et quod plus est, non est signum infallibile. Scriptores de re' medica casus referunt in quibus mulieres usque ad partum servavere hymenem inctactum et alias sic dicta signa virginitatis in genitalibus. - Vide Lazzaretti - *Medicina legale* Lib. III pp- 386 seq. Pag. 47 eiusdem libri.* Praeterea refert casum a tribunali Patavino ad ipsum relatum, in quo quinque medici testantur virginitatem alicuius feminae post inspectionem, contra medicum fiscalem qui censuerat ne quidem defloratam, sed et matrem fuisse! *Voi pag. 390.*

Admitti potest statum physicum Susannae, qualem illum depingunt duo medici, vix explicari posse si supponamus relationes coniugales inter sponsos fuisse normales per illos sex annos cohabitationis. Sed hoc supponi nequit, cum ex actis contrarium evidenter appareat. Sive enim Aloysium audiamus, sive Susannam, concludere necesse est, tales extitisse inter ipsos dissensiones, ut vix supponi possit officia coniugalia solita locum habuisse toto tempore cohabitationis, et probabilis conficitur illa omnino aut omnino cessasse paucis post matrimonium mensibus. - Verum ab initio non fuit sic. Sponsi sibi invicem iuncti fuerunt et amore et vinculo matrimonii. De Aloysio hoc est certum; etiam quoad Susannam probatur, tum ab Aloysio, tum ab eius fratre. Iam vero sufficit copula una vice ad matrimonium consummatum ut patet. - Conditio vulvae non absolute excludit copulam ex qua generatio sequi potest; remanet ergo praesumptio pro consummatione etiam contra testimonia duorum medicorum - eo vel magis quod, contra praedictum testimonium in re obscura et proinde erroribus obnoxia, habeamus factum quod coniuges in eodem tecto discubuerint - quod se invicem amaverint, quod iuniores fuerint nullo morbo impediti, et quod demum, nec verbum de impotentia habeatur ab una vel ab altera parte: quae omnia, ni fallor, sustinent praesumptionem consummationis, non obstante declaratione medicorum.

Praeter testimonium medicorum, parvi vel nullius ponderis sunt quae afferuntur pro non consummatione, quaeque

ad duo argumenta reduci possunt. Principio est quod Susanna a prole habenda abhorrens, vel a principio matrimonii statuerit debitum coniugale recusare vel simulate tantum concedere - quod duplici argumento niti videtur. Primum, nocte ipsa nuptiarum Susanna, ut ipsa admittit, non sinebat maritum ad ipsam accedere. - Secundum , quod saepe repetebat se filios nolle habere - nolle « nutricem agere » etc. ita ut prava eius voluntas circa hoc res esset notoria in civitate.

Re quidem vera, si haec duo ita coniungerentur, ut constaret pravam illam voluntatem causam fuisse renitentiae Susannae, et pariter certum esset illam in proposito perseverasse toto tempore connubii, res conficeretur et amplius : quia ipsum matrimonium nullum fuisset ob conditionem substantiae contrariam. Verum ut hoc probetur, afferri debeant declarationes a Susanna factae ante et post matrimonium - pariter certum esse debet huiusmodi verba fuisse serio ab ipsa prolata, - non ex ioco aut quadam levitate - sed in actis nullum huiusmodi vestigium. Non diffitetur Susanna,[1] se in talia verba prorupisse quandoque, sed ex ioco et non serio. Confessioni addi potest, quod deinceps crescente discordia inter sponsos, declarationes istae fuerint serio factae et repetitae - nil hoc probabilius attentis discordiis; sed quid inde? Concludendumne est ex his ipsam toto tempore connubii firmam voluntatem habuisse repellendi a se maritum eo quod prolem habere noluerit? Quid tunc dicendum de « amore viri sui » de « felicitate praeterita » de quibus eloquentius maritus in suis ad uxorem litteris post separationem scriptis?

At, urgere videtur orator per testes ab ipso vocatos, confessa est Susanna se nocte nuptiarum non « permittere se a marito tangi. » — Transeat; sed quid de omnibus noctibus subsequentibus, nam semper in eodem lecto discubuere? Sane haec actio sponsae 19 annorum alias explicationes admittit, quin recurramus ad monstruosam theoriam voluntatis pravissimae impediendi conceptus, quae quidem in feminis interdum invenitur post duram partus experientiam,

in iunioribus, qui non sint meretrices, quod sciam, nunquam. Nihil in actis suspicionem ingerit quod maritus cum uxore conspiraverit de generatione impedienda, imo iurat ille se-voluisse semper prolem habere, et in hunc finem matrimonium contraxisse. Remanet ergo tantum factum noctis primae a Susanna confessum, quod parum valet. Aliud sane est repellere primos accessus neo-sponsi, quod accidere potest plurimas ob causas, et per bimestre fieri potest absque peccato, aliud est idem facere ob pravum finem, cum animo perseverandi. Primum admitti potest in casu, sed non valet ut argumentum; secundum valeret quidem ut argumentum,, sed non probatur.

Etenim quae de « notorietate » intentionis Susannae proferuntur infirma sunt. Rumor vel fama cui innititur facile orire potuit ex verbis sive ex ioco, sive ex ira prolatis, praesertim quando dissensiones factae sunt publici iuris: praeterquamquod suspicandum est Concives viri et feminas speciatim non fuisse tenerissimas erga puellam Parisiensem pulcherrimam, imprudentem in verbis et, quod peius erat, admirationis hominum cupidissimam. Humana res agitur, humano modo igitur sunt omnia interpretanda. Absque iniuria ergo missam faciamus « notorietatem. >

Praeter « notorietatem » et iactum primae noctis, aliud profertur argumentum nempe confessio iuridica oratoris in sua depositione coram Iudicibus ecclesiasticis. In hac, negat copulam unquam inter ipsos locum habuisse, quia uxor semper recusavit, onera et incommoda prolis habendae refugiens. « Pluries tentavi consummationem. » « Uxor mea semper obstitit. Noluit ipsa filios habere. » Haec et similia pluries in decursu suae depositionis repetit.

Verum, praeterquamquod huiusmodi confessio tota in commodum confitentis, in iura parum vel nihil probat; in casu omni vi et valore caret: et hoc probatur ex ipsis a,ctis processus.

luter testes al) oratore vocatos, unus est D. Roger, advocatus civilis, familiae Alovsii iusri amicitia devinctus. Te-

stimoni um D. Roger maxime favet Aloysio et est Susannae inimicum; quod sane prae oculis est habendum. Iam vero inter alia, haec iurat: « Semper mihi dixit D. Delarue Aloysius, *se credidisse habere cum uxore copulam, eamque perfectam.* Eius bona fides mihi nota est; dubium mihi utrum Susanna eadem bona fide versaretur. Deinde « In decursu causae coram Iudice civili, et *I). Delarue, Aloysii admiratione* protulit D. Delarue attestatum duorum medicorum de sua virginitate. » Nunc audiatur medicus D. Hurpy, alter amicus familiae Delarue et testis in causa. « Existimo quod posita disproportione partium genitalium coniugum fieri potest quod ipsi, longo tempore, sincere credere potuissent, se recte exercere functiones generationis, quin reapse illas exerceant. Ex conversationibus intimis cum D. Delarue mihi constat ipsum officia coniugalia implevisse animo filios procreanda »

Dicta ab Aloysio, relata a duobus his testibus omni exceptione maioribus, pertinent ad « tempus non suspectum » scilicet prolata fuere ante inceptionem processus ecclesiastici: proinde ponderis sunt longe maioris illis, quae postea incepto processu ab eodem dicebantur. Ita in iure. Sed conciliari possunt haec quae contradictoria videntur. Maritus iuvenis, bonis imbutus moribus existimare bene potuit qualemcunque vasis penetrationem cum seminis eiaculatione esse copulam, qualis ab omnibus viris exercetur; deinde commentis medici edoctus seu potius delusus credidit alia requiri, scilicet destructionem hymenis et etc. , ita ut aequa bona fide affirmari potuerit matrimonium suum fuisse consummatum, et deinceps hoc negare, prout revera in sua petitione illud negat. Negat quoque Susanna ob rationes diversas, et meo iudicio falsas. Nam dicit id evenire quia vir debitum non petebat, quod concordat male cum supradictis, et est contra experientiam.

Qui absque partium studio omnia hucusque discussa considerant, in hanc conclusionem certo veniet, quod probationes allatae pro non consummatione sint parvi vel nullius

valoris. Reducuntur ad testimonium duorum medicorum de virginitate, et nota bene quod ipsi a vocabulo « Virginitatis » abstineant, quod non excludit formidinem erroris, ut iam probavi ex Lazzaretti et ad summum evincit congressum inter hos coniuges esse sub quodam respectu abnormalem. Ex signis non denegationis a medicis indicatis unum tantum valet, nempe integritas hymenis, cetera enim conciliari possunt, ut iam dixi, cum usu infrequenti matrimonii. Sed integritas hymenis stare potest cum copula ad generationem apta. Ergo non est argumentum absolute certum non consummationis alicuius matrimonium. Minor huius argumenti certa est apud medicos pro quibus sufficiat citare unum Lazzaretti, qui in sua medicina legale. *Lib. III, p. 98* habet, quod praesentia hymenis non excludit copulam carnale m perfectam.

Posito hoc principio, probari potest matrimonium hoc fuisse non solum ratum sed consummatum, huc enim tendunt ea quae ab Aloysio proferebantur « tempore non suspecto » huc quo jue tendunt aetas et amor mutuus sponsorum, ita ut conclusio ineluctabiliter fluat, nisi dicamus foecunditatem esse unicum signum certum consummationis, quod nemo asserere ausus fuerit. Sufficit ad matrimonium ut copula talis sit, ex qua generatio sequi *possit,* non quam sequatur, et huiusmodi esse eam quae fit illaeso hymene, veluti in ostio vaginae, clamant omnes fere qui de hac re scripsere. Et haec doctrina concordat cum iis quae a theologis et canonicis traduntur. Ita Sánchez *De matrim. Lib. II, (hip. XXI, a. 2.* Similiter conveniunt consummari, quacumque arte semen recipiatur intra vas naturale, absque illius penetratione, per eamque una caro efficiatur. »

Iudicent EE. Patres num sat solida sit haec conclusio de consummatione in casu praesenti ; posita hac sententia necessario cadit petitio.

Verum si dicatur non satis constare de « consummatione » in casu, rem esse adhuc dubiam, scopus petitionis nequaquam obtinetur. Dato, quod non sit opinio *certo* de consum-

matione, est saltem, probabilis, pro ea stant rationes graves, quas opus noi est iterum exponere: satis superque apparent in decursu discussionis. Est ergo sententia de non-consummatione *probabilis* ad summum. Quis enim illam *certam* dicet, post considerata omnia: verba et litteras Aloysii; opiniones peritorum. Iam vero matrimonium est « in possessione » iuxta axiomata: « Standum est pro valore actus. » « Quod fit, praesumitur rite factum. » Praeterea posita attentatione consummationis, quod abunde demonstratum fuit, illae regulae iuris non parum favent sententiae, pro consummatione, et certissime indicant hanc sententiam esse « tutiorem; » siquidem quae stat pro matrimonio rite celebrato, quod sequebatur consortium coniugale per sex annos; ita ut, etiamsi daremus veram probabilitatem, immo maiorem probabilitatem sententiae contrariae, non consummationis, nihilominus petitio non potest concedi. Inter prop. ab Innocentio XI damnatas est haec notissima: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore » in qua iuxta Suarez, Soto et alios includitur etiam « susceptio » sacramenti, siquidem usus huiusmodi opinionis probabilis, relicta tutiore est peccatum non solum contra charitatem, sed contra religionem, ob irreverentiam illatam sacramento, exponendo illud nullitati. Quid autem sequitur, si concedatur solutio matrimonii in casu presenti? Certe quod Aloysius ad alias transibit; iam ab uxore separatus et separatus remanebit. Ad quid dispensatio nisi ut aliam sibi assumat uxorem? et novum matrimonium contrahendo aget contra prop. damnatam; quia etiamsi declaretur solutio prioris matrimonii, semper remanebit dubium de consummatione et proinde de ipsa dispensatione. In matrimonio consummato inter fideles dispensare nequit etiam S. Pontifex.

Dictis his, abstinendum ducer a « causis » dispensationis. Causae absque dubio existunt, quamvis forsitan non tam graves quam iura .exigunt.-Adest discordia animorum. Sed non constat ullos fuisse conatus reconciliationis: ullum interven-

tum parochi vel Episcopi coniugum. Forsitan mores coniugum hodiernis modis accomodati huiusmodi interventum non patiuntur ; et si res ita se habet, quare favores ab Ecclesia expectandi?

In conclusione, liceat mihi afferre decisionem S. C. C. in casu simili relatam apud Pignatelli *tom. 1, const. 148.*

In una Vallisoletana. « Episcopus significavit suis litteris, quod Ioannes et Leonora nobiles, quinque abhinc annis, matrimonium per verba de presenti contraxerunt, et per totum *quinquennium* simul cohabitarunt, dictaque mulier deinde egit pro *dissolutione* ac nullitatis declaratione dicti matrimonii propter impotentiam Ioannis, a quo nunquam ipsa carnaliter fuit cognita et adhuc *virgo* permanebat. Quod dictus Ioannes verum esse asserebat. Id vero non èx impotentia sua naturali, sed quia illam et parentes eius odio persequebatur, accidisse, et ins mul convenerunt adire Sedem Apostolicam pro *dispensatione,* prout unanimi consensu fecerunt. »

Die 15 Februarii 1607 Sacra etc. « Proposita facta specie, *omnes uno ore* censuerunt, nullo pacto concedendam esse dispensationem, rescribendumque esse, ut si sibi non constiterit de impotentia perpetua ob frigiditatem, vel maleficium ad praescriptum SS. Canonum, compellat eos ad cohabitandum, utque alter alteri coniugalem exhibeat effectum. »

Habemus hic casum praesentem cum omnibus circumstantiis, cum hac tantum differentia quod ibi mulier partes principaliores egerit, in nostro casu vir. Habemus non consummationem praetensam et coniuges consentientes quoad factum, quod diversimode uterque explicat; habemus cohabitationem quinque annorum, et habemus indicatam causam discordiarum et dissensionum. Similem omnino causam a Susanna indicatam in suis litteris; et habemus responsionem negativam ab omnibus EE. PP. unanimiter datam quae tam magni aestimandum est in negotio simili.

Igiturc ad onclusioném dèveniens. Attentis omnibus huc-

usque dictis, v. g. quod processus sit imperfectus, quod non. constet de non consummatione matrimonii, quod causae dispensationis non sint gravissimae et non excludant spem reconciliationis, si coniuges mediis uterentur quae Religio dictat, ego censeo petitionem non debere concedi.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Aloisius Delarue, in oppido *Dieppe* degens, trapezita, divitiis affluens, vertente anno 1880, mensis Novembris die 20, in aetate annorum 25 constitutus Susannam Pauchet, parisiensem, arte sutoria victitantem « *couturière,* » viginti annos natam, uxorem duxit.

Libero hilarique animo iuvenes ad invicem matrimonio iuncti sunt. Sed vita coniugalis a bonis initiis malos eventus habuit. Haud enim impune spreverant nupturientes sapientissimum praeceptum « *si vis nubere, nube pari.* » Porro Aloisius in uxorem, censu ac natalium nobilitate destitutam dominari gestiebat; Susanna vero, oblectamentis Lutetiae Parisiorum assueta, et viri dominatum et oppiduli maestitiam aegre tulit.

Sex itaque annis ab hymenaeo exactis, Susanna sub praetextu visendi matrem, Parisios remeavit. Et exinde neque suasionibus, neque precibus, neque blanditiis, neque minis avelli passa est. Cum autem Aloisius ad laicum tribunal Susannam rapuerit, haec civilem nexum cassar i quam ad virum redire maluit.

Aloisius, postquam saecularis magistratus in primo et altero iurisdictionis gradu legis vinculum disruperat ob maritalis domus desertionem a Susanna peractam, totus in ea fuit ut matrimonium in leves auras amandaret: eumque in finem, illud proclamavit opere imperfectum.

Cantiunculam pronis auribus excepit lectissimus consultor theologus. Eximius autem canonista induci minime potuit ut matrimonium, quod in disputationem venit, inconsummatum crederet. Nec eum fallit opinio. Nam non solum exulat quodcumque apodicticum inconsummationis argumentum, quod in gravissimis huiusmodi causis necessarium omnino est,

sed e contra prostant urgentissima consummati matrimonii indicia.

Et quod attinet ad pri x um, expendite paulisper, Patres Amplissimi, monumenta, quibus Aloisius Susannae virginitatem atque inconsummationem matrimonii probare contendit. Ea porro sunt - *primo* - testimonium subscriptum a medicis Brouardel et Tarnier - *secundo* - specimen in corpore viri a perito Hurpy peractum - *tertio* - altera attestatio subsignata a praefatis Brouardel et Tarnier; - *quarto* - epistola in qua medicus Tarnier ratas habet memoratas testationes ab ip?o in antecessum editas; - *quinto* - literae in quibus idipsum praestat peritus Brouardel; en omnia.

Iam vero nihil excogitari potest istiusmodi monumentis fragilius. Etenim *tria prima,* quae aliorum basis et fundamentum sunt, continent explorationem in viri, sive mulieris corporibus expletam, *ad interesse habentium petitionem,* nullo intercedente iudicis mandato, nulla servata iuris solemnitate, nullis adhibitis cautelis ad fraudes praecavendas omnino necessariis.

Neque obiicias mihi praefata illa tria testimonia, iudicialia evasisse per duo posteriora. Nam quadrat illud: *quod ab initio vitiosum est non potest, ullo tractu temporis, convalescere.* Re sane vera, in memoratis corporum lustrationibus omissae sunt cautelae, iure praescriptae: periti Brouardel, Tarnier et Hurpy, cum non a iudice, sed ab interesse habentibus electi sint, immunes a studio partium haud censentur. Ecquommodo vitia ista, quae ipsam actus naturam inficiunt, ex *postfacto* corrigi possunt?

Si in primis testationibus periti leviter se gesserunt, si partibus potius, quam veritati studuerunt, in novis attestationibus potius peierare parati erunt quam seipsos mendacii redarguere. Ceterum nec novae testationes iudiciales sunt. Non enim ad iudicem medici Brouardel et Tarnier accesserunt, non examen coram iudice subierunt, sed contenti fuerunt ad iudicem dare literas. Iamvero D. Gadrianus Rufino proconsuli Macedoniae rescripsit, *testibus se, non testimoniis crediturum.*

Praeterea saepedicta testimonia, secundo, quod nobis potius quam noceat prodest, excepto, quamvis inniti videantur in fidem medentium *'duorum,* Brouardel et Tarnier, temerarium tamen non est uni tantummodo medico illos ascribere. Comparate, Emi Patres, epistolam medici Tarnier, cum medici Brouardel epistola. Hisce in epistolis memorati Brouardel et Tarnier hercúlea audacia matrimonii inconsummationem seu Susannae virginitatem ex physica Aloisii conformatione coniicere pertentant. Si quis eas epistolas obiter legerit, certo certius putat utrumque peritum testimonium perhibuisse, seu potius iudicium suum protulisse, *alio inconsulto.* Ast nil magis a veritate alienum est. Eadem enim verba iidemque ápices utraque in epistola prostant. Primo autem et tertio testimoniis Tarnier et Brouardel bini subscribunt.

Absit ut peritos Brouardel et Tarnier laedere velim. Nam medicus Tarnier ignotus mihi omnino est, nec mihi constat eum a Parisiorum curia ad huiusmodi negotia adhibitum aliquando fuisse. Quo vero ad medicum Brouardel, ille - *Doyen de la Faculté de Médecine* - notissimus est, qui in huiusmodi negotiis passim a feminis adhibetur, earumqne virginitatem iuste et iniuste pro aris et f ocis tuetur. Recolite, Patres Amplissimi, causam *Parisien. Matrim,* disceptatam diebus 21 Iulii 1888 ac 7 Septembris 1889. Quantum Hercules ille suclavit perperam, ut virgo renunriaretur Carola d'Oliveira contra *iudiciale et unanime quinque archiatrorum testimonium !*

Ceterum non ego solum, sed etiam civiles illi magistratus, qui in prima et altera iudicii sede causam cognoverunt, medentium Brouardel et Tarnier testimonium flocci fecerunt. Porro, apud laicum tribunal Aloisius Susannam levitatis accusabat, Susanna vero Aloisium operi maritali haud satisfecisse contendebat, atque ad hoc saepedictum medicorum Brouardel et Tarnier testimonium exhibuit. Ast Susanna iterum iterumque causa cecidit.

Tametsi, quid ista commemoro? Periti Brouardel et Tarnier ipsi sibi mendacium obiiciunt. Sane medentes isti in

primo testimonio affirmarunt: « *Les organes génitaux** Susannae, *sont normalement conformés* ». Ipsimet, in altero "testimonio, de Aloisio asseruerunt: « *Nous- avons fait les mêmes constatations que M. le docteur Hurpy et en avons déduit les meines conclusions.* » Medicus autem Hurpy concluserat: « *De cet examen nous avons cru pouvoir conclure que M. Delarue Louis* est bien conformé pour la copulation . . . . quà Vetat rigide, il,* veretrum Aloisii, *doit acquérir un volume au moins égal et probablement supérieur à la moyenne des autres hommes* ».

Hisce non obstantibus medici Brouardel et Tarnier in memoratis epistolis ad iudicem parisiensem excogitant partium genitalium disconvenientiam. Excogitatum commentum medico Hurpy contra secretum in iudiciis strictissime servandum denuntiant, qui suimet oblitus in obsequium Brouardel et Tarnier occentat: « *Mon avis est que étant donnée la disproportion en sensé inverse des organes sexuels* etc.* » En fulcimenta, quibus innixus optimus consultor theologus impotentiam *relativam,* quae semper est probatu difficillima, Aloisium inter et Susannam existere autumat!

Paucis me expediam ab iis quae depromunt ex coniugum confessione. Profecto hac de re unum solummodo certum •exploratumque est: scilicet tum Aloisio cum Susannae in more esse affirmare quae sibi prosunt, quae vero nocent, inficiari quandocunque possunt. Hac ratione Aloisius quamvis semper professus sit se per *sex annos* pro lubitu coniugali genio induisisse, quamvis apud saecularem magistratum mordicus adversus assertam matrimonii inconsummationem dimicaverit, aenea fronte coram ecclesiastico iudice iurat: « *Ma femme s'est absolument refusé à son devoir. Je n'ai jamais pu arriver à mes fins* ». Si Aloisius haud tenebris deliciatur, eccur non exhibet ex integro acta apud tribunal laicum expleta? Eadem agendi ratione utitur Susanna, quippe quae virginem se proclamat, sed specimen iudiciale refugit.

Si veritatem ab Aloisio et Susanna accipere vultis, perpendite epistolas occasione dissidii ad invicem datas. Ibi Aloi-

sius discordiarum causam Susannae profitetur: « Tu as dans-ma personne un mari *vif* mais pas méchant ». Aloisio Susanna subscribit. Ait enim: « Combien de fois m'avez-vous répété: *je suis malheureux, depuis le iour de mon mariage, et je ne pourrai être heureux que le jour où tu me débarrasseras.* Ai-je inventé cela? Ne l'avez-vous pas dit?— Je suis persuadée que si je consentais ajourd'hui à retourner près de vous, les scènes et la vie intenable recommencera in t bientôt ».

In praefatis uteris Aloisius erumpit etiam in verba: « J'ai eu pour femme un ange et je n'ai pas su l'apprécier. . . . Oui, je veux être ton exclave et racheter petit à petit *cette affection que tu as eu pour moi. . . .* Ma chère Susanne, permets-moi de t'appeler *mon Suzon pour invoquer un souvenir du bon vieux temps. . . . Je ne vis que pour toi et ne veux vivre que pour toi:* sois donc miséricordieuse; *tu es si charitable ».* Mehercules, nihil horum Aloisius ad Susannam scripsisset, si, aut illam operi maritali ineptam expertus foret, aut ipse vera renuntiaret, cum occentat: « Ma femme s'est absolument, *per sex annosi* refusé à son devoir. Je n'ai jamais pu arriver à mes fins ».

Postremo compertissimum est coniugum confessionem ex *septimae manus* testimonio vim omnem nancisci: et in pretio testimonium haberi praesertim feminarum, quippe quae in huiusmodi negotiis instructiores ac a periurio alieniores quam homines esse solent. Sed vero ne una quidem mulier •suffragari adversae actioni ausa est. Complures advocatae sunt; ast ne una quidem ad iudicem accessit quae matrimonium inconsummatum, aut litigantes in eo fide dignos esse iuraret. Quatuor tantummodo homines adinvenire potuit Aloisius; quos inter amicissimum iurisperitum Petrum Roger, qui Aloisium ipsum apertissimi mendacii redarguit.

Quae cum ita ita se habeant, piaculum puto de dispensandi causis verba facere.

Quibus aliisque praemissis, sequens enodandum propositum fuit

Dubium

An sit consulendam SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii sub die 6 Septembris 1890, re discussa censuit respondere : *Negative.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Matrimonium consummari posse, integro permanente hymene mulieris, si copula talis sit ex qua semen recipiatur intra vas naturale.

II. Ad matrimonium perficiendum sufficere eam copulam, ex qua generatio sequi possit, etiamsi non sequatur; qualis est copula quae fit illaeso hymene, ceu tradunt doctores.

III. Tutiorem in themate esse sententiam, consummatum fuisse matrimonium, multa evincere; et praecipue iuges attentationes per sex annos a coniugibus peractas cum persuasione agentium opus perfectum fuisse.

SALAMANTINA

ELECTIONIS

Die 28 Februarii 1891.

Sess. 24 cap. 8 De referret.

COMPENDIUM FACTI. EX promotione canonici Bajo ad cantoratum, mense Martio anni 1888, vacante in Ecclesia Salmantina poenitentiaria praebenda, Episcopus cum capitulo concursum de more indixit.

Verum in Hispania quoad poenitentiariae provisionem, regula viget per const. *Svprema* Gregorii XV inducta, quae substantialiter cohaeret dispositioni *cap. 8 sess. 24 De reform.* Conc. Tridentini, et haec praefiniti « Per Ordinarios locorum et capitula dictarum ecclesiarum . . . . per edictorum affixionem,____terminus 60 dierum assignari debeat : dictoque termino elapso, per Ordinarios et capitula in praesentia oppositorum ex aliquo libro sorte aperto unum punctum mate-

riarum moralium tradi, et super eo... singuli oppositores per integram horam.., publice legere, et duo alii per aliam horam argumentari... — Quibus peractis ad canonicatus et praebendas poenitentiarias huiusmodi, illi dumtaxat ex concurrentibus, qui peracto examine ceteris omnibus iudicio ipsorum Ordinarii et capituli magis habiles et idonei reperti fuerint, assumi et eligi... teneantur.

» Singuli vero tempore electionis huiusmodi in quadragesimo anno et ultra constituti, atque in s. theologia vel iure canonico iuxta decretorum Conc. Trid. dispositionem graduati esse (debeant). . . . .

» Si tamen inter ipsos concurrentes aliquem adesse contigerit, qui eruditionis et doctrinae aliorumque meritorum praestantia ceteros omnes concurrentes, arbitrio eorumdem Ordinarii et capituli longe antecellat, et aetatem 40 annorum non attingat, ille, non obstante aetate huiusmodi, dummodo tamen 30 annis maior sit, ad canonicatum et praebendam poenitentiarias huiusmodi, per Ordinarium et capitulum praedictos, si ita illis ex iustis et rationabilibus causis expedire videbitur, eligi debere et licite valeat. »

Itaque in themate indicto concursu, elapsoque legali temporis termino, sex concurrentes inventi sunt, qui, facto ex lege periculo, in sessione capitulari diei 28 Aprilis 1888 omnes approbati sunt.

« Verum, ait Episcopus, his peractis et approbatis unanimi capitularium consensu die 28 Aprilis, in eadem sessione capitulari quaestio exorta est, vel potius propositio deducta, necessarium scilicet esse ante electionem decernere suffragiis capitularium, utrum elegibiles essent an non, attentis meritis extraordinariis, ii oppositores *(concurrentes)* qui aetatem 40 annorum nondum complevissent. Qui hanc praeviam quaestionem tuebantur, ultra contendebant in hac exclusione unum tantum suffragium Episcopo competere, non quatuor, uti de iure est in hac Ecclesia, ratione concordati anni 1851, attento capitularium numero. Hanc propositionem indubitanter in medium prolatam ad infirmandam legi-

timam actionem Episcopi, sanior capituli pars reiiciendam putavit, nec de ea deliberandum esse, inscio Episcopo.

Infrascriptus, re cognita, sessionem capitularem suspendit, et Metropolitam, Episcoporum et capitulorum provinciae consilium exquisivit, qui omnes uno ore fassi sunt, non modo hanc praeviam quaestionem esse omnino inusitatam, sed non pauca adduxerunt exempla electorum, qui aetatem quadraginta annorum nondum attigerant, sicut electus fuit in hac ipsa ecclesia Salamantina immediatus praedecessor, concurrentibus oppositoribus quadraginta annorum. His responsionibus et rei natura innixus, infrascriptus capitulo rescripsit suadens servare consuetudinem tum huius ecclesiae, tum reliquarum provinciae. Praedicti capitulares sententiae Episcopi assentire videbantur in praxi, non quidem ex animo, ut palam ostenderunt. Episcopus vero ne electores in re tanti momenti dubia procederent conscientia, ad S. Sedem consultum ire eos invitatus est, quod renuentes illi, a propositione de necessitate praevia quaestionis discesserunt, et capitulares omnes inconditionate et liberrime, ut fassi sunt, ad electionem cum Episcopo convolarunt.

Electio facta est die undecima Maii suffragiis omnino secretis et servata forma ad ápices iuris. In primo et secundo scrutinio nemo oppositorem *(concurrentium)* maiorem suffragiorum partem adeptus est, in tertio vero ex 18 suffragiis 11 habuit Dr. Primitivus Vicente, 6 Dr. Prosperus Gonzalez Tufiòn de la Escosura, unum vero Dr. Antonius Gonzalez: unde *Br. Primitivus Vicente* proclamatio est omnium eligentium quiescentia. Imo ipsi oppositores singillatim vocati coram Episcopo et capitulo, et interrogati utrum 'aliquid exponendum liberent circa electionem et actus praecedentes, omnes, etiam ipse Dr. Tiuiòn, aperto ore dixerunt nihil exprimendum habere nisi gratum animum erga Episcopum et capitulum ob exercitiorum approbationem, ut in capitularibus instrumentis constat.

» In sessione capitulari proxime subsequuta die 15 Maii Dr. Tufiòn quamdam quaerelam in scriptis ante capitulum

induxit, eo quod sua fama, ut aiebat, detrimentum passa esset; in sessione vero habita die 27 Maii, in qua electus possessionem praebendae obtinuit, praevia canonica institutione et de nostro mandato, idem Dr. Timón per procuratorem et duos testes protestationem confecit, actum dicens contrarium legibus et iuri. In hac sessione non obstante Episcopi mandato desiderati sunt septem capitulares, iidem nempe qui quaestionem praeviam suscitaverant.

Rebus ita constitutis, Dr. Prosper Tuiìòn libellum obtulit nostro tribunali adversus capitulum et Praelatum ordinarium, et adversus poenitentiarium electum cum citatione promotoris fìsci, actionem exercens reivindicatoriam canonicatus, ad quem potiori iure se gaudere praesumit, et nullitatem electionis evincere contendens. Facta quibus actor innititur haec sunt : 1. Aetas electi qui nondum quadraginta annos attingit, praetermissis quadragenarius. 2. Libertas eligentium quam cohibitam supponit *a)* ab Episcopo ex eo quod capitutulum a quaestione praevia dissuaderei et *b)* praesentia custodum vulgo *Agentes de orden publico* circa aulam electionis ex parte exteriori tantum. 3. Vox publica seu illustrata opinio quam asserit sibi favisse prae ceteris oppositori!) us.

Post haec F]piscopus pluribus enarratis circa indolem tum utriusque concurrentis, tum advocati quem actor elegerat, ut suam causam penes Hispanica tribunalia defenderet, tunc denique septem capitularium, qui in hac quaestione actori favebant, ita prosequitur :

« Ex dictis patet quanti est momenti litem huiusmodi avellere ex hac curia et ad Vestram Sanctitatem recurrere, non quidem propter efficaciam argumentorum actoris, quae nulla est, ut breviter ostendam, sed propter scandalum oriturum ex rerum adiunctis.

» Et certe, quamvis electus aetatem quadraginta annorum non expleverit, cum, iudicio capituli et Ordinarii, magis idoneus sit inventus, nemo dubitare potest de electionis firmitate : nam similis quaestio, iam repetitis sententiis de-

finita est, praecipue in una Ilerdensi a Romana Curia prolata anno 1739.

» Gratuita est assertio de cohibitione libertatis eligentium, ut patefieri potest ex .instrumentis capitularibus; imo si aliquis vim inferre voluit, fuerunt quidem patrocinatores actoris qui nullum non moverunt lapidem ut opinionem indocti vulgus prae venirent et conflarent tum ante, tum post exercitia litteraria. Praeterea quamquam facta quae in libello referuntur admitterentur, nihil deduci posset adversus libertatem omnimodam eligentium. Unde miror quidem argumentum effingi de praesentia custodum ordinis publici, qui ad hoc tantum missi sunt, ut invigilarent ne ordo perturbaretur in claustris ecclesiae ubi discurrebat expectantium turba, nam adeo longissime abest quod metum eligentibus iniicerent, ut ipsis capitularibus ignota fuerit haec circumstantia. Ridiculus timor!

» Quod additur de virorum doctorum sententia, refellitur ex dictis. Nonnulli sapientiam actoris extollere conati sunt, quatenus eum intelligebant futurum esse adversarium Episcopi, et facili negotio turbulentae catervae animos excitarunt. Haec fuit illustrata opinio, quam actor sibi faventem vendidat.

» Haec omnia perpendentes octo ex quindecim capitularibus qui saniorem partem constituunt, vix dum citatio facta est, supplicem libellum subscripserunt efflagitantes ab Episcopo, ut nullo pacto pateretur, curiam episcopalem, cognoscere de hac causa, siquidem tum actor tum eius patrocinatores maximopere quaererent scandalum fidelium in depressione dignitatis Episcopi ; sed ad S. Vestram recurreret solutionem casu de plano expostulans.

» Itaque, re adhuc integra, nondum enim lis est contestata, a Sanctitate Vestra, vehementer exoro ut hanc caussam ad Sedem Apostolicam avocare et eam per S. C. vel Concilii vel Episcoporum et Regularium absolvere dignetur, nisi magis placuerit, summariis receptis informationibus, silentium imponere actori. »

Relatis his litteris ad S. C C . ex audientia SSmi diei 7 Iunii 1889 decretum latum est, *ponatur in folio,* et munitae sunt de more partes : nunc vero causa agitur sub dubii formula in calce exscripta.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO SAC. TUÑON. Qui partes agit sacerdotis Tunòn, praemissa Tridentina lege *cap. 8 sess. 24,* qua iubetur eligi poenitentiarium « qui magister sit . . . et annorum 40, seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur » et insuper mentione facta const. *Suprema* Gregorii XV quae explicat et confirmat pro Hispania *cit. cap.* Tridentini dispositionem, totus in eo est, ut ostendat clientem suum digniorem aptioremque inter omnes concurrentes fuisse, et idcirco ceteris praeferendum. Quod in primis dérivât ex attestatione secretarii capituli, qui affirmat Sac. T uñón, facto periculo et omnibus expletis, quae in litteris edictalibus statuta fuerant, unanimi Capituli suffragio electum fuisse.

Ex quibus verbis patronus putat insuper constare, et nititur sustinere, in primo scrutinio clientem suum electum valide fuisse. Atqui « secundae electioni non est locus stante priore electione valida » iuxta Rotam *dec. 691 n. 13 cor. Malinos* cum communi. Ergo quaestio extemplo finita videretur.

At insuper patronus conqueritur, Episcopum litteris, itineribus, mediisque personis conatum esse canonicorum animum a Tunòn avertere, ceu sacerdotes Garcia, Prida ac professor Crespo uno veluti ore affirmant.

At quamvis studiose simul et iniuste, frustra tamen id tentatum est ; nam, iuxta eumdem patronum, maior capituli pars semper in favorem sac. Tunòn stetit. Sane, ait, idem Tunòn : « Capitulum constanter recognovit ius quod ad praebendam habebat Prosperus Gonzalez Tunòn de la Escosura. Ante electionem patet ita sensisse capitulum ex ipsamet oppositione et inqualificabili agendi ratione Episcopi, ut illud ab eligendo impediret : in secunda votatione octo capitulares

ex quatuordecim, quibus coalescebat capitulum, suffragium emiserunt in favorem D. Gonzalez Tufiòn; et post electionem octo capitulares renuerunt assistere ad sessionem possessionis electi poenitentiarii... Et magis adhuc, statim ac cognitus fuit libellus, in quo Gonzalez Tuñon duplicem actionem exercebat, nullitatis nempe electionis poenitentiarii, et reivindicatoriae melioris iuris ad dictam praebendam, septem capitulares recurrerunt ad iudicem ecclesiasticum per scriptum. »

Quod si in tertio scrutinio maior canonicorum pars in Episcopi votum cessit, id, iuxta patronum, tribuendum est publicae securitatis custodibus, ad hunc effectum vocatis et ante sessionis aulam excubantibus. Porro quod metus eau sa gestum est ratum haberi non debet. Idcirco etsi maior capituli pars in tertio scrutinio suffragata dicatur sacerdoti Vicente ; nihilominus propter adhibitam coactionem, ceteris etiam missis, irrita ac nulla dicenda esset electio.

Accedit sacerdotem Vicente 37 annos natum esse. Porro etsi Gregoriana constitutio, pro Hispania vigens, expresse permittat in poenitentiarium eligi qui infra quadragesimum aetatis annum existat; hac nihilominus conditione, dummodo scilicet hic « ceteros omnes concurrentes, arbitrio eorumdem Ordinarii et capituli, longe antecellat. » Atqui sac. Vicente praeter quod minor aetate est, ceteros non antecellit; quin imo usque ad tertium scrutinium vota sufficientia obtinere nequivit.

E contra vero sac. Tufiòn unanime suffragium vel in primo scrutinio assequutus est, et plurimis commendatur meritis. Nam studiorum palestram honorifice emensus est, teste Emo. Archiepiscopo Toletano: anno 1884 in concursu ad Lectoratui canonicatum ecclesiae *de Badajoz* approbatus est : paulo post munus vicarii curati condigne suscepit: ac demum S. Theologiae magister in Toletano seminario creatus, intelligentia, zelo ac praecisione excelluit, prout cum Toletano Ordinario ipse seminarii rector aliique asseverant. Nec satis; nam ipse Salamantinus praesul tanti hunc virum fecit, ut

paucos ante annos eum Vicarium generalem nuncupaverit, et aliquot menses habuerit. Quapropter non solum relate ad sacerdotem Vicente , sed et ad ceteros omnes concurrentes dignissimum censendum esse Tunòn, putat orator, et idcirco absolute praeferendum praesertim in concursu alterius, aetate minoris.

DEFENSIO SAC VICENTE. Favore Sac. Vicente prae primis perpensum fuit, superius pro Sac. Tunòn adducta parvi facienda esse si cum illis conferantur, quae salamantinus Episcopus ad rem enarravit, quaeque ab initio ob oculos posita fuerunt. Relate vero ad illud quod quasi achilleum argumentorum a sac. Tunòn prolatum fuit, nimirum eum in primo scrutinio unanime capituli suffragium obtinuisse, unde eius patronus concludit, eum fuisse valide atque exclusive electum; adnotatum fuit, documentum ad quod patronus provocat, unde suam argumentationem adstruit, confectum fuisse a secretario capituli, uno scilicet ex iis qui partes sac. Tunòn tuentur, quod non inutile dictu erit, et ita sonat : « Ego etc. testor Sac. Gonzalez Tunòn peracto concursu et omnibus expletis, quae in litteris edictalibus constituta fuerunt, unanimi suffragio electum fuisse, quandoquidem sua suffragia in primo scrutinio, octo in secundo, sex tandem in tertio obtinuit. » Iamvero, misso quod huiusmodi documentum claritate non nitet, nec forte sine causa, nihilominus res non ita involuta videtur, ut intelligi non possit, unanimitatem suffragiorum, de qua ibi est sermo, spectare ad examen, quatenus scilicet Tunòn idoneus quoad scientiam unanimiter est renuntiatus, sicut et alii quinque concurrentes idonei universi sunt renunciati. At vero, si ita intelligi verba debeant, res toto coelo diversa est ab ea quam patronus tuetur : siquidem duplex est, ut ita dicam, electionis gradus : primus respicit inclusionem seu approbationem concurrentium quoad scientiam et requisita, alter vero electionem seu selectionem inter plures approbatos. Porro sac. Tunòn inclusus quidem dicitur, seu approbatus unanimi suffragio ; at deinceps selectus non est. Primum obtinuit die 28 Aprilis,

aliud vero in comitiis diei 11 Maii. Tota itaque speciosa argumentatio a patrono sacerdotis Tunòn constructa suomet pondere ruit ; nam approbatio toto coelo differt ab electione,, nec ius ad praebendam determinate dat.

Quod autem unanime suffragium favore sac. Tunòn datum non excesserit approbationem quoad scientiam seu inclusionem, atque ita reapse intelligenda sint obiecta secretarii verba, constat ex Ordinarii attestatione, cui quantum semper sit deferendum neminem latet, ac iterum iterumque memorat Benedictus XIV in celebri sua const. *Cum illud:* et confirmatum non solum ex his quae fuse enarrat sac. Primitivus Vicente, sed potissimum ex hac attestatione quam sex capitulares Episcopo ex corde adhaerentes suo nomine signarunt, et ita est :

« 1. Cum septem capitulares qui partes actoris agere videntur seorsim fuerint citati, infrascripti aequum et prudens censuerunt, non capitulariter, sed tantum collective, praesens scriptum producere, ne praedicti qui suum sensum, ut supponitur, ad S. Congregationem prodierunt, illum etiam afferant ad capituli consultum.

» 2. Unusquisque infrascriptorum suffragium emisit in praedicta electione prae oculis habens Gregorianam Constitutionem, iuxta conscientiae normam, nullo quidem ducti humano affectu, sed solummodo iustitiae et ecclesiae utilitati consulentes.

» 3. Neminem eligentium nec dicendorum conqueri
c — i
posse de coactione a praelato exercita, sine gravi calumnia: locus enim et forma electionis, quos nostri maiores tradiderunt, suffragii libertatem quam maxime communiunt ; iam vero, electionis forma ad ápices iuris servata est.

» 4. Poenitentiarius electus sexdecim mensium spatio ab adepta possessione, clignissime et omnium plausu suum gessit munus, animarum zelo, doctrina et prudentia affulgens, quod maxime probatur ex eo quod in solemnitate habita in hac ecclesia, occasione centenarii unitatis catholicae, concio, quae attentis rerum adiunctis, singularem praerequirebat et

doctrinam et prudentiam, de communi capitularium consensu, eidem commendata est. »

His perpensis propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An electio sac. Primitivi Vicente in canonicam poenitentiarium sustineatur in casu.

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, omnibus maturo examini subiectis, die 28 Februarii 1891 proposito dubio respondere censuit : *Affirmative, seu sustineri.*

Ex QUIBUS COLLIGES. L In praebendae poenitentiariae provisione in Hispania Constit. Gregorii XV - *Suprema* - vigere, vi cuius per Ordinarios locorum et Capitula ecclesiarum per edictorum affixionem terminus 60 dierum assignari debeat.

II. Huiusmodi termino elapso, per Ordinarios et Capitula in praesentia oppositorum, ex aliquo libro forte aperto, unum punctum materiarum moralium tradi, et super eo singulos oppositores per integram horam publice legere et duos alios per talem horam argumentari debere.

III. Quibus peractis ad praebendas poenitentiarias illos dumtaxat assumi et eligi, qui ceteris omnibus, iudicio ipsorum Ordinarii et Capituli, magis habiles et idonei reperti fuerint .

IV. Singulos vero tempore electionis in quadragesimo anno et ultra constitutos, atque in s. Theologia vel iure canonico, iuxta decretum Conc. Trid. graduatos esse debere.

V. Nihilominus eligi debere et licite posse illum ex concurrentibus, qui eruditionis et doctrinae aliorumque meritorum praestantia ceteros omnes, arbitrio eorumdem Ordinarii et Capituli, longe antecellat, etsi aetatem 40 annorum non attingat; dummodo tamen 30 annis maior sit, si ita illis ex iustis et rationabilibus causis expedire videbitur.

VI. Neque,, ex consuetudine in Hispania inducta, esse necessarium ante electionem suffragiis capitularium decernere,

utrum elegibiles sint an non, attentis meritis extraordinariis, ii concurrentes, qui aetatem 40 annorum nondum complevissent.

VII. In casu electio Sac. Vicente confirmata fuisse videtur, quia retentum fuit ipsum eruditionis et doctrinae aliorumque meritorum praestantia ceteros omnes concurrentes longe superasse.

S. FIDEI DE BOGOTA

COMPOSITIONIS, CONDONATIONIS ET ALIENATIONIS.

Die 6 Septembris 1890.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Episcopus S. Fidei de Bogota has litteras Ssmo direxit:

« Cum saepe in his locis occurrat, ut fideles cupiant satisfacere debitis provenientibus ex bonis ecclesiasticis mobilibus, sive immobilibus, aut etiam ex censibus, reditibus ceterisque huiusmodi piis legatis, nec ipsi possint restituere, eo quod vel e statu ceciderint, vel nihil aliud, unde vivant, praeter dicta bona, habeant: ideo Sanctitatem Vestram suppliciter deprecor, ut, si id in Domino opportunum iudicaverit, dignetur mihi concedere facultatem faciendi cum ipsis debitoribus compositiones, aut etiam eis in integrum condonationes, pro adiunctis. »

« Item, cum satis frequenter necesse sit vendere bona aliqua immobilia, uti sunt agri, parvae domus urbanae sive rusticae, quae parum aut nihil utilitatis afferunt, novisque usurpationibus obnoxia sunt, pretium autem eorum utilius reparationi templorum, ruralium praesertim parochiarum, aut sacris suppellectilibus ipsis necessariis impendere expediret : Sanctitatem Vestram suppliciter exoro, ut, si id opportunum in Domino iudicaverit, dignetur mihi concedere facultatem disponendi de huiusmodi bonis, prout adiuncta ferant, eorumque pretium in praedictos usus invertendi. »

Disceptatio Synoptica

Relate ad primam partem precum, ubi sermo est de compositionis et condonationis potestate Episcopo indulgenda, animadversum fuit, haud liquere de quibus ecclesiasticorum aut piorum bonorum possessoribus precise agatur, utrum de legitimis an de illegitimis, utrum de solo civili titulo fretis, an etiam naturali et ecclesiastico, utrum demum de locatariis, colonis et emphyteutis, an de pleno dominio, saltem in civili ordine utentibus.

Quidquid sit, certum tamen est de iis agi, qui dum ad aliquid praestandum hoc illove titulo obligati sunt, in tantam paupertatem lapsi sunt, ut solvendo impares facti sint ac pene decocti. Quibus, adiunctis omnibus bene perpensis, succurrendum esse numquam negavit aut neglexit pia mater Ecclesia, ceu innumera documenta penes S. C C. comprobant. Utrum tamen attenta multiplicitate casuum et distantia locorum haec compositionis aut etiam condonationis inducendae potestas, quae de iure communi supremae Ecclesiae potestati reservata est, Ordinario oratori sit communicanda, et, quatenus affirmative, quibusnam finibus circumscribenda, iudicent EE. PP.

Item relate ad aliam partem precum alienationes rerum ecclesiasticarum, praesertim modice utilium, ad hoc ut quae ad cultum pertinent instaurentur, et necessaria pro ecclesiis comparentur, certum est saepenumero S. C. O. induisisse: quin imo ius commune, dummodo de rebus minoris momenti parvique valoris agatur, in Ordinariorum potestate hanc provinciam commisit, ceu patet ex noto *cap. Terrulas.*

Quapropter in proposito casu non ageretur nisi de hac Episcopi potestate adaugenda, et ad res maioris momenti extendenda. Quod utrum, et quousque expediat, remissum fuit EE. PP. definire.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii re cognita sub die 6

Septembris 1890 censuit respondere: *Si agatur de bonis ecclesiasticis praeteritarum vicissitudinum tempore alienatisi vel de censibus aliisque praestationibus a publico aerario redemptis* 'provisum per art. 29 Concordati inter Reipublicae Columbiae praesidem et Romanum Pontificem an. 1887 initi; si vero agatur de obligationibus et debitis* provenientibus ex aliis titulis* et illi qui hisce obligationibus ligantur* vel ex toto vel ex parte impotentes evaserunt, Archiepiscopo cum facultatibus* ad decennium vel condonandi* vel ad compositionem admittendi petentes* nec non alienationes indulgendi, de consensu interesse habentium; facto verbo cum SSmo.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

SABINEN.

IURISDICTIONIS

Diebus 28 Februarii et 22 Augusti i890.

COMPENDIUM FACTI. Praesens controversia inter Emum Episcopum Sabinen. Abbatem Commendatarium Farfen. et Monachos S. Benedicti acta quoad iurisdictionem episcopalem in Ecclesia abbatiale Monachorum, agitata fuit in plenario conventu diei 28 Februari anni 1889 sub dubio: *An Eminentissimo Abbati Episcopo Sabinen, competat iurisdictio super Ecclesiam Abbatialem S. Mariae Farfen. in casui* Et Emi Patres quaestionem dimiserunt prudenti responso : *Dilata,* ut Monachis opportunitas daretur pleniorem defensionem parandi.

Disceptatio Synoptica

R. p. ABBATIS DEFENSIO. R. P. Abbas ad sua iura protuenda asserit fel. me. Pium V, monasterio Farfen. Congrega-

tioni Cassinensi aggregato in vim Bullae diei 13 Aprilis 1566, voluisse ut tam Ecclesia, quam S. Mariae Monasterium a iurisdictione Abbatis Commendatarii exempta essent. Hinc factum esse ait, ut ex ea die Abbas Commendatarius super territorium et super fideles Dioecesis; Abbas vero Claustralis super Monasterium et Ecclesiam ius exclusivum haberet. Et ad rem allegat Card. De Luca *Disc. 102 n. 6. de Iurisdictione* , ubi de Monasterio sublacensi sermonem habet: S. Auditorium in *decis, nullius sublacen. diei 30 Martii 1767 coram Conti,* et Devoti *Insta. Can. tit. 13 de Gommendis Beneficiorum d. 5. 28.* Idipsum confirmare subdit tam epistolam Card. Barberini, tunc temporis Abbatis Commendatarii, qui actu quo Abbati Claustrali facultatem indulgebat absolvendi a casibus reservatis, ipsi scribebat : *in Ecclesia tua absolvendi;* quam protestationem ab Abbate Claustrali die 21 Maii 1683 contra Card. Barberini emissam, ex eo quod, inscio Abbate Claustrali Sacramentum confirmationis in Ecclesia S. Mariae administrare ausus fuerat.

Mox adductis si addatur quod mense martio 1701 Abbas Commendatarius ab Abbate Claustrali veniam obtinuerit peragendi in Ecclesia S. Mariae communionem generalem pro implorando divino auxilio in electione Clementis Papae XI; quod Congregatio Cassinensis Abbatem iugiter miserit, qui sacram visitationem tam dictae Ecclesiae, quam Monasterii expleret; quodque id ab anno 1855 ad annum 1858 contigerit, nullatenus dubitari posse concludit, quin praedicta S. Mariae Ecclesia a quavis extranea iurisdictione exempta renuncietur.

Quin opponere valeret Ecclesiae S. Mariae exemptionem a S. Pio V concessam post Bullam Gregorii XVI in tenues auras abiisse. Quandoquidem Abbas Claustralis observat praedictum Pontificem, supprimendo duas Abbatias Commendatarias Farfen. ac S. Salvatoris Maioris, circa Abbatiam Claustralem Farfen. nihil innovasse : Congregationem Cassinensem usque ad nostra tempora Abbatem Claustralem nominasse: eundemque privilegiis in decreto H. S. C. diei 21

Martii 1887 expressis gaudere, inter quae privilegium exemptionis a qualibet extranea iurisdictione recensetur, ceu a s. m. Pii V concessum fuerat.

Quod si Pontifex Gregorius XVI, praedictis duabus Abbatiis memorata Bulla suppressis titulum et nomen Abbatis Farfen. cum omnibus iuribus abbatialibus Episcopo Sabinen, reliquit; nihilominus extra omnem dubitationis aleam positum esse subsumit, inter iura abbatialia connumeran non potuisse iurisdictionem super Ecclesiam S. Mariae , ex eo quod per Bullam s. Pii V haec Ecclesia exempta declarata fuerat.

Praeterea observat, quod si Abbates Oommendatarii visitationes pastorales in Ecclesia S. Mariae interdum peregerunt; per abusum et contra *protestationes verbales* ab Abbatibus Claustralibus emissas, id contigisse contendit.

Addit non esse culpae communitatis, sed vitio iniquarum legum suppressionis tribuendum, si in praesentiarum Monasterium Farfen. a Monachis Cassinensibus amplius non occupatum illud tamen *virtualiter* possideri a Congregatione Cassinensi, quae idcirco Ecclesiae cultum summo *splendore ac decore* curat.

Tandem, hisce omnibus praetermissis, ad praedictae Ecclesiae exemptionem tuendam invocat observantiam immemorabilem et pacificam per plusquam trium saeculorum possessionem. Idque titulum de mundo meliorem praebere inquit, per textum *leg. 3§4ff. de aq. quoad.* Cui concinit Glossa in *cap. super quibusdam is propterea De Verborum signif.* Card. De Luca *disc. 11 n. 6 de can. et cap.* S. Rota *decis. 230 n. 6 coram Marco.*

Quibus tum in facto, tum in iure delibatis, Abbas Claustralis efflagitat, ut petitio S. O. ex adverso porrecta a iudicii limine repellatur.

DEFENSIO EMI. ABBATIS COMMENDATAMI. EX altera vero parte Emus Abbas Commendatarius praeprimis observat, quod fel. mem. Gregorius XVI in vim Bullae Apostolicae: *Studium* anno 1841 editae, Dioecesim Sabinen, dismembravit et

ordinariam Abbatiae Farfen. iurisdictionem extinsit, quam proinde ad simplicem Abbatiam reduxit ac perpetuo Episcopo suburbicario Sabinen, adiudicavit hisce verbis : « Talem proinde Abbatiam Farfensem sic ad simplicem Abbatiae gradum reductam perenniter destinamus atque adiudicamus Episcopo pro tempore suburbicario Sabinensi, qui ipso facto Abbatis Farfensis titulum gerat cum facultate quoque inquirendi, prosequendi, vindicandi omnia quaelibet iura abbatialia, excepta, tamen ordinaria iurisdictione.

Inter iura vero Episcopo Suburbicario Sabinen, ex ea die reservata, hoc speciatim recensetur, quod scilicet huic competat *ius nominandi praesentandi ad ea omnia et singula beneficia, quorum collatio pertinebat ad Abbatem Farfensem.*

Observat praeterea quod sub simplicis Abbatiae denominatione Ecclesia quoque Abbatialis comprehendi debet. Et licet de ea dissertis verbis in praedicta Bulla haud loquatur, nihilominus ex hoc haud deduci posse autumat Ecclesiam iurisdictioni Abbatis Claustralis Monachorum S. Benedicti subiectam fuisse, qui in dicta Ecclesia sacras functiones peragebant. Quaelibet enim Abbatia etsi simplex sit, Ecclesiam habere debet ex qua titulum desumit, et sine qua merus titulus ens haud constitueret, ac proinde nullo pacto haberetur Abbatia. Verum in casu Abbatia ad simplicem redacta fuit, ac Ens iugiter constituit, cui plura iura assignata fuerunt, inter quae illud eminet, vindicandi nempe *omnia quaelibet iura abbatialia.* Si itaque Abbatis nomen Episcopo Sabinen, pro tempore concessum in simplici titulo haud consistit, sponte fluit, quod praedictus Episcopus ceu Abbas, iurisdictione super Ecclesia frui debeat. Et quod res ita sit, manifestum erumpit ex onere Emo Episcopo Sabinensi in vim citatae Bullae imposito solvendi in singulis annis *Scuta octo et triginta pro Ecclesiae olim Cathedralis nunc simplicis abbatialis manutentione.*

Ex quibus verbis erui ait, Ecclesiam sub Abbatis iurisdictione iugiter permansisse, nunquam vero sub Monachorum S. Benedicti dependentia fuisse: unde *Ecclesia abbatialis sim-*

plex appellatur. In vado autem posito, quod Ecclesia abbatialis permanserit, profecto intelligere haud datum esse urget, ipsam non ad Emum Abbatem pro tempore Episcopum Sabinensem, sed ad Monachos S. Benedicti pertinere, ceu ex adverso contenditur.

Quin opponere valeat privilegium exemptionis ab Ordinariorum iurisdictione, quo iuxta ss. Canones Regulares fruuntur. Huic siquidem offensioni Emus Abbas obviam it perpendens, huiusmodi privilegium, quod ipse libenter admittit, in themate invocari non posse; ex eo quod Ecclesia S. Mariae Farfensis ad Regulares nunquam pertinuit, neque postquam iurisdictio ordinaria Abbatiae *Nullius* abolita et extincta fuit. Idque dubio procul scatere subdit ex spiritu Literarum Apostolicarum quae praescribunt, ut Ecclesia S. Mariae Farfensis, quae olim Cathedralis erat, ex tunc Ecclesia Abbatiae simplicis evaderet.

Inutiliter pariter opponeretur decretum H. S. C. die 28 Martii 1887 editum vi cuius Abbas Claustralis ad huiusmodi dignitatem promotus fuit *cum omnibus iuribus, praeeminentiis et privilegiis, quibus abbates Cassinenses utuntur fruuntur et gaudent.* Praemonito enim quod Abbates Cassinenses, praeter iurisdictionem ordinariam, curam et Dioecesim habent, quibus omnibus Abbates Claustrales Farfenses destituti sunt ; ad rem quod attinet, Emus Abbas animadvertit, quod huiusmodi decretum, congrua congruis *referendo,* omnia iura, privilegia et praeeminentias indulgebat , quae ad aliam non pertinebant ; quodque iurisdictio super controversam Ecclesiam, ex eo quod Emo Episcopo Sabinensi competebat, Abbati Claustrali Farfensi nullo modo conferri poterat.

Neque in ullo pretio habendum esse urget assertum, quod scilicet scuta triginta octo ab Emo Episcopo Sabinensi Abbati Claustrali rependi debeant in vim concordiae, quae, vertente anno 1837 inter Emum Lambruschini, tunc temporis Abbatem Farfensem et Abbatem Claustralem B. Tomasetti inita fuit; quandoquidem Bulla posterior, quae incipit *Stu-*

dium praescripserat, ut praedicta scutata triginta octo *pro Ecclesiae manatentione* persolvi deberent.

Ultimo tandem loco Emus Abbas contendit a veritate alienum prorsus esse, quod ex adverso obiicitur, quod scilicet Episcopi Sabinenses ab anno 1841 iurisdictionem super praedicta Ecclesia nunquam exercuerint. Quod ut evincat, in medium profert nonnulla documenta, ex quibus patet Emos Episcopos Sabinenses ab anno 1854 usque ad nuperrima haec tempora Visitationes pastorales in praedicta Ecclesia iugiter peregisse.

Hisce in tuto positis Emus Abbas Sabinen, postulat ut propositum dubium affirmativo responso dimittatur.

Quibus utrinque perpensis, propositum fuit dirimendum sequens

Dubium

An Emo Abbati Sabinen. Episcopi iurisdictio super Ecclesiam Abbatialem Farfensem competat in casu?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Reg. re disceptata sub die 22 Augusti 1890 respondere censuit: *Affirmative.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Abbatiam *Nullius* Farfensem in vim Bullae fel. mem. Gregorii XVI quae incipit : *Studium* ad simplicem Abbatiae gradum reductam, Episcopo pro tempore suburbicario Sabinensi perpetuo adiudicatam fuisse.

II. Ideoque Episcopum Sabinensem Abbatis Farfensis titulum gerere, eidemque facultatem competere inquirendi, prosequendi, vindicandi omnia quaelibet iura abbatialia, excepta tamen iurisdictione ordinaria.

III. Inter iura eidem Episcopo tributa recenseri ius nominandi et praesentandi ad ea omnia et singula beneficia , quorum collatio ad Abbatem Farfensem pertinebat.

IV. In vim citatae Bullae Episcopo Sabinen, iurisdictionem quoque competere super Ecclesiam S. Mariae; idque deduci ex onere ipsi imposito scuta octo et triginta pro huiusmodi Ecclesiae olim Cathedralis nunc simplicis Abbatialis manuten tione persolvendi.

V. Inter Abbates Claustrales Cassinenses et Farfenses discrimen adesse; ac proinde hisce non omnia iura et privilegia competere, quibus illi fruuntur.

EX AEDIBUS VATICANIS

LITTERAE Eminentissimi Secretarii Status ad Emum Card. Ioannem Simor, Archiepiscopum Strigonensem, circa matrimonia mixta in regno hungarico.

I.

Eminentissime . . . .

Relatum fuit in Litteris Eminentiae Tuae, datis die 20 Maii mensis huius anni, Episcopos Hungariae Budapestini convenisse, ut deliberarent de ratione agendi, qua uti debeant post notam epistolam circularem Ministri praepositi religiosis negotiis et publicae instructioni, ac Tibi curam demandasse ut ea super re instructiones opportunas posceres ab apostolica Sede; quare in iisdem litteris Eminentia Tua nomine Hungariae Episcopatus duas proponebat quaestiones:

I. An tolerari possit, ut parochi catholici pareant praecepto sibi imposito per eamdem epistolam circularem, ut denuncient ministris heterodoxis baptismos infantium, qui ex matrimoniis mixtis nascuntur;

II. An post eamdem epistolam circularem liceat Episcopis Hungariae uti facultate sibi a S. Sede concessa dispensandi ab impedimento mixtae religionis.

In rem tam gravi Summus Pontifex mandavit, ut praedicta dubia iudicio subiicerentur peculiaris Congregationis Emorum Cardinalium, qui, considerate perpensa utraque quaestione, ad primam negative responderunt; quod ad alteram pertinet item negative dedere responsum, nisi hae duae simul conditiones existant. Prima in eo est ut tam pars catholica quam acatholica formaliter omnes praestet cautiones, quae natura, et divino iure in matrimoniis mixtis exiguntur.

Altera est ut moraliter certi sint Episcopi de sponsionum sinceritate earumque implemento, non obstantibus litteris circularibus a gubernio datis. Has Patrum Emorum responsiones Summus Pontifex probavit et ratas habuit.

Quapropter munus esse duxi eas diligenter significare Eminentiae Tuae, quam rogo obsequenter, ut alios in Episcopatu fratres istius Regni de iis certiores faciat.

Ceterum peropportunum videtur, ut hae decisiones S. Sedis etiam Clero inferiori innotescant ope pastoralis epistolae communiter ab Episcopis datae, per quam clerus iste edoceatur dilucide et agnoscat quantopere abhorreant a principiis doctrinae catholicae circa coniugia mixta, cum lex lata anno 1867, tum epistola circularis nuper conscripta; cuius scopus et sententiae peculiariter forent explicandae.

Interim impensos animi mei sensus testatos facio Eminentiae Tuae, cui manus humillime deosculor.

Eminentiae Tuae

Romae, die 7 Iulii 1890.

Humillimus et addictissimus famulus verus,
M. CARD. RAMPOLLA.

II.

Eminentissime . . . .

Redditae mihi sunt, suo quoque tempore, litterae duae, quas exeunte Augusto mense et die quinta Septembris prescripsit mihi Eminentia Tua circa controversiam, de mixtis matrimoniis, quam circularis epistola Comitis Csaky, Ministri negotiis religiosis praepositi, excitavit. Quum ex iis constiterit quo animo sit Gubernium istud et quid proposuerit ad quaestionem illam gravissimam expediendam, Summus Pontifex mandavit ut ea rursus examini peculiaris Congregationis Patrum Cardinalium subiiceretur. In hoc examine fieri non potuit quin recolerentur principia doctrinae Catholicae hac super re, ut appareret an cum iis conciliari possit, aliqua ratione, quod ab Hungarico Gubernio proponitur. Atqui, ut novit Eminentia Tua, San-

cta Sedes, dum indulget ex causis gravissimis dispensationes ab impedimento mixtae religionis, necessarias quasdam conditiones exigit per quas praesertim prospicitur, ut universa utriusque sexus proles ex hisce coniugiis procreanda in sanctitate Catholicae religionis educetur. De implendis autem iis conditionibus cautiones dandae sunt, quae moralem pariant certitudinem; quae quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur. Quare cum agnitum esset in quadam regione necessitatem imponi, ut proles e mixtis coniugiis nata omnino educetur in religione schismatica, Sancta Sedes dispensationes denegavit. Ex hinc facile infertur eamdem Sanctam Sedem nec recipere, nec tolerare posse quamcumque rationem propositam expediendae quaestionis de mixtis coniugiis, per quam satis cautum non sit de universa sobole, ex iis nascitura, in catholica religione educanda, eos, qui huic educationi impedimentum obiicerent violaturos, simul libertatem parentum et Ecclesiae iura.

Ex iis principiis fluit etiam, oportere omnino revocari vel immutari, quam primum temporum ratio sinat, notam legem latam anno 1868 utpote contrariam uni ex praecipuis conditionibus, quas exigit Ecclesia, quum ad ineunda mixta coniugia dispensationes indulget. Idem plane dicendum de circulari epistola Ministri Csaky, quae non modo ad eam legem exequendam pertinet, sed etiam asperrimam imponit Clero Catholico obligationem denunciandi ministris heterodoxis baptismos infantium natorum ex mixtis connubiis, ne quis ex iis quos dicta lex haereticae communioni accenset, vitare possit quominus in haeresi educetur. Iamvero haec incommoda non avertit mutatio a Gubernio proposita, nam quamvis non nihil extenuet onus impositum ab epistola Comitis Csaky, non mutat tamen vim intimam et scopum eius. Si quidem parochi sive ministris heterodoxis, sive civilibus magistratibus baptisma denunciant, semper operam conferunt ad assecutionem finis, quo spectat epistola circularis, hoc uno discrimine inducto, quod in prima hypothesi directe operam conferrent, in altera scilicet per interpositam personam.

Eapropter memoratum Concilium Cardinalium, omnibus probe perpensis, unanime in hac sententia fuit: « non posse omnino S. Sedem annuere rationi expediendi dissidii, quam Eminentiae Tuae proposuit Comes de Szapary ».

Hanc autem sententiam Summus Pontifex probavit et sanxit.

At vero cum vehementer cupiat S. Sedes vitare, quoad eius fieri possit, nequis sit in isto regno conflictus religionis causa, pergratum Ei faceret Eminentia Tua si pro ea, qua praestat prudentia, rationem aliquam rei expediendae reperirei, per quam sic possit dissidium componi ut utrique parti satisfiat, salvis Catholicae doctrinae principiis.

Forte illud esset inquirendum an tolerari possit, ut Clerus Catholicus in exitu cuiusque anni transmittat civilibus magistratibus indices accurate confectos, quibus omnes nativitates, matrimonia et obitus recenseantur, dummodo tamen prudenter foveri possit fiducia, gubernium non usurum iis documentis ad fines religioni adversos.

Ceterum S. Sedes non dubitat de conciliationis desiderio, quo motum videtur Gubernium Hungaricum, et fore confidit ut ipsum pro sua sapientia et studio publicae tranquillitatis servandae efficacem det operam cum Eminentia Tua, ut communi consensu quaestio dirimatur, quae graviter conscientias Catholicorum perturbat.

Demum facere non possum, quin Eminentiae Tuae significem molestum atque acerbum accidisse Summo Pontifici nuncium eius rei, quam Minister religionis negotiis praepositus affirmavit, aliquot nempe Episcopos quatuor abhinc annis permisisse parochis Dioecesium suarum ut testimonia baptismatum, de quibus quaestio est, transmitterent ministris heterodoxis, eosdemque ab ipso nobili viro rogatos antequam circularem epistolam mitteret, respondisse nihil obstare quominus a Parochiis totius regni haec transmissio fieret. Vix est ut Te doceri oporteat, hanc agendi rationem vehementer a S. Sede fuisse improbatam. Imo oportet ut Te certiorem faciam hanc mentem SSmi Domini, ut facultas Tibi sit patefaciendi opportune praedictis Praesulibus atque ipsimet Gubernio si forte ad aequitatem asserendam iussionis suae, eorum utatur exemplo et auctoritate.

Interim sensus expromens plenissimae observantiae et venerationis Eminentiae Tuae manus humillime deosculor.

Eminentiae Tuae.

Romae, die 26 septembris 1890.

Humillimus et addictissimus famulus,
M. CARD. RAMPOLLA, p. m.

EX S, RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Fr. Modestini a Iesu et Maria sacerdotis professi ordinis minorum excalceatorum strictioris observantiae s. Petri de Alcantara provinciae neapolitanae.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?

Eximia sanctitatis fama, qua Dei Famulus Modestinus a Iesu et Maria, Sacerdos Professus ex Ordine Alcantarensium, vivens inclaruit, post eius obitum, qui Neapoli accidit anno 1854, adeo aucta ac longe lateque diffusa est, ut ad Ordinariam Inquisitionem super eadem Sanctitatis fama, nec non Virtutum et Miraculorum in Curia Ecclesiastica neapolitana deventum sit. Qua rite expleta et ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII indulsit, ut dubium de signatura commissionis, introductionis Causae eiusdem Servi Dei agi posset in ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum. Hinc a me infrascripto Cardinale Sacrae eidem Congregationi Praefecto, loco et vice Emi et Rmi Dñi Cardinalis Thomae Zigliara Causae Relatoris, instante Rev. Patre Fr. Simpliciano a Nativitate, Sacerdote Professo Ordinis S. Petri de Alcantara eiusdem Causae postulatore, attentisque Postulatoriis litteris plurium Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque Virorum, tam ecclesiastica, quam civili dignitate illustrium, in ordinario Sacrorum Rituum Congregationis coetu subsignata die ad. Vaticanum coadunato, sequens Dubium discutiendum propositum est, nimirum: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra

eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, seu signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 14 Februarii 1891.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per subscriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens propria manu signare dignata est commissionem introductionis Causae ven. Servi Dei Fr. Modestini a Iesu et Maria praedicti, die 11 Martii anno eodem.

C CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI *S. R. C. Secretarius*

DECRETUM beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Caietani Errico fundatoris Congregationis sacrorum Cordium.

Quum quarto Kalendas maias superioris anni Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII iam benigne .induxisset, ut de fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati ven. Servi dei Caietani Errico agi posset in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria absque interventu et voto Consultorum; instante Rmo Patre Angelo de Maria Sacerdote Congregationis Sacrorum Cordium huiusce Causae postulatore, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Aloisius Serafini Episcopus Sabinen. Causae ipsius ponens, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum : *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica, Auctoritate in Curia Neapolitana constructi st (per fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres Sacris

tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, sanctae Fidei promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative.* Die 14 Februarii 1891.

Quibus per infrascriptum Secretarium SSmo Dno Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 11 Martii anno eodem.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. B. C. Praefectus*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

Beatissime Pater,

Ioannes Ponzi sacerdos romanus ad pedes S. V. humiliter provolutus S.V. exorat, ut universis Christifidelibus, qui infrascriptam orationem in honorem S. Ioannis Apostoli et Evangelistae recitaverint, aliquam Indulgentiam benigne tribuere dignetur.

ORAZIONE

O glorioso Apostolo, che per la vostra verginale purità foste cotanto amato da Gesù, da meritarvi di posare il vostro capo sul suo divin petto, e di essere lasciato in sua vece qual figlio alla sua Santissima Madre ; io vi supplico ad accendermi del più vivo amore verso Gesù, e verso Maria. Ottenetemi, vi prego, dal Signore che ancor io, col cuore scevro da mondani affetti, sia fatto degno di star sempre unito a Gesù, qual fedele discepolo, ed a Maria qual figlio divoto qui in terra per rimanervi poi eternamente nel Cielo. Così sia.

SSmus Dnus Noster Leo PP. XIII in audientia habita die 21 Martii 1891 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito, ac devote recitantibus supradictam orationem, Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, *Centum dierum* semel in die lucrandam. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 21 Martii 1891.

I. CARD. D'ANNIBALE *Praef.*

AL. ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

(Versio latina)

Inclite Apostole, qui ob tuam virginalem puritatem Iesu tam carus extitisti, ut supra pectus eius reclinares caput, quique dignus es habitus quem, loco sui, Matri beatissimae uti filium relinqueret; da mihi, supplex oro, ut Iesum et Mariam flagrantissima caritate complectar. Fac quaeso, tua ad Deum prece, ut ego quoque, corde ab omni terrena affectione emundate, Iesu fidelis discipulus, Mariae filius amans, semper adhaeream in terris, ut eis in sempiternum coniungi merear in Caelis. Amen.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

BURDIGALEN. Decretum beatificationis et canonizationis ven. servae Dei Ioannae de Lestonnac fundatricis ordinis filiarum B. M. V.

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?

Supernaturalis illa virtus *aquaevwae,* quam Iesus Christus sedens ad fontem Iacob mulieri Samaritanae pollicitus fuit, mirabilius apparet cum in conditione feminei sexus ad novam dignitatem evecta, tum maxime in nobili illo mulierum agmine, quae uberius inde haurientes, rebus heroice gestis, benefactis atque institutis tamquam huiusce aquae fontes, secundum ipsius Christi promissa, effectae sunt, atque ita vineam Domini summa cum admiratione ac veneratione hominum irrigarunt et fecundarunt. Nunc iam in gloriosum earum numerum iure licet nomen adscribere ven. Ioannae de Lestonnac.

Quae Burdigalae nobili genere nata anno MDLVI, adolescentula orationi studens, confortabatur spiritu ac zelo fidei catholicae tuendae; deinde coniux et mater omnia erga virum filiosque officia praeclare implens, vias suas omnino direxit secundum eloquia evangelica ut Deo per omnia placeret. Luculentius autem ipsius virtutes enituerunt post viri obitum, longo sane quadraginta quatuor annorum spatio. Primum quippe cupida haerendi pressius vestigiis Christi, totam se commentationi rerum divinarum et proximis iuvandis addixit; tum domesticis expedita curis Tolosana venit, ubi sacris virginibus S. Bernardi institutum profitentibus insigni exemplo fuit, donec adversa valetudine Burdigalam regredi coacta est- Scilicet hoc arcano tramite Deus ancillam suam ad maiora vocabat, ut talenta et gratiae donationes ampliore cum fructu coleret. Namque in solitudine pleniores haustus aquae salientis in vitam aeternam magis ma-

gisque in corde eius aiebant Dei amorem eamque urgebant u-puellis prospiceret, quas imperitae magistrae vel calvinianae a vot cabant a catholica veritate, easque simul politioribus disciplinis formandas curaret ac fidei doctrina, per quam 'crescerent in gratia et cognitione Iesu Christi. Id fauste effecit, tempore licet difficili, Ordinem instituens titulo Filiarum B. Mariae Virginis, quem laudibus extulere non modo viri sapientiae dignitate praestantes, sed et ipse Summus Pontifex Paulus V, qui illum per Apostolicas litteras bulla signatos, VII idus Aprilis anno MDCVII, probavit. In hac nova familia, cuius diu suprema moderatrix fuit, Ven. Dei Famula nedum prudentiam et sollicitudinem suam ostendere potuit, sed eximiam etiam patientiam ac demissionem animi, qua malum vincens in bono, sodalium corda sibi arctius devinxit. Hinc licet aetatis flexu ab Antistitae officio quievisset, tamen ope consilioque suo Ordinem institutum mirifice sustenta vit, eumque ante obitum regulari disciplina florentem lateque propagatum vidit. Ad hoc plurimum contulit longe diffusa fragranfia virtutum eius, quibus se veram praebebat heroidem, maxime seraphica caritate, studio revocandi quotquot posset ab haeresi, zelo gloriae divinae, quam fuso etiam sanguine optabat provehere, rerum humanarum contemptu, assidua precatione et multiplici corporis afflicta tione, ita ut vere dici possit eo spectasse in omni conversatione sua ut vitam Christi viveret, et eius bonus odor esset Deo. Harum virtutum praestantia, quam splendidiorem reddebant spiritualia charismata mira humilitate obiecta, processit et crevit usque ad extremum vitae tempus, quo Ven. Serva Dei perbrevi absumpta morbo, dulcibus Iesu, Mariae et Ioseph nominibus invocatis, placidissime migravit ad Dominum, in festo Purificationis Deiparae anno MDCXL, aetatis suae quarto supra octogesimum.

Virtutum ipsius fama cito e Gallus in Hispaniae et Italiae regiones manavit atque in ipsis Americae oris percrebuit, pluribus illustrata, miraculis, quae ipsius tum viventis, tum demortuae intercessione a Deo patrata ferebantur. Attamen pro temporum rationibus Ordinaria super his omnibus inquisitio nonnisi hoc saeculo suscepta est; cunctisque peractis quae ad id genus causas ex Apostolicis Constitutionibus sunt praemittenda, examen de ipsius virtutibus est institutum.

Itaque tribus in eumfinem actionibus disputatum fuit ; primo nimirum VII calendas Apriles, anno MDCCCLXXVIII in aedibus

cl. me. Cardinalis Patrizi, Causae relatoris: secundo ad Vaticanum xiv calendas Décembres anno MDCCCLXXXIV, ac demum in generalibus comitiis ibidem coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII habitis xv calendas Iulias anni elapsi, in quibus'alRmo Cardinali Lucido Maria Parocchi, Episcopo Albanensi, Causae Relatore, proposito Dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Caritate in Deum ae Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei Ioannae de Lestonnac in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?* Rmi Cardinales et Patres Consultores singuli suffragia protulerunt. SSmus vero Dominus Noster sententiam suam ferre distulit, admonens in re tanti momenti a Patre luminum caelestis consilii Spiritum interim esse poscendum.

Hodierna vero die, inclyto Patriarchae Ioseph sacra, oblato Missae sacrifìcio, ad hanc nobiliorem Vaticani aulam accedens et Pontifìcio solio assidens, arcessivit Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationis Praefectum loco etiam et vice Rmi Cardinalis Lucidi Mariae Parocchi, Episcopi Albanensis, Causae Relatoris, una cum. R. P. Augustino Caprara S. Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus pronunciavit: *Constare de Virtutibus Iheologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei Ioannae de Lestonnac in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referre mandavit xiv] calendas Apriles anno MDCCCXCI.

C. Card. ALOISI-MASELLA *S. R.* C. *Praef.*

L. •£ S.

VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius.*

Vitae Synopsis.

Burdigalae in oppido Galliarum illustri, anno reparatae salutis quingentésimo quinquagesimo sexto supra millesimum, generosis parentibus Richardo de Lestonnac et Ioanna Deyquem nata est Ven. Ancilla Dei, quatuor inter filios natu maxima,

aliisque cum forma corporis egregia, tum ingenii animique praeclaris dotibus facile praecellens. Similis erat parentibus nobilitas et gravitas morum, at non eadem religio ; pater enim veritati catholicae studebat impense, calvinianos errores mater sequebatur. Hinc statim ac puella nata est, inter eos orta contentio; mater enim, ceu ¡ve tus historicus refert, conatus fuit ut sua filia baptizaretur in templo... sed dominus eius maritus oppositionem fecit, quippe quf suae religionis zelotipus, eamque baptizare fecit in ecclesia. Nihilominus haeretica mulier propositi tenax, augescente puellae aetate, conatus omnes adhibuit, ut eam monitis, blanditiis, dolis, nedum exemplo, in suas partes traheret, et quo facilius pestilentibus doctrinis tenellam mentem imbueret, illam ad Calvinianorum coetus secum ducebat. Praestitit obstinatae feminae adiutricem operam soror ipsius eadem labe infecta, ac forsitan genitricis et materterae insidiis circumventa Ioanna in laevam partem deflexisset, nisi pater et avunculus Michael de Montaigne promptam illi tulissent opem, ut mentis oculos veritati panderet, et improba haereticorum deliramenta reiiceret.

Opportunum quoque et salutare advenit Ancillae Dei Francisci fratris auxilium, quippe qui a Patribus Societatis Iesu optime institutus, et argumenta haereticorum strènue profligare edoctus, quidquid a magistris acceperat candidae ac perspicaci sorori referebat. Ea quae nobilis animo erat, moribus integra, et ad omnem virtutem comparata, anceps diu haerere non potuit, praeeuntem gratiam Dei et ad se vocantem sequuta est, documenta matris respuit, improbavit, ac veritatem catholicam, iam perspicue agnitam et compertam, tam firmiter studioseque tenuit, ut in matris iram et offensionem immerens incideret. Siquidem adolescentula, conversis partibus, adniti coepit ut illam ad veram religionem revocaret, suasiones, argumenta, preces quas potuit adhibuit, nequidquam tamen; pervicax namque mulieris animus obduratus perstitit, et cum filiae zelum frustra exercuisset, profuit illi ad patientiae et pietatis meritum augendum. Ioanna enim dura parentis fastidia mansuetissime tulit, morositatem exsorbuit, contumeliosam iracundiam sine querela toleravit, quin unquam de obedientia et filialibus officiis quidquam remitteret. Interim scientiam veritatis, quam adepta fuerat, sterilem atque infructuosam in se non sivit ares c ere; sanctas doctrinas quas ore profitebatur, vita et moribus suis referre contendit, modestiae leges ita servavit, ut nec levitatis no-

tam, nec ullam* prudentium repréhensionem incurrere!;, ac licet venustate, celeritate ingenii et sermonis gratia hominibus placeret, Deo tamen magis probari sategit. Orationis studio praecipue vaca vit, silentium et solitudinem saecularibus coetibus praetulit, et cum Virginem Deiparam peculiari coleret obsequio, Ioannem Apostolum, quem Christus illi filii loco esse iussit, patronum sibi cooptavit.

Si integrum Dei Famulae fuisset illud vitae genus sequi quo ingenium et studia eius ferebantur, certe religiosum aliquod institutum fuisset amplexa. Verum ea erat temporum calamitas, ut ipsamet asyla castimonia ab haeretica lue, quae longe lateque irrepebat, satis tuta et immunia censeri non possent. Quapropter, cum septemdecim annis nata esset, et nuptias honestissimas a parentibus sibi proponi audivit, respondit obsequenter : sibi quidem in votis esse innuptam manere, atque a curis remotam pietatisque deditam exercitiis aetatem agere, nimis se imperitam esse rei familiaris bene gerendae et imparem matrimonii oneribus subeundis ; nihilominus se facturam quod ipsi iuberent, divinae enim voluntatis nunciam atque interpretem parentum vocem a se existimari. Ita nuptum data est iuveni praenobili Gastoni de Montferrant, quem morum probitas non minus quam verae religionis studium commendabat. Vixit Ven. mulier cum viro coniunctissime, tantamque eius fiduciam et existimationem sibi concitavit, ut omnem rei domesticae curam, ab eo creditam in se suscipere cogeretur. Septem ex eo matrimonio liberos habuit; at cito tribus orbata est, 'qui morte immatura ad beatiorem vitam migrarunt. Reliquos vero sedula ad virtutem et pietatem instituit, docens eos exemplo suo quidquid praecepisset. Famulis et ancillis sic praefuit, ut matris potius et magistrae humanissimae quam herae personam indueret. Nobilibus matribusfamilias gravitatis et modestiae illustre praebuit exemplum. Inania colloquia devitans parcissime cum exteris versabatur; opes quibus diffluebat non ad luxum et voluptatem, sed ad inopes iuvandos impendebat, aegrotos non auxiliis tantum, verum etiam praesentia, verbisque amantissimis solabatur. Tempus quod curis vacuum supererat in precibus fundendis, aliisque piis exercitationibus solebat impendere : paucis, ita officiis omnibus status sui perfuncta est, ut perfectam imaginem mulieris fortis ac timentis Deum, qualis in Proverbiis describitur, in se retulisse videretur.

Quatuor et viginti annorum spatium emensa cum viro egregio et concordi, grave ex acerbo illius obitu vulnus accepit. Illum, uti par erat, eluxit; at memor moniti, quo Paulus viduas hortatur, ut sperent in Deum ac instent obsecrationibus et orationibus nocte ac die, levamen viduitatis suae in Deo quaesivit: ideo impensius vacare precibus, a tumultibus mundanis diligentius abstinere, saepius conscientiam sacra homologesi expiare, et ad sanctam Synaxin accedere, uberiores eleemosynas in pauperes effundere, in nosocomia ventitare, ut aegrotis opitularetur. Interim filiorum educationi sedulam navabat operam, et feminas duas maiores natu inter moniales devotas Deiparae ab Angelo salutatae quasi in tuta statione collocavit. Sex annis ab obitu viri elapsis, cum filium, studiorum curriculo confecto, satis valere aetate et prudentia vidit, ut commode rebus domesticis praeesse, et sororis curam gerere posset, vetus desiderium monasticae vitae ampleclendae rursus in animo persensit excitari. Sublata fuerant eo tempore impedimenta, quae ante annos triginta periculosum ingressum eius in monasterium fecissent; namque, ut alter ex biographis ait: Tunc omnia secundum eius desideria procedebant, nam circa tres annos post sui mariti obitum, exactis bello contra religionem, et per Romanum Pontificem Clementem VIII iterum in communionem Ecclesiae recepto Henrico quarto, catholicitas, una cum pace consequuta est antiquam suam nobilitatem. Praesertim ex quo pium quemdam ex sodalibus Franciscalibus de vanitate mundanarum rerum disserentem V. D. S. audivit, totam se Deo devovere constituit. Consilium suum postridie cum eo communicavit, quod cum ab ipso probatum novisset, conscientiae moderatori aperuit, eoque etiam assentiente, cogitata perficere decrevit. Austerioris vitae cupida coenobium quaesivit sanctimonialium, quarum institutum ac disciplina esset severissima ; et cum audisset ea laude maxime florere Tolosae monasterium virginum a S. Bernardo nuncupatarum, deque earum regulis certior fieri curasset, Praepositum Provincialem, qui tunc forte Burdigalae erat, est aliocuta, enixisque precibus eum rogavit, ut inter moniales eius ordinis exciperetur. Cum vir prudens omnia considerate perpendisset, non dubitavit quin divina vocatione Ven. Ancilla Dei moveretur, operamque suam praebuit libenter, ut quamprimum posset in eo virginum coetu cooptari.

Omnibus probe paratis, Ven. Vidua filio demum consilium

suum aperuit, sororem illi commendans, cuius iam propter aetatem recte curam gerere posset. Ostendit quomodo rei domesticae satis a se consultum esset, nec ipsa iam sua opera et consilio indigeret; ea qua praestabat prudentia uteretur, ut familiae optime praeesset; praesens enim coelestis patris subsidium nunquam ipsis esset defuturum. Frustra obstitit filius, rogans ne se derelinqueret ; nequidquam etiafn filiola, quam fugiens celare tentaverat; occurrit instans ut ab inceptis desisterei ; omnia fortiter obstacula amovit V. D. Famula, quae ad instar S. Paulae « *pietatem in filios pietate in Deum superatis, nesciebat se esse matrem, ut Christi probaret ancillam.* » Sic asceterium ingressa facile moniales ceteras, antiquiores etiam, pietatis fervore et monasticae disciplinae observantia antecelluit : omnes illam quasi exemplar, quod imitarentur, suscipiebant, et mirabundae gratulabantur quod sociam tam egregiam fuissent adeptae. Breve tamen gaudium fuit; nam sive ob insuetum vitae genus, sive quod Deus Ancillam suam ad maiora gerenda destinabat, morbo est implicita gravi et acerbo; medici autem eam indubie morituram iudicarunt, nisi quamprimum claustra relinqueret, et a suscepta ratione vitae recederet. Hoc nuncio audito tristari coepit Dei Famula ; verum coelesti visione recreata, qua ad novum ordinem instituendum divinitus data videbatur, acquievit et Antistitae suadenti, ut ad pristinum vivendi genus reverteretur, docilis obtemperavit. Tunc mirum dictu ! vix ac vestes monasticas deposuit, morbo se liberam persensit, et amissum valetudinis florem statim recupera vit.

Itaque post sex menses ex quo Burdigala profecta fuerat, illuc régressa est exeunte anno 1603, ingenti cum gaudio cognatorum amicorumque, ac filiorum praesertim, qui eam sibi insperato redditam gestiebant. Mutuis benevolentiae et comitatis officiis persolutis, Ven. mulier iterum cogitavit a civitatis strepitu recedere et solitudinem petere. At prius maternae pietatis muniis perfungi voluit erga filiam, quam nuptui dedit Dynastae d'Arpaillant, atque ipsamet in domum viri, quae in Petricoriis erat, deduxit. Salutare fuit iter illud adolescentibus quibusdam nobilibus, quae in haeresi versabantur ; eas enim cum novisset Ven. Dei Famula, ad catholicam veritatem revocavit. Relicta apud generum filia, in castrum Landiras, ubi filius degebat, perrexit ; breviter tamen ibi morata est : nam solitariae quietis desiderio illecta secessum quaesivit, et in vicum venit, cui no-

men *la Mothe,* ubi a curis saeculi expedita rerum divinarum commentatione piisque operibus melius vacaret. Nullus in eo loco auxilii indigens fuit, sive pauper sive aegrotus, quin beneficam eius opem experiretur. Prae ceteris tamen puellis imperitis ac fidei simul et pudicitiae amittendae periculo obnoxiis sollicitudines suas v. Dei Famula convertebar atque ut earum saluti prospiceret, quandam quasi scholam virtutis et asylum condere moliebatur, ubi christianam catechesim, religionis officia et illibatam morum disciplinam addiscerent.

Haec secum reputans ven. mulier nihil tentare voluit quin antea virorum prudentum sententiam audivisset. Ideo Burdigalam reversa, cum duobus Patribus e Societate Iesu, Marguestaud et Mesnage, sermones et consilia contulit; illi vero, auditis iis quae animo volvebat Dei Famula, et re mature perpensa, supersedendum adhuc esse iudicarunt, donec Deus voluntatem suam luculentius panderet. Interim ei suaserunt ut precibus et caritatis operibus enixius instaret ; quod consilium tam sedulo sequuta est Ancilla Dei, tantoque studio ,'in sui perfectionem incubuit et proximorum indigentiis praesto fuit, curans aegrotos, pascens egenos, carcere detentos invisens, ut puellae quaedam, piissime illo vitae genere illectae, non modo se illi laborum socias obtulerint, sed eius prudentiae et moderationi regendas ducendasque ultro crediderint. Haec quasi semina fuerunt ex quibus nova Congregatio erat nascitura. Siquidem eodem tempore quo ven. mulier hasce puellas circa se congregabat easque incensis verbis inflammabat, ut non modo saluti suae, sed et aliarum bono solidaeque utilitati iunctis viribus consulerent, accidit ut duo spectatissimi viri e Societate Iesu, PP. de Bordes et Raymond, illius zelum ad novam Congregationem instituendam excitarent. Quod ut planius compertum sit, paulo altius res repetenda videtur. Animadverterunt pridem duo illi sacerdotes egregii tristia iuventutis exitia, partim licentia morum, partim falsis doctrinis oborta, nec ullum huic animarum cladi remedium, nisi in recta iuvenilis aetatis institutione quaerendum esse scite iudicarunt. Quod ad mares pertinet, satis, commode et fructuose iis prospectum videbant per collegia, gymnasia et ephebaea quae a sociis suis regebantur; at feminas simili praesidio destitutas, imperitis, vel, quod deterius erat, calvinianis magistris passim creditas deplorabant. Cum a Deo medelam hisce malis orantes postularent, seorsim coelesti;lumine

illustrati sunt dum sacrum litabant, ac perspicue noverunt puellarum ordinem institui oportere, qui Loyoleae familiae imaginem referret, eaque bona feminis adolescentibus pareret, quae iuvenibus maribus a Societate Iesu obveniebant; ac veluti haec nomen a divino Praeceptore mutuata fuerat, sic novam Congregationem ab Eius Matre sanctissima fore compellandam.

Communicatis invicem luminibus coelitus acceptis, constituerunt duo viri eximii mulieres quasdam opibus et virtute praestantes rogitare utrum novae huius familiae constituendae munus vellent suscipere Ast iis repudiantibus, enixe a Deo precibus petiere ut sibi ostenderet quaenam esset quam tanto operi praeflcere vellet. Nec multo post ad eorum , aures pervenit Ioannae nomen, et virtutum fama; cumque eam apprime idoneam propter insignes animi dotes agnovissent, ipsam a Deo destinari rati sunt. Cum fratris Ven. mulieris interpositis officiis, illam adiverunt, eique consilia a se inita, et accepta lumina, et seriem totius negotii, quod gerendum esset, explicarunt. Nihil optatius Ancillae Dei accidere poterat, quam opus ipsum quod aggrediendum proponebatur; verum quum propter singularem animi demissionem nomen et honorem fundatricis et Antistitae detrectaret, seque imparem gravi officio iudicaret, tempus ad deliberandum poposcit. Cum porro novo lumine illustrata divinam voluntatem clarius deprehendisset, et coelestis visio pio cuidam sacerdoti immissa demonstrasset ipsam a Deo designari quae novo ordini instituendo praeesset, superno auxilio confisa subiit onus impositum, seque ut iussa facesseret paratam exhibuit, modo Pater de Bordes consilio et prudentia sibi suisque adesset, et qua ratione singula quaeque agenda essent praeciperet.

Rebus ita compositis, socias operis adsciscere sibi coepit V. D. F., quas partim ex iis quas iam dirigebat assumpsit, partim a P. de Bordes adductas recepit. Cum omnes unanimes ad novum vitae genus amplectendum paratas se profiterentur, ab eodem religioso viro petierunt ut regulas delinearet, quas sequerentur. Ille quidem id muneris non recusavit; at eas monuit ut interim christianae perfectioni assequendae alacrius operam darent et animum excolerent spiritualibus exercitationibus, quas iuxta S. Ignatii praescripta diligenter obierunt. Tum regulas quasdam composuit complendas postmodum atque exponendas ulterius, quibus constitutiones Societatis Iesu congregationi puel-

larum, quoad fieri poterat, aptavit. Adiit insuper Cardinalem de Sourdis, qui ; tunc temporis Burdigalensi praeerat Ecclesiae, Ven. Ioannae virtutem egregiam apud illum multis laudibus extulit, totamque initi consilii vim et rationem exposuit. Opta vit Antistes ipsam Dei Famulam alloqui; quae cum ad eum venisset et perhumaniter fuisset excepta, virum Emum rogavit, ut inceptis suis dexter adesset; quo melius autem et consideratas posset negotii quod agebatur naturam et gravitatem perpendere, conscriptas paginas penes eum reliquit, quibus novi Instituti forma et sociarum nomina dilucide explicabantur. Ille nobile mulieris propositum valde commendavit, nec satis mirari poterat ingenium, modestiam, caritatem rei magnitudini pares; noluit tamen quidpiam decernere donec negocii cognitio episcopali concilio proponeretur. Quoniam vero species melioris boni etiam viros prudentes saepe fallere solet, ii qui in consilium Antistitis acciti fuerant satius duxerunt, Ven. Ioannam operam suam impendere ad regularem disciplinam inter moniales Ursulinas instaurandam, laxata enim et fere collapsa fuerat temporum iniquitate, quam novum Ordinem erigi sororum, quae non secus atque illae ad puellas recte instituendas incumberent. Ex eo factum est, ut cum Ven. Ioanna ad Archiepiscopum rediit, immutatum prorsus eius animum deprehenderit. Suadebat Servae Dei Praesul, ut opus aggrederetur quod consiliariis suis magis placuerat; at Ven. mulier, quae perspicua habuerat divinae voluntatis indicia, obsequenter quidem sed strenue argumenta ex adverso ab Archiepiscopo allata refuta vit. Cum neuter alterum e sententia dimovere potuisset, V. D. Famula ad suas reversa est, sperans fore ut Deus, qui auctor operis aggrediendi fuerat, difficultates extricaret, remque feliciter ad exitum perduceret.

Haud irrita fuit Ven. mulieris fiducia : quamvis enim eius firmitas adhuc diuturniori certamine esset probanda, interea tamen res in melius vergere visae sunt. Nam quum primum a consiliis suis alieniorem Praesulem videret, minime deterrita est, et quaecumque potuit divina et humana subsidia sibi comparavit. Instititit una cum sororum coetu enixius precibus et obsecrationibus, augens ieiunia et eleemosynas, ut divinam benignitatem sibi conciliaret : viros praeterea graves et illustres apud Antistitem suffragatores interposuit, ut consilia in melius referret, et operi incepto propitius faveret. Sane tunc ex insperato

in vota Ven. mulieris concessit, eius propositum laudavit, et novam societatem approbatione sua munivit. Promisit imo se quidquid officio et gratia posset collaturum, cum apud Supremum Pontificem, tum apud Romanae Curiae praesules, ut approbatio a se concessa Apostolica auctoritate confirmaretur. Vix dictis assequi quis posset laetitiam quam exinde Dei Famula persensit : gratias quas potuit maximas egit Antistiti, ampliores vero agendas Deo tanti beneficii auctori domum reversa sororibus indixit. Nec ulla mora interposita, sacerdos pius et prudens, cui nomen Moysset, eligitur qui tanquam Archiepiscopi Burdigalensis actor et nuncius apud Sedem Apostolicam negotium procuret, datisque commendatitiis epistolis cum ad Paulum V, qui tum regendae praeerat Ecclesiae, tum ad Cardinales quosdam aliosque viros nobilissimos, Romam mittitur. Ubi ille ad Urbem venit, et litteris traditis missionis suae causam Cardinalibus Bellarmino et Baronio aperuit, facile utrumque adduxit, ut gratiam et opem suam negotio bene gerendo conferrent. Ii enim probe callentes beneficia a Societate Iesu Ecclesiae collata, propositum Institutum huic apprime conforme favore suo prosequi, illique adspirare non dubitarunt. Rem autem Pontifici sic retulerunt, ut animum eius Ven. Fundatrici et incepto operi mirifice conciliarent. Optime comparatus pontifex nuncium Burdigalensem excepit humanissime : naturam, finem, instituta novae Congregationis ab ipso explicata libenter audivit, cumque examen causae S. Congregationi Episcoporum et Regularium negociis praepositae credidisset, demum litteras Apostolicas edidit bulla signatas, quibus novensilem Ordinem Filiarum B. Mariae Virginis solemniter adprobavit septimo Idus Aprilis anno 1607. Meritis praeterea laudibus prosequens consilium et institutum Ven. Dei Famulae, ac bona multa exinde Ecclesiae obventura ominatus haec memoratu dignissima protulit verba, quum Sacerdotem Moysset gratias agentem et mox ab Urbe discessurum dimitteret : « *Laetus,* ait, *moriar confirmato iam Ordine ad animarum salutem, et fidei morumque puritatem servandam et excolendam comparatum.* »

Dum haec Romae agebantur, iam Ven. mulieri ante nuncii reditum Burdigalae innotescebant. Ioannis enim Evangelista per visum apparens de pontificia approbatione eam certiorem fecit. Divinitus eam visionem immissam, nec sommiantis phantasiae ludibrium fuisse nuncii reversio, et documenta ab eo allata de-

monstrarunt. Qui cum Burdigalam pervenisset et missionis suae exitum retulisset, V. Dei Famula Emum Antistitem rogare coepit, ut Apostolicis litteris executionem curaret, sibique et sororibus monasticum velamen imponeret. Annuit ille, et aedes interim Ioannae assignavit, quibus sacellum adiectum erat Spiritui Sancto dicatum. Statim ac locus ^coenobii usibus aptatus fuit, et claustri speciem exhibuit, illuc V. D. F. et sociae illius recesserunt mundo valedicentes ; saeculares tamen vestes retinuerunt aliquandiu, ut periculum facerent monasticae vitae, quam erant amplexurae. Parebant sorores Ven. Ioannae tanquam Antistitae, omnesque sedulam navabant operam, zelum eius imitantes, ut seipsas compararent sacris indumentis excipiendis. Consultissime vero prospectum fuit, ut solidae vocationis hoc novum periculum fieret; nam quaedam puellae, quae primum sese Ioannae consociaverant, hortatu parentum discesserat, aliaeque in locum earum subierant. Cum satis temporis elapsum esset, omnesque ita essent instructae atque exercltae, ut pares monasticae vitae agendae haberentur, iterum petiere ab Archiepiscopo ne amplius moram faceret et optatas vestes concederet. Diem ille constituit Kalendas Maias anno 1608, quae dies cum venisset, solemni pompa sacrum ritum peregit, in quo illud singulare fuit, quod cum puellis aliis album velamen esset ab Antistite impositum, nigrum Ven. Dei Famulae datum est, quo signo portendit Praesul eam ad instar professae iam esse habendam, ac dignam cui ceterae obtemperaren!

Enimvero probationem finis nondum advenerat ; namque ex praescripto Pontificis tyrocinium novis sanctimonialibus erat subeundum, ut vota nuncupantes religiosam professionem emitterent. Quod tempus cum illae multa cum laude transegissent, cupide diem opperiebantur quo nuptiis Agni coelestis dignae haberentur. Ast Archiepiscopus iterum ad pristinum consilium rediit, ut eas Ursulinis adiungeret, ac nihil tale expectantibus negavit se earum vota suscepturum. Hoc quasi repentino ictu perculsa Dei Famula, tamen animum non deponit, et cum frustra precibus et rationibus a Praesule contendisset, ut inceptum opus perficeret, ad Deum confugit, rogans ut ipse, in cuius manu hominum corda sunt, Antistitis animum flecteret, et obstaculum intempestivum removeret. Excepit Deus precem Ancillae suae, eamque mirifice solatiis est. Nam quum Cardinalis de Sourdis obfirmato animo Burdigala excessisset, et Ro-

mam profecturus in oppidum Sermont venisset, repente immutata sententia, fertur monitu Deiparae, quae sese illi videndum dedit, in civitatem suam remeavit; coenobium petiit ubi Serva Dei degebat, illamque et socias sibi occurrentes ita est alloquutus : « En ego vota vestra, piae sorores, accepturus accedo : divinae voluntati diutius adversari non licet, quum modo hanc esse intelligo, ut desideriis vestris satisfaciam ». Cum insperato nuncio sorores prae laetitia gestientes ad obsequendum statim paratas invenisset, crastinam diem indixit, quae immaculatae Deiparae conceptioni sacra erat, anno **1610.** Fausta et auspicata ea dies nascenti Ordini Filiarum B. Mariae Virginis illuxit; Archiepiscopus enim singularum caput nigro velamine obnubens solemnia vota ab illis nuncupata Ecclesiae nomine excepit. Sic Deus clementissimus fiduciam et constantiam Ven. mulieris optato praemio donavit ; sic post varias rerum vices sub Virginis patrocinio Congregatio tandem est constituta.

Ut solent arbores bonae iuvenili robore vigentes et soleros agricolae manu excultae optimos fructus gignere, sic novus Ordo, recentis erectionis vigore florens et sapientissimae moderatricis directus industria, egregios fructus edidit, cum internaran! virtutum, quae summo studio a sororibus celebrantur, tum publicae utilitatis, quae ex institutione alumnarum civitati obveniebant. Proinde piae virgines, quae primum sese, Ven. mulieris socias adiunxerant, ac dein parentum voluntate discesserat, iterum ad eam reversae sunt, et religiosam familiam auxerunt. Aucto sororum numero, aedes quoque amplificare oportuit ; neque hoc satis ; nam aliis monialibus cooptatis, etiam extra Burdigalam Ordinis fines propagati sunt. Scilicet perspectis emolumentis quae ex benefica Congregatione in civilem ipsam societatem manabant, plures Galliarum civitates illustres apud se quoque Ordinis monasteria condi a Ven. Ioanna postularunt. Ac primo quidem nova domus Biterris fundata est anno **1616** ministerio duarum sororum, quas illuc Ven. Dei Famula misit rei gerendae optimas. Post biennium aliae duae constitutae sunt, Anicii nimirum et Pictavii. In hanc civitatem, iubente Cardinali de Sourdis, ipsamet Dei Famula cum quatuor sororibus perrexit, omniumque admirationem, quocumque gradiebatur, facile sibi conciliavit. Omnibus rite compositis, et idonea sorore relicta, quae coenobio praeesset, Burdigalam remeavit. Eodem anno Tolosae etiam nova fundatio suscepta est, quae tamen

propter rerum difficultates nonnisi serius perfici potuit. Praesentem iacturam reparavit Petrocoriensis Episcopus, qui, litteris datis ad Dei Famulam, ab ea petiit, una cum civibus illustribus, ut penes se quoque coenobium Ordinis et scholas puellis erudiendis erigeret. Illuc profecta est Ven. mulier cum tribus sociis anno 1620, et quaecumque neri oportebat prudenter disposuit. Anno demum insequenti 1621, aliud monasterium Agenni condidit, quod opus industria Margaritae de Puyferré feliciter •expedivit.

Ventum erat ad annum 1622, qui familiae floren tissimae luctuosus fuit ; malignorum enim invidia id quod illius columen et firmamentum erat labefactavit. Nimirum ex instituti legibus quarto quoque anno Antistitae electionem fieri oportebat; ac licet Dei Famula triennali potestate perfuncta ab ea conquiescere voluisset, semper tamen hucusque communi suffragio confirmata fuerat, et sororum votis cesserai, in regionem Ordinis perseverans. Annis itaque duodecim sic illi praefuit, ut nihil melius nec optabilius sanctimoniales sibi possent ominari. Venerabilis Serva Dei, ut verbis utar Testis I Proc. Apost. Ruthenensis, praefuit Ordini. Quem cum pietate gubernavit, prudentia, moderamine et suavitate, uno verbo cum omnibus requisitis quae bonam constituunt directricem. Floruerat regularis observantia praesente et advigilante Dei Famula, quae omnibus instituti legibus obtemperans ipsa, non sinebat sorores in officio languescere, nec quidquam de pristino fervore remittere. At res in deterius abire coeperunt in ea electione quae exeunte hoc anno 1622 celebrata fuit: huius vero immutationis ratio paulo altius repetenda est. Fuerat inter primas Ancillae Dei socias quae postmodum recesserant, ac denuo redierunt, Blanca quaedam Hervé, cuius angustus animus, velut erat ad grandia molimina ineptus, sic facile invidiae stimulis movebatur. Hanc probe noscens Ven. mater in officiis tribuendis, quippe impar erat, posthabuerat : hinc livor et feminea iracundia exarsit. Postremo illo triennio quo V. D. F. Ordini praefuit, haec monialis, quam dixi, similem sibi nacta presbyterum, cui procuratio sacrorum in Monasterio credita fuerat, struere cum eo coepit insidias adversus Ven. Antistitam, ut Archiepiscopi offensionem incurreret; dictitabant enim nihil ab ea intentatum relinqui, ut se ab huius auctoritate subduceret, et litteras ea de re ad Sedem Apostolicam dedisse. Praesul, ut erat potestatis suae

sollicitus, ac sperai se ratus, acriter Ioannam increpuit; et quamvis illa obsequium suum testata sese ab ea accusatione purgasset, nequivit tamen ex animo Antistitis omne suspicionis vestigium delere. Hinc, nova oblata occasione, facile fuit inimicis Servae Dei igniculos haud prorsus extinctos excitare; siquidem aditu quodam in atrio inferiori patefacto ad commeatus importandos, hoc quasi inauditum crimen Archiepiscopo delatum fuit, quippe sine eius venia et, prout illi aiebant, in contemptum auctoritatis eius patratum. Praesul malignis sermonibus instigatus statim ad coenobium convolat, verbis durissimis innoxiam mulierem corripit, apertas se inscio fores obstrui iubet, eiusque facti mentionem in codice regularum inseri, ac singulis mensibus legi palam in coenaculo edicit. Admiranda quidem fuit in ea re Ven. Moderatricis patientia et humilitas; nullam enim edidit vocem qua se defenderet, et iussa Antistitis exequenda diligenter curavit. Discesserant tunc temporis in novas domus plures ex antiquioribus sororibus quae Ven. Ioannae virtutem aestimare pro meritis poterant; iuniores vero, partim ob Episcopi offensam, partim sermonibus inimicorum Ancillae Dei, partim forsitan novarum rerum cupiditate, alienioresab illa factae sunt, et mitissimum Ven. Matris regimen fastidientes in hydrum inciderunt. Nempe coactis comitiis ad Moderatricem eligendam, cum Ioanna munus de more abdicasset, haud amplius ei potestatem, uti solebant, prorogarunt, sed intensissimam ipsius inimicami Blancam Hervé in locum eius suffecerunt.

Haec summam auctoritatem adepta, cum esset humili loco nata, et origini parem animum haberet, cerviculam iactare coepit, ac tempus sibi datum autumavit vim potestatis suae in eam exercendi, a qua in asylum illud castimoniae humaniter excepta, enutrita atque instituta fuerat. Itaque per triennium illud quo Asceterio praefuit, sic Ven. Matrem vexavit ut nihil excogitan possit indignum et contumeliosum, quod illi perpetiendum non dederit. Melius haec alibi erunt explicanda ; modo tamen dicam Dei Famulam nunquam sibi nec officio suo defuisse. Praeprimis obedientiam et obsequium novae Antistitae exhibuit, tacita illius convicia excepit, iniustis animadversionibus sese subiecit humiliter, ac dum sorores vicem eius miseriae indignabantur, ipsa eas hortabatur ut a querelis abstinerunt. Eo deventum est ut cum sororibus communicare prohiberetur ; ipsa interim pro religiosa familia et persecutoribus suis orabat. Ac Deus quidem

illam sola tus est ; namque effecit ut eo tempore latius Ordo propagaretur, et animum illius virginis fatuae ita demum permovit, ut peccatum suum agnosceret, et ad meliorem frugem rediret. Quare quum triennio elapso munus suum deponeret, veniam cum lacrymis ab Ancilla Dei petivit, et facile impetravit ; imo sororibus quibus scandalo fuerat, praeivit exemplo, ut maculam eius temporis sanctiori vita et ferventiori pietate detergerei. Ceterum divinam ultionem haud effugit criminis socius, qui ministerii sui oblitus potissimum valuerat auctoritate ut tanta malorum seges excresceret. Nam cum nequitia eius et perdita vitae ratio Archiepiscopo innotuisset, pulsus in exilium meritas delictorum poenas persolvit.

Depulsa tempestate, in qua invicta Servae Dei constantia praeclare enituerat, pacatiora tempora sequuta sunt. Siquidem mater de Badiffe, quae monasterii regimen suscepit, ea qua par erat observantia Ven. Fundatricem coluit; nec solum eam sivit ceteris Ordinis domibus datis epistolis prospicere; sed nihil arduum aggrediebatur quin eius sententiam exquisivisset. Cum vero actum esset de novo monasterio Pali erigendo, quae civitas totius Bearniae princeps Calviniana lue admodum fuerat infecta, negotium illud Ven. Dei Famulae creditum fuit, quae senectutis incommoda contemnens alacriter eo profecta est mense septembri 1626, cum quatuor sororibus et duabus neptibus^ quae illius institutum amplecti exoptabant. Ibi honorifice excepta mira sedulitate omnia constituit, quae ad clausuram servandam, et regularem disciplinam retinendam conferrent: ipsamet naviter operam impendere puellis instituendis, illasque elementa literarum docere, et vilissima quaeque ac molestissima officia perlibenter obire. Quod quidem caritatis, patientiae, humilitatis exemplum, in nobilissima femina, aetate iam devexa, amplissimi Ordinis Fundatrice, numquam satis mirandum, non modo sorores ad eamdem alacritatem imprimis excitabat, sed etiam alliciebat advenientium puellarum animos et maiorem earum numerum in dies adducebat. Quin etiam plures mulieres illustres, cum catholicae, tum haereticae, virtutis eius fama permotae, illam adibant, ut eius colloquiis fruerentur. Quas illa comiter excipiens iucundisque sermonibus detinens paullatim ad solidam pietatem illexit, et plures inter heterodoxas ad catholicam unitatem revocavit. Interea a curis totius Ordinis dirigendi, qui in dies latius protendcbatur, minime vacabat; siquidem modera-

trices diversarum domuum, illam ad instar communis Matris universae Congregationis habentes, in omnibus quae gesturae erant per epistolas eius consilia poscebant Neque obérât suprema Moderatrix, quae Burdigalae morabatur ; imo Catharina de G-uérin, quae matri de Badiffe successerat, sic illi suam electionem per litteras patefecit, ut totam potestatem suam illidemandare videretur.

Porro maior honor manebat Dei Famulae quum mater de Guérin, triennio exacto, munus suum abdicavit. Siquidem celebrata electione, mater de Landrerie, communibus suffragiis Antistita designata, negavit abscisse se posse regimen Ordinis capessere, quod Ven. Dei Famulae deberetur. Item officium oblatum renuit Anna de Arrérac, matris de Landrevie exemplum imitans. Demum mater de Turquoi reperta est quae moderatricis munus sororum suffragio suscepit ; ast haec cum paulisper virium suarum periculum fecessit, nihil boni sine Ioannae auxilio a se fieri posse deprehendit. Itaque, ut ait alter ex historicis, in auxilium sui sanctam provocavit matrem, eamque enixe deprecata est per litteras eidem missas, ut quantocius Burdigalam appeteret, ut res ad pristinum revocarentur statum, ceu ab eadem relictae fuerant, ut regularitati propria vis redderetur et instituto propria gloria. Cum gravibus negotiis V. D. F. distinentur, aliquandiu morata est; at urgente iussu Cardinalis de Sourdis incunctanter Palo excessit, et Burdigalam est reversa anno 1632. Plane regularis disciplina et pietatis studium pristinum in eo coenobio nonnihil elanguerat, claris exemplis iamdiu destitutum propter absentiam Ven. Fundatricis et priorum ascetriarum quae ad novas erigendas aedes in varias regiones abierant. Hinc aliqua acciderat rerum perturbatio; sed Ioanna sicut universas reditu suo insueta laetitia perfudit, ita consilio, prudentia ac monitis, quibus se docilis Moderatrix permisit, omnia facile composuit. Potissime exemplum eius profuit, ut religiosus spiritus inter sorores revivisceret; nam quamvis aetate provecta nulla in re sibi parcebat, omnesque in legibus instituti servandis anteibat. Insuper cum nova Antistita fuit eligenda, eam quam peridoneam noverat, matrem de Marezolles designavit, omnesque in eius sententiam sorores concesserunt. Demum animum applicuit regulis Ordinis, quae a P. de Bordes olim conscriptae et manu tantum exaratae pluribus exemplis circumferebantur : iis mendae quaedam irrepserant, quas corrigere

oportebat. Curavit itaque Ancilla Dei, auditis primum consultisque singulorum coenobiorum moderatricibus, ut regularum codex accurate emendatus, approbante Burdigalensi Archiepiscopo, typis ederetur; huic autem addita est testatio ab ipsamet Ancilla Dei conscripta, quae fideli monumento posteris foret, institutum illud idem esse, quod primitus ab se conditum fuerat, eaque lege et norma primaevas sorores vitam actusque suos composuisse.

Eveniebant haec anno 1639, cum Ven. mulier octogesimum secundum aetatis suae annum ageret, et quamvis senectae simul et morborum pondere gravaretur, adhuc illi biennium vitae Deus concessit. Videns autem Ordinem suum mirifice propagatum, nam plura quam triginta coenobia alia alibi erecta fuerant, probatum ab Episcopis compluribus et ab Apostolica Sede, caritatis exercitio, et regulari observantia florentem, victorem hostium, et difficultatibus quae initio obstiterant perfunctum, suavissimum laborum suorum fructum in senectute bona percepit. Languebant utique corporis vires, sed spiritus alacer et promptus erat; ideo communibus exercitiis ante omnes intererat diligentissime, cumque olim altera ex sororibus miraretur vehementer quod ea aetate sic agere posset, haud sola, respondit, quae mireris; sed scito quod per misericordiam Dei et per auxilium mirificum gratiae suae, spiritus meus vim iuventutis conservat; hinc onus mihi incumbit strictius Deo et religioni apprime famulandi. Plena igitur dierum et meritorum nihil sibi indulgebat; infirma ipsa sorores aegrotas invisebat et solabatur; nulli opem suam quaerenti deerat; sic propriae vacabat perfectioni, ut proximis, ac religiosae familiae suae praesertim, sedula prospiceret, simulque externis curis ita adiiciebat animum, ut mortis impendentis memor esset, cui bonis operibus ac ferventiori pietatis cultu sese diligenter comparabat. Videbat profecto filias suas mox a se relinquendas consilio et ope sua destitutum iri, sed optimam simul moderatricem illis vidit praepositam: matri enim de Mazerolles mater de Francs successerat, quae iisdem animata sensibus ne nilum quidem a placitis et iudiciis Ancillae Dei recedebat. Quare Deus ita cum fideli famula sua videtur egisse quemadmodum egerat cum antiquis illis Iob et seniore Tobia, quibus post acerbissimas calamitates, ad patientiam probandam immissas, tranquillam ac longaevam senectutem concessit. Quin etiam mortis formen tum veneran-

dam animi non videtur tetigisse; brevissimo enim absumpta morbo, anno reparatae salutis 1640, aetatis vero suae quarto supra octogesimum, placida in Domino obdormivit.

De Virtutibus in genere.

Unanimis est historicorum ac testium concentus in laudibus celebrandis, quibus nomen Ven. Ioannae in coelum efferunt tanquam mulieris fortis, heroidos invictae, exemplaris virtutum omnium absolutissimi. Profecto ad grandia et nobilia gerenda condita et comparata a natura ipsa videbatur; tot namque donis animi et corporis praedita fuerat, ut in utram partem deflexisset, magnum aliquid et insigne actura esse videretur. Merito vetus historicus consumerai Dei Famulam cum magnis viris quibus natura, ut ait, cor dedit magnum, animum nobilissimum, rectum iudicium, ingenium venustum, dexteritatem miram, sanitatem, corporisque vim inexhaustam. Hisce omnibus etiam generis nobilitas, divitiarum copia, forma corporis egregia accedebant, ita ut non unum nec duo, sed quinque talenta, quibus lucraretur, a Deo accepisse dicenda sit. Nihil de gratiis spiritualibus dicam, quibus ab ineunte aetate usque ad ultimam senectutem diligenter sibi respondentem mulieris animum Deus perfudit. Quocirca nihil tenue, nihil obscurum, vel iners ab ea •erat expectandum ; sed quum virtutis semitam a teneris annis esset ingressa, et lucro apposuisset constanter munerum copiam divinitus acceptam, quiescere non poterat quin ad sublime heroicitatis fastigium perveniret, atque ea bona debebat Ecclesiae praestare quae raro a mulieribus, at potius a magnis et illustribus viris speranda sunt. Hinc in ipsa adolescentia, Theresiae zelum et facta eximia accipiens ad eam aemulandam summo studio ferebatur ; et quum Congregationem suam instituerat, ea perficere moliebatur ad haereticos, ethnicos et peccatores convertendos, quae vix praestantioribus inter Apostolicos viros exequi datum est. Nobiliora, inquit biographus laudatus, erant incoepta, quae vires eius sexus excedebant, non eas tamen quae eruebat ex gratia, unico eius fulcro, quae spem eidem dabat omnia ad implementum deferendi, etsi permagna, et impossibilia viderentur sensibus humanis. Profuit illi vastus animus, ut ingentia molimina ad gloriam Dei et animarum salutem conciperet ; solers ingenium, ut apta reperiret et adhibe-

ret subsidia; constantia in propositis, ut obstacula* vinceret et everteret; actuosa alacritas, ut celeriter ad finem tenderet; vis corporis, ut indefesse operaretur, et nunquam in certamine deficeret; nobilitas generis, ut mansuetudo, et humilitas luculentius emicarent ; divitiarum copia, ut mundi contemptus nobilior fieret; ipsa corporis venustas, ut castimonia illustrius praefulgeret. Cum omnia talenta a Deo sibi credita in optimos usus convenisset, necesse est ipsam praemium amplissimum ab Eo fuisse assequutam. Frustra quis dixerit, perperam a nobis Ven. Ioannae meritis adscribi quae commoda et bona naturae fuerunt. Haec enim ipsa apud plurimos esse solent magnorum incitamenta vitiorum ; ea vero ad sanctimoniae instrumenta convertere, uti par est, et fructus virtutis afferre quae tanto ornamentorum apparatui resplendeant, hoc opus, hic labor est. Quum Ven. Dei Famula id mirifice praestiterit, splendidum inter ipsas heroides locum sibi iure vindicavit.

Quid quod ipsa varietas statuum et adiunctorum in quibus Versata est, et accurata diversorum officiorum perfunctio praeclaram quamdam virtutum omnium complexionem in ea extitisse significat? Puella sine levitate; adolescentula studio veritatis inquirendae, et sublimiori orationi operam navans; mulier, quae ad instar Sarae novit *diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere;* vidua locuples, quae Tabithae, et Iudith imitatrix, plena operibus bonis et eleemosynis, in solitudine precibus, ieiuniis et carnis afflictationibus vacat; monialis ferventissima, parata ad omnia perpetienda, quae obedientia et severissima disciplina praescribit ; Institutrix ac propagatrix Ordinis meritissimi, quae inceptis arduis, laboribus multis, itineribus molestis, sapientibus consiliis ingentem congregat prudentum virginum multitudinem, et ad praelianda praelia Domini in aciem educit; magistra veritatis, quae cathechesim puellas, sublimiorem ascesin sanctimoniales, catholicae doctrinae firmitatem haereticos edocet; anus veneranda, quae imbecillitatem corporis vigore spiritus vincit, semper alacris ad agendum, semper sibi constans, cui perinde facilis est subiectio, atque imperium; in prosperis temperata, in adversis invicta ; foemina, inquam, quae perfectissime tam discrepantes personas agit, multiplicis ac multiformis gratiae Dei exemplum insolitum, et fere prodigium existimanda est. Merito igitur Testis II. Proc. Ap. Burdig. respicit virtutes huius ve-

nerabilis ceu heroicas: ac testis II Proc. Apost. Pictaviensis semper a se auditum refert: venerabilem institutricem virtutes heroicas habuisse, scilicet in gradu eminenti, extraordinario, perfecto. Sive ut explicat Testis IV *JRethenensis,* in gradu sublimior^ et cum maiori perfectione quam reperiri communiter possit inter fideles regulares - et quidem, - in difficilioribus adiunctis ; vel iuxta Testem II Lemovicensem : virtutes adhibitas ratione perfectissima, et in gradu superiori virtutibus ordinariis. Astipulantur apostolici ordinarii testes, quorum primum sat erit laudare tradentem « propriis virtutibus publico praeluxisse in diversis suis statibus; in puerili aetate fuisse exemplar obedientiae et pietatis ; in adolescentia, omnium virtutum exemplar; in iuventute, exemplar sponsis et viduis, et quando fuit religiosa, exemplar omnium perfectionum sui status; omnia onera implevisse diversorum statuum, nedum laudabili modo, sed etiam perfecto. > Has omnes laudes brevibus, sed gravissimis verbis complexus est alter ex historicis affirmans Ven. mulierem, licet genere atque affinitatibus praenobilem, virtutibus tamen nobiliorem extitisse.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VITERBIEN.

MATRIMONII

Die 28 Februarii 1891.

Sess. 24 De reform, matrim.

COMPENDIUM FACTI. Die 6 Septembris anni 1879, Viterhii, in parochiali Ecclesia S. Faustini, vespere, secreto et dispensatis publicationibus, matrimonium contraxerunt Ernestus Metallo miles et Anna Giannini puella viterbiensis. Matrimonium autem hac fuit conditione contractum, ut sponsi simul non cohabitarent, nisi post completum actum, quem vocant, civilem. Hinc statim post matrimonii celebrationem, Anna parentum domum repetiit iisdem sociantibus, et Er-

nestus una cum Annae avúnculo, militiae ducem adiverunt facultatem impetratum, qua liceret Ernesto militarem stationem repetere post horam a lege statutam. At cum esset denegata facultas, Ernestus in ipsa mansit statione, nec amplius sponsam vel allocutus est vel vidit : crastina enim die, summo mane, Viterbio discessit, quin unquam in eo loca consisteret, in quo mulier reperiebatur.

Hisce ita stantibus, et asserente viro se revera coram parocho assensum non de praesenti, sed tantum de futura praebuisse, orat mulier ut dispensatio eidem concedatur super rato et non consummato ad effectum ut possit cum alio viro contrahere. Quaestio igitur tota in eo est, ut inquiratur an matrimonium, de quo in casu, haud revera consummatum extiterit, et an adeo graves adsint rationes, quibus tuto petita possit concedi dispensatio.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM CANONISTAE. In affirmativam sententiam, ait iste, esse omnino deveniendum, nisi me fallit opinio, documenta omnia suadent. Scio equidem, nonnulla in casu desiderari, quae omnino necessaria forent ad iuridice stabiliendum factum non secutae consummationis. At, ni fallor, aliud est non consummationem repetere ex capite impotentiae, et aliud illam deducere ex facto non interventae cohabitationis. Certe si causa peragenda esset ex capite impotentiae, necessaria forent triennale experimentum, inspectio corporis tum viri, tum mulieris, partium iuramentum, testimonium septimae manus, uno verbo, ea omnia quae a lege et ss. Canonibus requiruntur. At ad quid haec omnia, quando sponsos ne per quadrantem quidem simul cohabitasse demonstratur ? Esto quod sit potens vir : demus quod sit mulier corrupta : supponamus fama probari et virum et mulierem esse ad mendacium proclives, et faciles ad'periurium :'at quid ad nos, si iuridicae probationes evincunt illos revera, post celebratum matrimonium, neque convenisse, neque convenire potuisse ?

Non me latet, Emi Patres, quod attinet ad rem nostram, factum non interventae cohabitationis iuridice quidem, sed non plene demonstrari. Verum hic pariter animadvertam aliud esse sententiam quaerere super nullitate matrimonii, et aliud esse gratiosam implorare dispensationem super rato et non consummato. Equidem quando nullitatis sententia, alterutro vel utroque coniuge instante, ab iudicum iustitia imploratur, omnia certe quae a iure sancita sunt, debent iuridice et plene demonstrari : at quando sermo est de gratiosa dispensatione, tunc moralem tantum certitudinem sufficere, Sacra haec declaravit Congregatio in *Romana matrimonii die 17 Septembris 1807 § Primum dubium.* Et notandum quod in hac causa agebatur de impotentia, quam absolutam et perpetuam fuisse morali tantum certitudine fuerat demonstratum : et tamen talis impotentia, ut sufficiens habita fuit ad concedendam dispensationem. Quanto igitur magis sufficere debet aliqualis iuridica demonstratio una cum plena morali certitudine, quando, in ipso diiudicando cohabitationis facto, tota quaestio versatur ? Si, positis ad consummationem conatibus, sufficit ad dispensandum quod morali certitudine constet, illos conatus inanes fuisse; quanto magis erit concedenda dispensatio quando et iuridica probatio, et moralis certitudo illos conatus neque locum habuisse conclament ?

Et haec quidem praemissa volui, ne cl. vinculi Defensor plus aequo, ad factum quod spectat, exaggerandam putaret tenuitatem iuridicae probationis. Ceterum hanc iuridicam probationem per se et in facto sufficientem esse et sufficientissimam evadere adiunctis adminiculis, et communi omnium persuasione, haec, quae nunc proferam, evidentissime demonstrabunt.

Et primo, Ernestum et Annam, post celebratum matrimonium, nunquam simul cohabitasse, et copulam nullam habuisse est omnino praesumptione tenendum, nisi contrarium positive probetur. Contraxerant enim hac explicita conditione quod simul non cohabi tarent, neque matrimonium con-

summarent, nisi post completum actum civilem. Hoc, iuramento, fassa est mulier, hoc, iuramento, confirmavit eius mater. Imo idipsum testati Maria Monti, Annae amita; pariter Vincentius Ciampicaci gli, Annae avunculus, qui fuit matrimonii testis, quique aperte fassus est se intentionem non cohabitandi et non consummandi ante actum civilem rescivisse.

Idipsum confirmatur ex facto quod Ernesti et Annae matrimonium mansit omnino occultum, ita ut nemo illud agnosceret, exceptis tribus quibus patefactum fuerat magno cum secreto. At, quaeso, ad quid haec matrimonii occultatio, et quidem ex parte mulieris, si matrimonium ab ipsa iam consummatum fuisset ? Nonne periculo se exponebat mulier, ut matrem proderet forsan iam conceptus infantulus, frustra ipsa occultare adnitente ? Est ne supponendum infamiam quaesivisse mulierem, dum facillime poterat suae aestimationi consulere ?

Cum igitur iuridice constet, matrimonium, ut in themate, ea conditione contractum fuisse, ut sponsi neque cohabitarent, neque consummarent, nisi post completum actum civilem ; cumque mulier, matrimonio contracto, ita se gesserit, ut adiectam conditionem evidentissime comprobaret ; sponte sua sequitur, factum non secutae consummationis esse in suo legitimo possessu, ita ut denegari non possit, nisi contrarium positive et iuridice probetur.

Atqui tantum abest quod in casu, factum consummationis positive valeat demonstrari, ut potius iuridice constet, post celebratum matrimonium, sponsos, neque per unum quadrantem, simul et solos commorasse. Et sane quod statim post celebratum matrimonium, mulier parentum domum petierit, et vir militarem stationem, una cum muliere, testes fere omnes asserere non dubitarunt. Hinc interrogata mulier, an sola cum solo remansisset respondit : numquam permansisse, eo quod etiam defuit tempus ad id faciendum. Huic consonant verba genitricis et amitae sponsae. Idipsum testatus est Vincentius, Annae avunculus, dum consumma-

tioiiem exclusit, eo vel quia post matrimonium soli simul non fuerunt. Quinimo et ipse parochus, qui sponsos matrimonio iunxit, etsi propria scientia nihil testificari potuerit : tamen ut testis de auditu ita rem enarravit : se audivisse quod sponsi post matrimonium illico separaverunt se : et sponsus per pauca momenta adivit domum sponsae, comite istius avúnculo, quam illico reliquit, ut ad militum stationem rediret. Et notandum quod haec Ernesti apparitio in domo sponsae, ita narratur ab aliis testibus, ut, manente dubio de loco, scilicet an domi, vel in via, evidentissimum tamen appareat Ernestum, quocumque tamen in loco mulierem alloquutus fuerit, tamen mansisse parum temporis una simul cum reliquis de familia. Et haec quidem ita eveniebant, iam flexo ad vesperam die ; cras autem, summo mane, Vir Viterbio discessit, duabus horis antequam mulier domo egrederetur. Viro itaque per totam noctem in statione manente, et Viterbio mane exeunte, antequam mulier e sua domo egrederetur, nisi spiritu matrimonium consummatum supponamus, carne certe consummare nullimode potuit.

Et re quidem vera quod Ernestus, statim post celebratum matrimonium, coactus fuerit in statione manere, denegata ei exeundi facultate, id uno ore testes deposuerunt, et non tantum testes de auditu, sed etiam testes de visu. Sufficiat pro omnibus testimonium Vincentii Ciampicacigli, qui cum Ernestum comitatus fuerit apud militiae ducem, ut facultatem obtineret Metallo permanendi per aliquam horam extra militum stationem, negativam habuit responsionem. Et interrogatus an perdurante nocte potuerit Ernestus furtive e statione exire, pro certo habeo id non accidisse, attento legum militarium rigore.

Quod autem crastina die, summo mane, Ernestus Viterbio discesserit, id pariter testes confirmant de auditu et de visu.

Ernestum autem, post discessum, Viterbium amplius non petiisse, et numquam amplius mulierem vidisse, testati sunt 1. actrix sub sanctitate iuramenti, 2. mater actricis 3. Ma-

ria Monti actricis amita, 4. Vincentius Ciampicatigli, 5. demum Aloisia Ribeca, quae aperte fassa est Ernestum post celebratum matrimonium numquam amplius sponsae domum petiisse.

Quid igitur amplius quaerendum, quando uno ore testes, omni exceptione maiores, de facto testificantur, quod vel ipsi viderunt, vel narratum audierunt, tempore non suspecto ? Tenuis ne dicetur probatio, quae talibus testimoniis fulcitur ? quaeque consonat adamussim cum omnibus illis circumstantiis et adiunctis, quae matrimonium praecessere, vel sunt comitata ?

Et siquidem haec satis non fuerint, praesto erunt et aliae probationes, quae licet iustis de causis, ad tramitem iuris redactae non fuerint ; moralem tamen certitudinem vel evidentissimam pariunt, scilicet factum certum et inconcussum corporalis mulieris integritatis.

Scio equidem, Emi Patres, cum agitur de puella, fieri posse ut signa violatae virginitatis, longum post tempus, evanescant, ita ut haberi possit tamquam virgo, quae reapse fuerit corrupta. Ast animadvertam statim Annam inspectam fuisse paucis tantum a matrimonii celebratione transactis diebus : ex quo fit ut claustri violatio nulla potuerit arte occultari. Et pariter animadvertam inspectionem peractam fuisse, ad effectum acquirendi certitudinem de supposito non commisso crimine. Ernestus enim, ut Annae parentum oppositionem vinceret, mendacio asseruit se puellam violasse; unde matrimonium statim celebratum fuit non solum secreto, sed etiam, ob temporis angustiam, dispensatis publicationibus. Cum autem post celebratum matrimonium mulier veritatem aperuisset, voluit mater certum habere argumentum, adhibita corporali inspectione. Hinc, vocata obstetrice, et aliis peractis inquisitionibus, de filiae suae integritate certitudinem mater assecuta est.

Hinc praeter iuramentum mulieris de constanter servata corporali integritate,.... praeter acceptatam conditionem subeundi, si opus esset, corporalem et iuridicam inspectionem,

de mulieris virginitate testimonium dixerunt ipsa Monti, ob diligentias a se peractas, et Benedicta Morini, quae certitudinem habere de integritate mulieris autumavit.

Hisce adiungi possent ii testes, qui matrimonium Ernesti cum Anna nunquam consummatum fuisse dixerunt, uti Vincentius Ciampicacigli, et Aloisia Ribeca. Ex quibus omnibus concludere cogimur, mulierem Annam usque in hodiernam diem suam integritatem servasse. Et dato etiam quod non servaverit, concludendum tamen esset ipsam non certe a viro suo corruptam fuisse.

Ut itaque ad conclusionem tandem deveniam, ait consultor, cum validissima praesumptio stet pro non consummatione matrimonii, cum iuridica probatio omnem et quamcumque excludat commorationem Ernesti solius cum Anna sola, cum moralis certitudo Annam mulierem adhuc integram et in violatam manifestet, cum testimonium septimae manus mulieris veracitatem plenissime confirmet, cum tandem ex ipsius Rmi. Ordinarii testimonio pateat gravissimas et urgentissimas adesse causas ad dispensationem concedendam ; tum ex obstinata viri eiusque parentum oppositione, tum ex paupertate vera et maxima actricis, quae alicuius viri auxilio evidentissime indiget, tum ex physico mulieris statu, quae ad infirmitates expellendas matrimonio indigere videtur, tum demum ex gravissimis aliis moralis circumstantiis, quas in ipso Rmi Ordinarii voto perlegi queunt.

VOTUM THEOLOGI. DUO, ait hic, mihi inquirenda sunt r nempe 1. utrum certo constet, saltem certitudine morali, matrimonium de quo agitur non fuisse consummatum ; *2.* utrum adsint gravia motiva quo animum Sum. Pont, efficaciter movere queant ad dispensationem concedendam.

Dissimulandum non est duas deficere probationes, quas exposcunt Constitutio Ben. XVI, *Dei miseratione** et Instructio Congr. S. Concilii ; nempe testimonium septimae manus ex parte viri, et inspectio corporalis ex parte mulieris.

At primus defectus unice viro tribuendus est, qui plu-

ries rogatus a Curia episcopali fodiana, ut testes nominare!, pervicaciter renuit obtemperare. At ex viri pervicacia ius non patitur quod mulieri gratia implorata denegetur, et pars innocens iure suo spolietur ob alterius partis obstinationem. Puella vero ad sui corporis inspectionem subeundam se paratam exhibuit ad propriam integritatem comprobandam. At iudex eam ab hac inspectione dispensavit pluribus gravissimis motivis quae Episcopus viterb. in sua ad S. Congr. epistola fuse recenset. Verum haec spontanea puellae exhibitio nonne gravem inducit praesumptionem de eius integritate ?

Ceterum plurima afferri possent exempla, quibus S. Concilii Congregatio dispensationem indulsit non obstante inspectionis defectu ob mulieris pertinaciam, vel quia mulier ab alio amasio violata fuit ; quin imo in causa Toletana 14 Decembris 1878 mulier licet sese paratam exhibuisset ad inspectionem corporalem subeundam in Curia Romana Emi. Card. Vicarii, in qua ex delegatione examinata fuit, tamen ab hac inspectione dispensata fuit.

Licet igitur et sacri Canones et Const. Ben. XIV et Instructio S. huius Cong. hanc inspectionem exigant, dicendum tamen est, probationem huiusmodi requiri tantum adminiculative non copulative. Probatio haec exigitur a sacris canonibus quando agitur de probanda impotentia ad coeundum, et coniuges una simul condormierint et in contradictione iuramentorum mulieris negantis et viri aiflrmantis consummationem. At quando, ut in casu nostro, condormitio locum non habuit argumenta ad probandam inconsummationem potius quam ab inspectione, nimis fallaci, desumenda sunt a iurata coniugum affirmatione, et praesertim si constet, sponsos post initum matrimonium nunquam solum cum sola, ne ad instans quidem, remansisse. Cosci *De separ. tori, lib. 3 c. 15 ;* « nisi aliunde quoque eorum assertio coadiuvetur ex probationibus, nempe quod post matrimonium ratum nunquam una simul convenerint » atque *lib. 1 cap. 16 :* « Hanc probationem, nempe quod matrimonium fuerit dumtaxat ratum, facere possunt testes, qui deponant quod con-

iuges, contracto matrimonio, nunquam una simul in eodem loco convenerint, aut saltem quod coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint, neque unquam sub eodem tecto cohabitaverint. »

Heic autem habemus utriusque coniugis iuratam assertionem quod matrimonium non fuit consummatum ; testes autem septimae manus ex parte mulieris uno ore sub iuramenti religione deposuerunt de honestate atque eiusdem veracitate. Sed et insuper ex actis aperte eruitur, sponsos post contractum matrimonium, ne ad instans quidem solos stetisse, etenim post celebrationem matrimonii coram parocho et duobus testibus, sponsa et eius mater propriam remearunt habitationem ; sponsus vero per aliam viam eamdem repetiit domum, ubi per aliquod temporis instans remansit praesente familia, et statim exiit promittens brevi rediturum. At spes eum fefellit, quoniam superior militaris haud redire permisit.

Igitur utriusque coniugis affirmatio, spontanea sponsae[1] exhibitio ad corporalem inspectionem subeundam, testium depositio, quod post nuptias solus cum sola ne ad instans quidem remanserint, huius matrimonii inconsummationem reddunt moraliter certam.

Neque desunt motiva quae animum Summ. Pont. movere valeant ad dispensationem largiendam.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Si Annam audias, neoconiuges, expletis nuptiis, ne momenta quidem temporis fuerunt *solus cum sola.* Idque persuasum sibi habent lectissimi consultores, theologus et canonista. Sed, ni fallor, immerito.

Doleo quod iudex viterbiensis actricem obstetricum explorationi haud supposuerit, nec ad examen adduxerit Venturinam, Elviram et Caeciliam Medori, actrici familiarissimas atque intimas. Doleo quod sacramenti vindex, cuius erat *voce et scriptis matrimonii validitatem tueri eaque omnia deducere* quae ad matrimonium sustinendum neces-*

saria sunt, cum iudice conspirarent. Neque magni facio argumentum, ut aiunt, *coarctatae,* ex adverso conflatum.

Enimvero, Aloisia Ribeca refert: probe memini quod circa mediam horam noctis, eiusdem diei, initi matrimonii, Metallus tabernam meam ingressus est, ut me salutaret. Aloisiae Ribeca concinit eius filia. Age modo : si angustia temporis haud prohibuit quominus Ernestus Aloisiam Ribeca viseret, non facile fidem testibus adiiciam, qui affirmant Ernesto copiam temporis cum Anna sero illius diei conveniendi defuisse.

Nec obiicias mihi, Ernestum ad Aloisiam Ribecam perrexisse eomet actu quo una cum Vincentii Ciampicacigli a domo uxoris praesentibus arbitris ad arcem profectus est. Aloisia enim Ribeca prosequitur : menimi quoque quod ipse Ernestus habebat comitem fratrem sponsae, minime vero Vincentium Ciampicacigli.

Praeterea perspicuum est Ernestum, si postridie eius diei Viterbio discessit, eo discessisse quia stipendia facere desierat. Existimandum itaque est postremis illis horis, eum tam arcte custoditum minime fuisse ut e castro egredi ac ad multam noctem cum uxore convenire nequiverit.

Postremo actio adversa tota in eo est, ut suadeat discessum veredarii, qui Ernestum insequenti die advexisse dicitur, eo fere momento contigisse quo milites e lecto surgebant. Miror quod nec actorum moderator, nec matrimonii assertor certiorari studuerit de huiusmodi circumstantiis scitu facillimis ; quia notoria profecto erat tum hora qua veredarios, *la diligenza,* proficiscebatur, tum hora qua surgebant milites. At inter unum et alterum sat temporis intercessisse in aprico est, quia parochus ss. Faustini et Iovitae testatur: scivi, Ernestum ante suum discessum pulsasse ad portam domus sponsae ; nescio vero an ipsam viderit, vel cum ea loquutus sit.

Imo Ernestus sine ambagibus fatetur se antequam discederet non solum collocutum cum uxore fuisse, sed ne postridie quidem celebrationis matrimonii Viterbio profectum :

et interea temporis plus semel ad uxoris accessisse domum ac una simul sumpsisse prandium. Haec autem viri confessio summo in pretio habenda est, quippe quae est contra confitentem.

Risum tenere haud possum dum effutiunt, matrimonium ea conditione initum, ut coniuges non coirent antequam Ernestus lege etiam civili obligaretur. Etenim assertam conditionem non modo inficiatur Ernestus etsi adversus matrimonium pro aris et focis ipse quoque dimicet, sed veri haud similis ea est, quoniam actricis parentes auctores sunt se eatenus filiam Ernesto in matrimonium dedisse quatenus eam utero gravem putabant.

Commentitium denique existimo factum obstetricis, quae corpus Annae, post Ernesti discessum perlustrasse fertur. Actricis enim mater, huiusce tabulae auctrix, sciscitata a iudice: scires dicere nomen, et habitationem obstetricis? ita circumspecte reponit : nescio, forte illa mortua est.

Ceterum nemini dubium esse potest, quin nedum actricis mater verum etiam ipsamet actrix ad examen accesserint per leguleium apprime instructae.

Quibus omnibus positis, otiosum duco investigare an Ernestus, postquam Fodiam profectus erat, Viterbium iterum salutaverit et cum uxore conversatus sit : piaculum pariter censeo de causis ad 'dispensandum necessariis agere, cum in probatis minime sit matrimonium mansisse opere imperfectum.

Quibus adductis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An consulendum sit SS",\o pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cono;. Concilii re discussa sub die 28 Februarii 1891 censuit respondere : *Affirmative.*

FOROIULIBN.

CURAE ANIMARUM

Die 31 Ianuarii 1891.

Sess. 22 cap. i De reform.

COMPENDIUM PACTI. Episcopus Foroiuliensis suis litteris « humiliter implorat ob penuriam sacerdotum facultatem, quae iam concessa fuit Archiepiscopo Tolosano die 9 Maii 1884, cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit censuris, sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos ad suscipiendam curam ecclesiarum, pastore egentium vel ad implenda alia munera sub titulo vicarii, eleemosynarii, capellani etc. »

Rescriptum favore Archiepiscopi Tolosani concessum, et de quo mentionem facit Foroiuliensis Episcopus, huius tenoris est. Emus Cardinalis Desprez die 21 Maii haec petierat :

« Cum non raro accidat, ut sacerdotes, quibus cura amovibilis ecclesiarum succursalium, ut aiunt, commissa fuit, otii vel facilioris vitae studio, muneri suo renuntiare exoptent, cessione apud Ordinarium facta, etiam ante eius acceptationem, eo quod beneficia proprie dicta non teneant, relictis suis ecclesiis ad propria redeant; unde contingit non paucos sacerdotes vitam otiosam, licet adhuc viribus integros, degere tam in urbe episcopali, quam in potioribus Dioeceseos civitatibus, non sine scandalo fidelium: interea plures parochiales ecclesiae suis carent rectoribus, non sine magno religionis detrimento, eo quod Episcopus, ob sacerdotum penuriam, ipsis de parocho idoneo providere nequit ; quapropter orator a S. Congregatione quaerit :

« 1. Utrum liceat praedictis sacerdotibus, eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius Ordinarii licentia?

« 2. An ex praecepto obedientiae, adhibitis etiam si opus fuerit censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi, ut

in suo munere persistent, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat? »

« 3. Utrum sub eodem praecepto, iisdemque intentatis censuris, facultatem habeat Episcopus sacerdotes viribus pollentes et ab aliis officiis liberos compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam, usquedum illis alio modo providere queat ? »

Quibus die 9 Iunii 1884 ita rescriptum est : *Attentis peculiaribus circumstantiis, ad primum negative ; ad secundum affirmative ; ad tertium affirmative* vigore facultatum quae* approbante Snio D. N.* E ilio Archiepiscopo idcirco tribuuntur ad septennium* si tamdiu* etc.

Disceptatio Synoptica.

Petitio Foroiuliensis Episcopi, quae in causam nunc venit, non alia est ab ea quae paucos ante annos Emus C. Desprez in tertio sui libelli articulo afferebat, quaeque benigne excepta est, prout ex relato rescripto, patet. Et iustissime quidem id tunc factum fuit ; nam licet canonicae leges aequam quamdam libertatem clericis vindicent, nec eos in suorum Episcoporum arbitrium, tamquam regulares in superiorum manus omnino committant ; quin imo statuant, clericos cogi ab Ordinariis non posse ad praestandum aliquod servitium non expressum in iure, ex *cap. Quia cognovimus 6 caus. 10 q. 3* cum Fagnano ia *Cap, Conquerente 16 De off. Ord. n. 8* et Barbosa *v. Processio n. 5 in collecto Ap. decr.* ubi et decreta S. C. O. ad rem facientia afferuntur ; nihilominus id absolute statutum non est. Imo quoties necessitas bonumque publicum id exigat, sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos cogi posse ad sedulam navandam operam pro salute animarum, certissima sententia est, quam S. C. C. passim probavit ac sanxit. Satis sit consulere quae in *Urbevetana* 10 Maii 1766, in *Tridentina Curae animarum* 18 Augusti 1860, in *Civitatis Castellanae* .11 Iulii 1862, nec non in antiquissimis, ut in *Cosentina* 5

Aprilis 1593, i Q *Naœien. 22* Augusti 1631 aliisque constanter decisa sunt. Sic, puta, in *Naxien. ad 2*, S. C. C. respondit, sacerdotes, de quibus ibi agebatur, posse utique a suo « Archiepiscopo compelli ad praestandum servitium, quod eiusdem ecclesiae necessitas aut utilitas requirit. »

Et revera hoc fluit ex ipsa ordinationis natura; nam non sine causa obedientiam et reverentiam Ordinario suo in actu ordinationis spoponderunt sacerdotes; nec clerici in sortem Domini otiose vocati sunt, aut sacramenti gratiam receperunt, ut solum sibi prodessent, sed potius ut et aliis tribuerent. Unde S. Hieronymus in *epist, ad Nepot.* clericos ita alloquitur : « Recordemur semper quid Apostolus Petrus praecipiat sacerdotibus: *Pascite eum qui in vobis est gregem Domini, providentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum.* » Quapropter dici solet, ceu in *cit. Urbevetana § Ceteroquin* legitur, obligationem vacandi spiritualibus ministeriis clericis penitius quam dici possit inesse, « nimirum aliquando ex caritate, si alias provisum populi saluti sit, ex religione autem et ex necessitate, si necessitas postulet. » Salus enim populi, et praesertim aeterna, suprema lex est.

Utique in determinandis huius necessitatis limitibus regula taxativa minime tradi, posse videtur ; quoniam isthaec determinatio a variis pendet temporum, circumstantiarum et locorum adiunctis. Quapropter in rescripto ad Emum Tolosanum Praesulem facultates ad septennium et perdurantibus iisdem circumstantiis iustissime datae sunt.

Cum autem in casu Episcopi Foroiuliensis eadem sit facti species, nil ulterius ad quaestionis illustrationem addendum esse visum est, et enodandum. sequens propositum fuit

Dubium

An et (quomodo concedenda sit facultas cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos ad curam animarum, aliaeque munera pyra regimine animarum necessaria suscipienda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 31 Ianuarii 1891 censuit respondere: *Affirmative in terminis rescripti in Tolosana ad tertium* dummodo eaedem circumstantiae concurrant.*

VENETIARUM

BINATIONIS

Die 28 Februarii 1891.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Emus Venetiarum Patriarcha Sacrae C. Congregationi retulit ; quod paroecia magni momenti in Insula Burano, praeter parochum, ditari deberet aliis duobus cooperatoribus ; sed in praesentiarum unum tantum adesse. Patres franciscani ex proxima Insula tertiae consulunt missae, festis diebus, pro paroecia Burano.

Ast haec benignitas haud providet plene necessitatibus populi illius. Nam tres missae utantur statutis horis pro maiori diversarum personarum commoditate. Sed alia missa recitari oporteret hora octava ad consulendum matribus familiae, aliisque compluribus, qui ratione negociorum suorum hac hora tantum liberi sunt pro audiendo sacro. Ex septem millibus fidelibus, quibus paroecia constat, quamplurimi assistunt missae litatae hora octava, si quando, ex benignitate dictorum Patrum, quarta adsit missa ; ita ut hac hora, Ecclesia sit plena populo.

Parochus dictae paroeciae, dolens quod quartam missam obtinere nequeat pro cunctis diebus festis, ad satagendum necessitatibus et querimoniis populi, expetit ab Apostolica Sede indultum binandi ne desit Missa hora octava. Ad indultum obtinendum si adduci nequeunt motiva aequipollentia expetita a Constitutione *Declarasti :* adest tamen opportunitas et congruentia maxima consulendi bono animarum per quartam missam ex indulto recitandam. Cui opportunitati et congruentiae difficulter consuleretur ob presbyterorum de-

fìcientiam, et difficultatem petendi paroeciam insulanam; tempore praecipue hyemali.

Emus Patriarcha preces commendat, aiens, dum quarta missa perutilis populo illi esset, huic necessitati consuli aliter nequiret ex deficientia presbyterorum, quae in dies augetur ; ita ut nesciat an et quando secundum cooperatorem mittere possit. Magna distantia, et expensae necessariae pro petenda insula cunctis diebus festis, maximam constituunt, difficultatem ad habendum presbyterum ad hoc opus.

Disceptatio Synoptica.

Benedictus XIV in Const. *Declarasti nobis,* postquam canonem citassét concilii Nemausensis, ubi haec leguntur: «Si omnes parochiani ad unam missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia èt remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, et, dicta prima missa, postmodum parochiani venientes, postulent missam aliam sibi dici, poterit tunc sacerdos missam aliam celebrare ; » deinde haec animadvertit : < Ea potissimum verba diligenter observari debent, *ubi non est nisi unus sacerdos ;* nec non alia, *nec sunt in ecclesia duo sacerdotes.* Ex quibus clare perspicimus non licere parocho, si alius sacerdos praesto sit, duo sacra perficere diebus festis, ut populus missae sacrificio intersit. » Atqui in themate tres adsunt sacerdotes, ecclesia ampla est, nec numerus populi excessivus.

Accedit quod magis commoditatis quam necessitatis ergo, quarta missa exposcitur: ut nempe mulieres viris suis ac familiae cibum iusto tempore parent. Utrum vero ex hac causa expediat legem dispensari, quae in tutelam decoris divino sacrificio debiti instituta est, EE. PP. statuere remissum fuit.

Praeterquamquod expendendum foret, utrum, mutatis paululum horis hucusque assignatis pro tribus missis, non possit mulierum ac familiarum necessitatibus occurri, quin ad extraordinarium indulti remedium deveniri oporteat. Prae-

sèrtim cum iteratio sacri, licet in se sanctissima, et ob divinum sacrificium Deo absolute loquendo acceptissima ; nihilominus semper illud secumfert incommodum, quod nempe sacerdos duplicis celebrationis onere distentus, obviam excusationem habet, ut minori zelo ac sollicitudine cetera obeat munera, nimirum praedicandi, cathechesim tradendi, sacras confessiones audiendi, uno verbo explendi illud verbi ministerium, ex quo fides potissimum adstruitur et mores in populo corriguntur.

Ceterum haec ad obiectionem dicta de more sunt ; nam graves etiam ex adverso rationes habentur ad gratiae concessionem; quae ex Emi Patriarchae litteris luculenter scatent.

Quibus animadversis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 28 Februarii 1891, censuit respondere : *Attentis omnibus, non expedire.*

CAIACEN.

FINIUM PAROECIARUM

Die* 28 Februarii 189*i.

COMPENDIUM FACTI. Caiacensis civitas in tres paroecias dividitur: prior in cathedrali erecta est, altera ad S. Nicolai, tertia ad S. Petri. Suburbanus tamen ager, qui urbem late circuit, ferme ex integro uni cathedrali ecclesiae subiacet. Porro hodiernus illius Dioecesis Pastor, praedecessoris quoque vestigiis inhaerens, meliorem agri divisionem studet, ac deveniendum esse dicit ad novam et rationabilem delimitationem, a praedecessore quoque incoeptam, per quam quilibet parochus illam consequatur agri partem quae proximior sit suae paroeciae; ne agricolae careant instructione catechistica, ultimisque salutaribus auxiliis, mortis occasione, quod adhuc deplorari saepe debuit.

Die 9 Maii 1890 rescriptum fuit Episcopo, ut *transmitteret votum capituli in scriptis ac parochorum aliorumque, si qui sint interesse habentes.* Porro tum capitulum,, tum parochus cathedralis, tum parochus S. Nicolai Episcopi votis libentissime pro animarum bono annuere professi sunt scriptaque documenta ad S. C. C. transmiserunt. At non ita parochus S. Petri.

Rebus ita stantibus, die 18 Iulii 1890 scriptum est ad Episcopum ut *nomine S. C. suadeat parocho S. Petri, ut se abstineat ab oppositione.* Sed frustra: quapropter Episcopus adprecabatur ut nova paroeciarum circumscriptio approbaretur hac sub conditione ; nempe ut tertia pars novae delimitationis concederetur parocho Cathedralis donec ab actuali parocho regatur S. Petri paroecia.

Disceptatio Synoptica.

Parochus haud annuit augmento suae paroeciae, quia insalubritate aeris, domorum et viarum angustia saepe accidit, ut ipse, gravibus distentus curis, in diversas paroeciae partes eodem tempore vocetur infirmorum causa. Neque, prosequutus est, redditus paroeciae, sinunt habere coadiutorem, ut huius paroeciae rector levamen accipiat in arduo animarum regimine.

Parvitas reddituum paroeciae S. Petri eruitur, ait adversarius, ex comparatione reddituum quibus fruuntur, et ex numero animarum quas regunt aliae duae paroeciae.

Hisce de causis, etsi aegre, artari ad oppositionem parandam Episcopi votis ; ut faciliori ratione onera parochialia adimplere valeat, attenta suae valetudinis conditione ; quae onera si augerentur, eorum implementum fieret quasi impossibile.

Vicissim vero Episcopus observat, paroeciam S. Petri constitui a quampluribus parvis domibus pauperum, paucis exceptis, quae coacervantur poene omnes in eodem puncto: quapropter exceptionem nimii laboris non posse a parocho urgeri: insalubritatem vero aut oppidi aut agri esse aegrae

mentis somnium : haud ventate niti quod gravibus urgetur curis, quia maiorem diei partem transit cimbalum tinniendo.

Ex officio autem animadversum fuit, neminem latere finium mutationem, de qua est quaestio in casu, quamdam dismembrationis speciem esse relate ad cathedralem, et vicissim quamdam unionis speciem relate ad duas alias paroecias. Porro sicut dismembrationes ita et uniones odiosae dicuntur in iure, et ideo ut ratae sint fieri debent non solum ex magna et evidenti Ecclesiae utilitate, sed insuper et de consensu eorum, quorum iura ex suppressione, divisione aut unione forte laederentur. *Clem. 1 § Ad haec De stat. monach.* Reiffenstuel *ad tit. 12 lib. 5 n. 72* cum communi. Atqui in themate huiusmodi consensus, saltem ad effectum unionis partis territorii cathedralis ad paroeciam S. Petri deest.

Nisi quod ex altera parte animadvertere licet huiusmodi solemnitates in unionibus et dismembrationibus non ita absolutas esse, ut sine illis nequeat procedi. Sane si evidens necessitas mrgeat, Episcopum non solum capitulo, sed ipsis quoque interesse habentibus invitis, providere et dismembrare aut unire beneficia legitime posse tradunt Reiffenstuel *L c. num. 78* Schmalzgrueber *ad tit. 5 lib. 3 num. 187* aliique cum communi. Quin imo in parochiis propter locorum distantiam dividendis Ordinarios, vel invito parocho, procedere posse expresse statuit Tridentinum *sess. 21 cap. 4 De reform,* et confirmavit Benedictus XIII const. *In supremo.*

Accedit quod in themate magis quam dismembratio et unio beneficiorum, videtur rationabilior dumtaxat ordinatio spiritualis iurisdictionis haberi. Porro si uniones, divisiones aut dismembrationes beneficiorum odiosae censentur, id potissimum dicitur relate ad bona temporalia, et quia in his mutationibus sin minus fundatorum voluntas offenditur. At non ita res est quoad iurisdictionem spiritualem, quae nullum alium habet auctorem quam Christum, quae in nullius dominio est, cuius limites ab una Ecclesia assignantur, et

idcirco ab Ecclesiae praesulibus, si evidens utilitas aut animarum necessitas id suadeat, possunt pro re nata mutari, quin in generali laici patroni aut inferiores clerici suum consensum interponere possint aut ad formam aut ad iustitiam requiri praesumant.

Hisce animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo ad novam finium circumscriptionem sit deveniendum in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 28 Februarii 1891, censuit respondere: *Affirmative, iuxta vohcm Episcopi et amplius.*

FABRIANEN.

INDULTI RATIONE STUDIORUM ET REDUCTIONIS ONERUM

Die 30 Ianuarii 1890.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Petrus Bargagnati, clericus Dioecesis fabrianensis, die 23 Martii 1888 nominabatur a capitulo ad quamdam choralem capellaniam, quae iuxta fundationis tabulas conferenda est civitatis vel Dioecesis clerico et ad titulum ordinationis debet inservire.

Capellanus ex fundatoris lege tenetur ad chorale servitium omnibus iis horis quibus scholae non vacant: insuper festum Iesu Nazareni celebrare debet, et 59 missas certis diebus ad altare S. Iosephi in cathedrali cum eleemosyna 17 *1\2* obulorum applicare.

Redditus capellaniae nunc ad 318 libellas ascendere dicuntur, ac provenire ex duabus schedis publici Italici creditus, et ex quatuor privatis censibus; sed purgati ab oneribus 168 libellas non excedere.

Nuper autem hic clericus, cum inter alumnos Seminarii Pii Urbis cooptatus esset, petiit I dispensationem a residen-

tia, et assistentia chori, II reductionem missarum ex 59 ad 24 ; quae applicari valeant etiam in Cathedrali, haud assignatis diebus.

Capitulum super his precibus interrogatum, in votum subscripsit sui Prioris, qui censuit absentiam postulantis ad septennium detrimentum haud parvum afferre chori servitio ob beneficiatorum penuriam ; votum autem emisit ut missae quae ex reductione supersunt, utentur apud altare assignatum in anni solemnitatibus.

Episcopus accedit voto Capituli quoad servitium chori; sed, ait, inficiari nequit maxime prodesse clerico Bargagnati permanere in possessione capellaniae, quae loco sacri patrimonii esse deberet, iuxta fundatoris voluntatem.

Disceptatio Synoptica

GRATIA CONCEDENDA VIDETUR. In *cap. 4 Relatum De cler. non resia*, traditur beneficiatus ad personalem residentiam teneri « nisi forte de licentia suorum praelatorum, vel pro studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse. » Ecclesiae siquidem plurimum interest ad sui regimen viros habere litteris scientiisque eruditos. Et idcirco cum quatuor causae numerentur in *cap. 1 sess. 23 Conc. Trid.* ex quibus clericis abesse a residentia licet, nempe christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens ecclesiae vel reipublicae utilitas ; DD. communiter tradunt, huic ultimae causae accenseri quoque debere, quasi speciem maioris generis, rationem studiorum. Reiffenstuel *lib. 5 tit. 4 n. 104** Ferraris *v. Canonici art. 5 n. 37.*

Exinde originem duxerunt indulta ratione studiorum. Nam licet ex adductis modo rationibus clericus studiis occupatus iustam et canonizatam absentiae causam habeat, tamen ex doctrina C. Petra *ad const. X Bonifacii VIII n. 7* abesse legitime non potest nisi petita et obtenta a suo praelato licentia. Praxis imo inolevit, ut huiusmodi licentia seu indultum nonnisi a S. C. C. concedatur, neque aliter suffragetur indultariis, nisi obtento executoriali Ordinarii de-

creto, ceu idem C. Petra *cit, I.* et C. De Luca in *rei. Rom. Cur. disc. 15 n. 7*monent quorum doctrinam firmavit S. C. C. in *Romana Dub. Induit. 6 Maii 1820 ad dub. 9.*

Quapropter, si ius commune in abstracto inspiciatur, plane liquet, indultum absentiae oratori concedi posse, saltem usque dum 25 aetatis annum attigerit : hac enim expleta aetate indultum natura sua expirare debet ex *cit. Dub. Induit. 6 Maii 1820 § Indulta.*

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. At vero si peculiares facti circumstantiae pensentur non idem forte ferendum est iudicium. Siquidem tam diuturna et absoluta absentia in damnum cedit choralis servitii, et haec ratio primum se opponit quominus oratoris preces exaudiantur. Insuper cum orator gratuitum locum in Seminario Pio obtinuerit, quod quidem non modicum constituit emolumentum, aequitas ipsa suadere videtur, ut clericus de hoc emolumento provisus chorale beneficium dimittat et indigentiori clerico concedendum relinquat.

Et hoc quoad primum precum punctum. Quo vero ad missarum reductionem et indultum easdem ferialibus diebus celebrandi, notandum est, onera beneficii non esse valde gravia, adeo ut, omnibus expletis, adhuc 1 6 8 libellae dicantur beneficiato residuae. Insuper translationem celebrationis in feriales dies haud prodesse ecclesiae et commoditati fidelium et idcirco a capitulo minime probari.

Nihilominus cum ab initio fundator missarum eleemosynam ad 17 1 T 2 obula praefinierit, quae forte erat dioecesana taxa tunc temporis, haud incongruum nec a S. C. C. praxi dissonum videtur, si hodie, aucto missarum stipendio, proportionate etiam missarum numerus reducatur.

Quibus utrinque animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re visa sub die 31 Ianuarii 1 8 9 1 , censuit respondere: *Pro gratia dispensationis a residentia ad, triennium, et reductionis missarum ad triginta, celebrandas, iuxta votum Capit adi pariter ad triennium.*

"WRATISLAVIEN.

IRREGULARITATIS

Die 28 Februarii 1891.

Per snmmaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus ^Vratislaviensis has litteras nuper ad SSmum mittebat : « Exponitur humiliter S. V. pro parte ipsius oratoris iuvenis Hermanni Weigel, quod dictus orator, natus die 15 Februarii 1865 e patre catholico et matre protestantica, catholice autem baptizatus et educatus, degens deinde in gymnasio protestantico, tandem anno 1886 in haeresim protestanticam prolapsus est, cui fere biennium adhaesit. Postea autem O. D. M. gratia opitulante resipuit, et mense Augusti 1888 ad sanctam matrem Ecclesiam poenitens conversus est. Deinde ss. theologiae studio operam navavit, et nunc in seminarium clericale receptus est, mox primam tonsuram et ss. ordines minores accepturus, ad quos autem promoveri non potest, quum ex delicto propter haeresim irregularis sit. Quare orator S. V. instantissime obsecrat, ut cum ipso super dicta irregularitate clementissime dispensare dignetur. Quarum precum et ego adiutor esse audeo, pro gratia maximas acturus, cum. oratore supplici, gratias. »

Disceptatio Synoptica.

Haereticorum filios, nempe primi gradus, si mater, primi et secundi gradus, si pater haereticam sectam profitetur, irregulares esse communis sententia est. Emus D'Annibale *Sum. tom. 1 § 432 tert. edit.** S. C. S. Officii decr. in *Posen,* diei 25 Iulii 1866, confirmato die 11 Iulii 1884 in resp. ad Ep. *Harten.** Zitelli *App. iur. eccl.*

At in themate orator praeterquamquod haeretici patris filius, ipse insuper aliquandiu nuncium misit catholicae fidei, in qua natus et educatus fuerat et protestanticae factioni per biennium adhaesit : quapropter duplicato ferme ir-

regularis evasisse videtur. « Credentes enim receptatores, defensores et fautores haereticorum fiunt ipso iure infames, atque ideo irregulares, si satisfacere contempserunt intra annum. > *Cap. 13 % 5 De haeret.*

At vero haec minime obstant, quominus suprema Ecclesiae potestas a rigore legis dispenset, et quem iura, sive ex crimine sive ex infamia, irregulärem faciunt et ab officiis et beneficiis ecclesiasticis repellunt, *cap. 2 et 15 De haeret, in VI,* benigne nihilominus absolvat. Conversio enim oratoris eiusque educatio in Seminario ac commendatio Episcopi, tituli ad gratiae concessionem esse legitime possunt.

Quibus praeiactis, quaesitum fuit quid precibus esset respondendum.

RESOLUTIO Sacra C. Congr. re visa sub die 28 Februarii 1891, censuit respondere : *Pro nunc non expedire; et interim det ulteriora perseverantiae signa.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

LAURETANA ET RECINETEN.

DISTRIBUTIONUM

*Die **27** Februarii **1891.***

COMPENDIUM FACTI. Vertente anno 1883 Capitulum perinsignis Basilicae Lauretanae in iudicium arripuit regium fiscum vulgo *Fondo per il Culto* pro rivendicandis favore dignitatum et canonicorum, qui suppressionis legi obnoxii haud fuerunt, distributionibus, praebendis suppressis respondentibus, quas *il Fondo per il Culto* una cum earumdem praebendarum dote suas fecit. Lis quae diu anceps haesit, tandem favore Capituli dirempta fuit, cui propterea ingens pecuniae vis obvenit, quae inter dignitates et canonicos distributa fuit.

Verum cum usque a die 15 martii anni 1879 sac. Pacificus Ripamonti in vim Bullae Pontificiae Archidiaconi, Pauli Giachini coadiutor cum futura successione nominatus fuerit, hinc inter Ripamonti et Giacchini familias, coadiutus enim et coadiutor iam praemortui erant, lis exorta est, utri competeret summa lib. 439,92, quae distributionum partem efformabat Archidiacono assignatam, quandoquidem unaquaeque familia praedictam summam sibi spectare contendebat.

Cum res pacifice componi haud potuisset, haeredes Ripamonti sub die 29 maii 1889 supplicem libellum S. C. Ep. et Reg. porrexerunt, quo multis cumulatis circa bonum ius, quod coadiutori patrocinatur et consuetudinem allegantes penes Capitulum vigentem, haec duo effiagitarunt: 1. ut decerneretur Capitulum Lauretanum haeredibus coadiutoris Ripamonti summas persolvere teneri pro punctaturis et fallentiis canonicatuum suppressorum a gubernio Capitulo restituías tempori respondentes, quo sac. Ripamonti archidiaconi Giachini coadiutor extitit ; 2. ut idem Capitulum pro dictis summis fructus ad rationem quinque libellarum pro quolibet centenaria dictis haeredibus solvere adigeretur, pro eo tempore, quo illas indebite retinuit.

Huiusmodi preces, ceu de more, sub die 29 maii 1889 Episcopo delegatae fuerunt *pro informatione et voto, audito Capitulo.*

Episcopus, eo quo par erat obsequio, S. C. Ep. et Reg. mandata faciens, sub die 22 iulii eiusdem anni, una cum resolutione capitulari votum suum, pluribus rationibus momentis suffultum, oratorum precibus contrarium transmisit. Quibus acceptis, moderatores eiusdem S. C. rescribere censuerunt: *oratores utantur iuribus suis coram curia episcopali.* Verum Episcopus, gravibus rationibus adductis, petiit et obtinuit, ut vicarius generalis recineten, ad controversiam dirimendam delegaretur.

Ad tramitem huiusmodi potestatis sibi delegatae vicarius generalis recineten., praemissa facti specie et praemonito iuxta iuris communis dispositiones quotidianas distributiones

non ad coadiutorem, sed ad coadiutum pertinere, ceu tradit Moneta *De distributionibus quotidianis v. p. 11. q. 1, n. 34,* citans Navano, Gonzalez et S. Rotam. < Coadiutor cum futura successione obtinendi dignitatem, canonicatum aut poi'fionem in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata datus, regulariter nequit pro se lucrari distributiones quotidianas sed eas lucratur pro coadiuto. » Praemonito quod, praetermissa qualibet sive generali sive peculiari lege, standum sit conventioni inter coadiutorem et coadiutum initae, et praesertim iis, quae post initam conventionem, in coadiutoriae Bulla •statuta fuerunt ; ut scilicet coadiutor in compensationem assumptae coadiutoriae a coadiuto persolverentur annuae libellae 600 desumendae *ex fructibus, redditibus et proventibus ac etiam distributionibus quotidianis aliisque incertis dicti archidiaconatus.* Praemonito quod haeredes Ripamonti consuetudinem invocare nequeunt, ex eo quod, dato etiam quod reapse extitisset, mutuo partium consensu ei derogatum fuit. Praemonito tandem quod iidem haeredes Ripamonti inutiliter opponerent factum, quod scilicet nonnullae parvi momenti quotae distributionum, inter Capitulares divisae antequam causa contra gubernium a Capitulo instauraretur, a coadiutore perceptae fuerunt, quin coadiutus questus moveret. Quandoquidem hoc factum, cum coadiuti liberalitati attribuì valeat, tantam vim exerere nequit, ut Bullae Pontificiae dispositionem infirmare possit. Idque praesertim, quia de distributionibus omnino extraordinariis ac nullo modo praevisis agitur, quae cum augeri possint, potius quam veras distributiones, novum beneficii proventum constituere valeret. Unde deduci posse autumat consuetudinem super distributionum perceptione ab haeredibus Ripamonti invocatam quovis fundamento destitui.

Hisce aliisque perpensis iudex delegatus, per sententiam die 18 Aprilis 1890 editam, definivit quotam Archidiacono lauretano assignatam ex summa pro distributionibus quotidianis canonicatuum suppressorum a Gubernio Capitulo persoluta pro eo tempore quo sacerdos Ripamonti archidiaconi

Giachini coadiutor extitit, haeredibus coadiuti 'Giachini competere ac ipsis persolvendam esse, quin haeredes Ripamonti sibi aliquid arrogare valeant.

Verum hac sententia haeredes Ripamonti praegravati, tempore utili S. H. C. recursum porrexerunt, petentes, ut ipsa, utpote iuri contraria, nulla ac irrita declararetur.

Disceptatio Synoptica

IURA HAEREDUM RIPAMONTI. Haeredes Ripamonti ut sua iura sarta tecta tueantur praeprimis animadvertunt sacerdotem Pacificum Ripamonti decanatui nuncium misisse et archidiaconatus coadiutoriam sumpsisse hac conditione pro accepto habita, ut scilicet nihil de suis redditibus amitteret. Hisce addunt praedictum sacerdotem Pacificum, quippe qui iurepatronatus super decanatu fruebatur, ut eum ab unguibus fisci subduceret, multis expensis obnoxium fuisse, ad quas recuperandas obtinuit, ut illum administratoris titulo per quinque annos retineret, dummodo tamen substitutum sibi eligeret, cui libellas 600 annuas persolvere debebat ; scilicet lib. 500 pro servitio chorali quod substitutus praestabat, et lib. 100 pro missis conventualibus et lectis, quae decanatum gravabant. Hinc factum esse aiunt et a Bullae verbis patere subdunt, ut archidiaconus Giachini, ad suum coadiutorem indemnem reddendum, ananas libellas 600 persolvere sese obligaverit, *titulo congruae seu salarii ex fructibus, reditibus et proventibus ac etiam distributionibus quotidianis aliisque incertis dicti archidiaconatus annuas libellas sexcentas currentis italicae monetae.*

Cum igitur praeter adducta pacta et conventiones nihil aliud circa coadiutoriam constitutum fuerit, haeredes Ripamonti urgent quod praedicta coadiutoria, sicuti ceterae coadiutori ae, in omnibus procedere debebat, cum usibus et consuetudinibus in Capitulo Lauretano vigentibus. Porro inter usus et consuetudines in Capitulo Lauretano vigentes, hanc principem locum obtinuisse contendunt, ut scilicet Canonici

coadiutores quotas fallentiarum, quas persolvebant Canonici choro non interessentes, perciperent. Huiusmodi consuetudinem ex declaratione comprobari a Canonicis emissa in coetu capitulari die 3 iulii 1889 habito, et confirmari ex dictarum fallentiarum distributione ab authenticis libris desumpta. Et quantumvis ex ipsis libris eruatur, huiusce consuetudinis existentiam ab anno 1834 ortum habuisse; nihilominus praesumi posse autumant ipsam ab antiquioribus temporibus locum obtinuisse. Quod si huiusce rei probationes certae afferri nequeunt, id ex eo contingit, quia libri qui in archivio capitulari asservantur, annum 1834 haud excedunt.

Verum hisce praetermissis, in facto esse asserunt consuetudinem assignandi coadiutoribus fallentias, vertente anno 1879 in honore fuisse, et Archidiaconum Giachini huiusmodi consuetudini adhaesisse ex eo argui contendunt, quod coadiutor Ripamonti fallentias iugiter perceperit, quin coadiutus vel aliquid contra obmussitaverit, vel eas sibi arrogare pertentaverit.

Ex hoc deduci posse sustinent, summas inposterum a Gubernio persolutas titulo fallentiarum canonicatibus suppressis spectantium, vel ipsi coadiutori, si adhuc in vivis esset, vel suis haeredibus, ceu in praesenti casu, tribui debere. Idque permagnam vim acquirere ex facto, quod, lite contra gubernium a Capitulo inchoata, coadiutores neque labori, neque sumptibus pepercerunt. Vicissim tres coadiuti, inter quos archidiaconus Giachini, neque operam praestare nec sumptuum participes esse voluerunt, ceu una cum sacerdote Magnalbò tunc temporis canonici Acquacotta coadiutore, ipsum Capitulum fidem facit.

Post haec ad sententiam iudicis delegati confutandam gradum faciunt, qua statutum fuit, ut coadiutor ex fructibus archidiaconatus nihil aliud, nisi annuas libellas 600 praetendere valeat. Ac praeprimis observant iudicis assertum valere, cum vel de canonicatus fructibus vel de aliis incertis sermo sit, non vero cum agatur de fallentiis choralibus, quae in vim consuetudinis coadiutoribus devolvuntur. Si enim aliter

res esset, sequeretur quod nullus coadiutor sive in Capitulo Lauretano, sive in aliis omnibus Capitulis, dictas fallentias percipere valeret ; idque locum haberet non obstante contraria consuetudine inducta. Si quidem in omnibus coadiutoriae Bullis, et nominatim in Bullis Canonicorum coadiutorum Andrenelli et Magnalbò legitur, quod omnes et singuli fructus, redditus et proventus certi et incerti ac etiam distributiones quotidianas cuiuscumque generis existant et reliqua omnia emolumenta ad Canonicum coadiutum pertinent. Verum hisce non obstantibus in facto esse affirmant, quod tam Andrenelli, quam Magnalbò fallentiarum quotas a gubernio Capitulo persolutas perceperunt.

Ex quo deducunt per verba *distributiones quotidianam* in Bullis expressa vel intelligendas esse distributiones quotidianas, quas Canonici ob suam praesentiam in choro lucrantur, et has coadiutis deberi, ceu de facto ab ipsis iugiter perceptae fuerunt : vel intelligi debere ipsarum incrementum ex aliorum Canonicorum negligentia derivatum et has coadiutoribus ex iure consuetudinario competere. Observantiae enim tantam vim inesse aiunt, ut ipsi standum sit, licet dispositionum verba improprianda essent, et quamvis intellectus ab ea datus esset malus et de iure non tenendus. S. Rota *decis. 85* nec non *decis. 256* et *decis. 608* coram Buratto. Cum igitur circa fallentiarum choralium distributionem huiusmodi sit observantia in Capitulo Lauretano existens ; sponte sua fluit ipsi omnino standum esse, etiamsi Bulla, qua sacerdos Ripamonti coadiutor archidiaconi Giachini nominatus fuit, contrarium statuisse videatur.

Huiusmodi consuetudine in vado posita, haeredes Ripamonti animadvertunt quod si archidiaconus Giachini fallentias quoque sibi servare voluisset, hoc in conventione cum coadiutore inita expressis verbis cavere debuisset. Cum igitur de ipsis nullam mentionem fecerit, imo cum permiserit, ut fallentiae coadiutori iugiter tribuerentur, illud facto suo admisit, quod tradit Barbosa. *Axiornat. lib. 13* c. 10* ex. 1**

scilicet : *observantia subsecuta contractum, quae supplet omnes defectus et tollit omne dubium.*

Observant praeterea quod si Bullae verba adeo stricte interpretanda essent, ceu iudex delegatus contendit, profecto haud datum esset intelligere curnam coadiutores in Capitulo Lauretano fallentias iugiter perceperint contra Bullarum litteram, quae praecipiunt, ut distributiones coadiuto tribuantur : pariter intelligere haud datum esset curnam archidiaconus, dum adhuc vitae usura fruebatur, tolera veri t ut fallentiae a coadiutore Ripamonti perciperentur, tandem intelligere haud datum esset curnam archidiaconus Giachini et alii coadiuti liti gubernio a Capitulo motae nuncium miserint , ac permiserint ut ipsorum loco , coadiutores iudicium susciperent et expensis obnoxii essent.

Hisce aliisque perpensis concludunt posthumas haeredum Giachini prae tensas nullo solido fundamento fulciri; ideoque sententiam a vicario generali recineten, ipsorum favore prolatam, utpote iniustam, nullam atque irritam renunciandam esse.

IURA HAEREDUM GIACHINI. E contra haeredes Giachini primo loco contendunt argumentum ab adversariis a consuetudine desumptum, vi cuius sibi asserunt suppressorum canonicatuum fallentias a gubernio solutas, nullo valido inniti fundamento. Idque ex eo arguunt quod consuetudo ab ipsis tantopere magnificata, dato quod reapse extiterit, paucis abhinc annis incoeperit. Hisce addunt satis non esse ut in libris capitularibus innuatur hunc vel illum coadiutorem percepisse exiguam quotam fallentiarum choralium ac distributionum canonicatus, qui per paucos menses vacans extiterat; sed requiri ut veteres canonici adhuc viventes exquirantur. Porro ex his aliquos adesse aiunt, qui ex facto vel proprio vel alieno declarant coadiutos huiusmodi fallentias ac distributiones ex mera liberalitate cessisse. Quo posito, subdunt vulgatum iii iure esse quod m *voluntaras nulla datur praescriptio.*

Verumtamen obiectae consuetudinis existentiam oppu-

gnant perpendentes, quod in libris capitularibus praetensam huiusmodi consuetudinis, nec verbum nec vola reperitur. Quod si coadiutores Andrenelli et Magnalbò suppresso rum canonicatuum distributiones perceperunt, id contigisse subdunt ex venia et cessione canonicorum titularium , qui ideo dictas distributiones favore coadiutorum cedebant, quia probe noscebant, ipsos nullam mercedem recipere in servitio, quod iugiter praestabant. Huiusmodi autem distributionum vel cuiuslibet generis proventuum cessionem favore coadiutoris Ripamonti ex parte coadiuti Giachini locum habere haud potuisse, quia coadiutor Ripamonti annuas libellas 500 a coadiuto Giachini percipiebat. Qua de re urgent, quod coadiutori Ripamonti onus incubuisset coadiuto restituendi illam pecuniae vim, quae, praeter lib. 500 pacto deductas, ipsi a Syndico capitulari tradita fuisset. Idque eo vel fortius, quia archidiaconus Giachini, cum longe a loco beneficii vitam ageret, distributiones arbitrarias et inconsultas a Syndico capitulari peractas, penitus ignorabat.

Verum admisso parumper, quod consuetudo ex adverso propugnata sustineri valeat, nihilo tamen secius contendunt, eam ad canonicatuum suppressorum distributiones extendi haud posse, ex eo quod quo tempore praetensa consuetudo locum obtinuit, quae vertente anno 1867 obtigit beneficiorum suppressio, nullo pacto excogitan poterat. Praesertim si perpendatur, quod huiusmodi beneficiorum suppressorum distributiones nonnisi sub mense iunio anni 1885 Capitulo tributae fuerunt.

Nec praesumi posse, iis, qui decantatam consuetudinem induxerunt, hanc mentem fuisse, ut scilicet coadiutoribus portionem distributionum ex 30 beneficiis suppressis obvenientium tribuere vellent, quae conglobatim acceptae et expensis haud deductis, summam libellarum 124 millium pertingunt. Et huiusmodi praesumptionem vehementiorem evadere, cum agatur de re nova et insolita, quae proinde praevideri haud poterat et de qua in iure canonico nulla mentio fit. Imo confirmari ex S. H. C. praxi, quae beneficiorum

vacationibus per suppressionem obvenientibus exigit, ut aV iis mentio habeatur. Ex quo deducunt in themate invocari posse vulgatum iuris principium : *Res venit ad eum statum unde initium habere non potuit.*

Tertio tandem loco animadvertunt, indubii facti esse quemlibet novum proventum ratione beneficii ob ventum, ei accedere debere qui beneficium possidet, seu titulari, cum ipse habeat *ius in iure* et non coadiutori, qui fletus canonicus in iure appellatur. Hinc ipsi coadiutori onus incumbere demonstrandi coadiutum sive tacite, sive expresse huic proventui nuncium misisse ; ex eo quod *non possessori incumbit necessitas probandi.* Probationes autem ad id demonstrandum adductas, cum oppugnatae sint a Canonicis viventibus, cum quibus consuetudo incoepisse fertur, ius archidiaconi G-iachini magis ac magis confirmare et coadiutorum onus probandi contrarium.

Hisce pro utraque parte summo veluti ore delibatis, dirimendum propositum fuit sequens

Dubium

An sententia a Vicario generali recineten., iudice delegato, die 18 Apirilis anni 1890 edita sit confirmanda vel infirmanda in casu ?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium sub die 27 februarii anni 1891 re discussa respondere censuit : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

EX QUIBUS COLLIGES. L Coadiutorem cum futura successione obtinendi dignitatem, canonicatum aut portionem in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata datum, regulariter non posse suas facere distributiones quotidianas, sed eas pro coadiuto lucrari.

II. Nihilominus in huiusmodi rebus determinandis opus esse, ut vel conventio inter partes inita, vel Bullae tenor inspiciatur, cum generali regulae superius traditae vel per

partium conventionem, vel per Bullae dispositionem derogari valeat.

III. In themate autem cum in vim Bullae coadiutori Ripamonti summa libellarum 600 a coadiuto persolvenda assignata fuerit ex fructibus, redditibus et proventibus ac etiam distributionibus quotidianis aliisque incertis archidiaconatus, praesumendum esse dictam summam ante porrectam supplicationem inter partes conventam fuisse.

IV. Hinc coadiutori Ripamonti nullus ius superesse quamlibet fructuum portionem a beneficio et nominatim a distributionibus quotidianis provenientium repetendi.

V. Quemadmodum legi generali, ita etiam consuetudini legitime inductae derogari posse per partium conventionem vel Bullae dispositionem.

VI. Consuetudinem vel concludenti probatione destitutam, vel si facta quibus innititur ex mera liberalitate procedunt, attendendam non esse.

VII. Vim suam nancisci ex voluntate agentium, ac proinde extendi non posse ad ea quae praevideri vel excogitari haud poterant.

VIII. Quemlibet novum proventum ratione beneficii derivatum plenam beneficii possessionem habenti accedere debere.

RHEDONEN.

IURISDICTIONIS

Die 27 Februarii 1891.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos E. Garnier e dioecesi Rhedonen. supplici libello S. C. Episcoporum et Regularium die 26 Aprilis porrecto, enarrat sese a teneris unguiculis Dioecesim rhedonen. reliquisse, ut alibi humanioribus litteris va- 'Caret; deinde inter Societatis Iesu novitios cooptatum fuisse, ubi philosophicis ac theologicis studiis incubuit; quibus ex-

pletis, magistri munere per plures annos functum fuisse, ac demum, vertente mense Augusto anni 1870 a Rmo Zanguillot Episcopo eiusdem Societatis ad ss. Missiones delegato sacerdotio insignitum fuisse. Praeter haec refert, quidem Societati Iesu die 8 Septembris 1879 vale dixisse, et ex hac die ad clerum saecularem iugiter pertinuisse.

Verum cum ab Archiepiscopo originis neque officium aliquod in Dioecesi, neque litteras testimoniales, imo neque facultatem celebrandi obtinere valuerit, ab H. S. O. efflagitavit ut declarare haud dedignaretur, num sibi applicari valeret H. S. C. decretum diei 6 Martii 1864, quo ad Episcopum Tarvisinum responsum fuit: *Presbyterum Instituti Charitatis per indultum saecularizationis perpetuae redire sub potestate Episcopi originis:* ac proinde num ipse ex regressu a Societate Iesu sub Episcopi originis iurisdictionem, ipso facto reciderit.

Disceptatio Synoptica.

Ex officio observatum fuit Ordinum Superioribus, qui proprie religiosi nuncupantur, facultatem competere suis subditis regularibus litteras testimoniales tradendi ad hoc, ut ad omnes ordines sacros promoveri valeant ex Cap. *Abbas de Privileg,* in 6, et ex Conc. Trid. *Cap. 10, Sess. 23 de Be f or.* Hoc tamen intelligendum esse sub hac conditione, ut scilicet leges et praescriptiones observentur decreti Clementis VIII anni 1596, nec non Constitutionis Benedicti XIV *Impositis nobis* diei 27 Februarii 1.747, ubi decernitur ut huiusmodi litterae dimissoriales loci Episcopo exhibeantur, in quo domus religiosa sita reperitur. Quod si Episcopus vel absens sit, aut sacra ordinatio eo tempore locum non habeat, litterae dimissoriales cuilibet Episcopo catholico porrigi valeant; dummodo citatae litterae dictas causas, nec non sive Vicarii , vel Cancellarii, sive Episcopi secretarii attestationem contineant, in cuius territorio domus religiosa fundata est.

Praeter religiosos proprie dictos huiusmodi privilegiis gaudere quoque nonnulla Instituta, quae vota simplicia, sed perpetua emittunt. Alia vero Instituta iuri communi, seu iis quae Innocentius XII in sua Constitutione *Speculatores* praescribit, subiecta esse.

Porro cum decretum a sacerdote Garnier invocatum Congregationem Presbyterorum Charitatis Venetiarum respiciat, cum haec Congregatio, ex eo quod huiusmodi privilegiis haud fruatur, Episcopo subiectum sit in iis omnibus quae a S. Sede approbata haud sunt, ceu apparet ex resolutionibus Ii. S. C. diei 30 Decembris 1757 et diei 15 Decembris 1826, sponte sequitur alumnos dicti Instituti iuxta laudatam Innocentii XII Constitutionem ad ss. Ordines promoveri haud posse, nisi proprii Episcopi litterae dimissoriales praecesserint.

Ad tramitem itaque citatae Constitutionis, Episcopi originis vel domicilii iurisdictionem eatenus suspendi, quatenus Professi in Instituto permanent; ipsam autem reviviscere semel ac Professi ab Instituto vel sponte recesserunt vel ab eo dimissi sunt.

Hinc in Tarvisina ad quartum dubium : *An iii casu egressus ab Instituto per dimissionem vel dispensationem iidem ad iurisdictionem Episcopi loci pertineant., ubi domus cui nomen dederunt sita est, vel potius ad Episcopum cui subiecti erant antequam Instituto adscripti essent,* merito H. S. C. respondisse: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Verum quia mox citata resolutio falsis interpretationibus locum dederat, quas ci. Bizzarri in sua Collectanea pag. 712 praecidere curavit, hinc in medium eiusdem verba allata fuerunt, quae sic sonant: « Ex hac resolutione ad quartum dubium apparet haud iuri conformem esse illorum Antistitum agendi rationem, qua renuunt recipere in suas dioeceses alumnos alicuius Instituti votorum simplicium, qui ad easdem Dioeceses ante professionem pertinebant, quique deinde ab Instituto seu Congregatione dimissi sunt, vel ab iisdem votis dispensationem obtinuerint, ea tantum de causa, quod in

aliquo instituto professionem emiserint, licet antea eorum iurisdictioni subicerentur.

> Nec opponi potest praxis S. C. quae servatur in concedendis indultis saecularizationis Professis votorum solemnium, pro quibus ordinarie loquendo requirit S. C. acceptationem Episcopi benevoli receptoris; nam Professi votorum solemnium ob statum permanentem, quem amplexi sunt, in perpetuum a iurisdictione Episcoporum omnino subtrahuntur, quod locum non habet quoad Professos votorum simplicium, qui dimitti et dispensan solent:

» Dixi *ordinarie loquendo,* quia S. C. aliquando, si gravis causa concurrat, cogit Episcopos ad recipiendos in suas dioeceses saecularizatos, qui ante solemnem professionem eorum iurisdictioni subiiciebantur. Id tamen raro admodum durante meo munere factum est, licet S. C. *super statu regularium* declaraverit posse, ad effectum reformationis Ordinum Regularium obtinendae etiam invitis Episcopis saecularizationes concedi, caute tamen et prudenter perpensis peculiaribus rerum adiunctis ».

Hisce generatim praehabitis, tum quoad Instituta votorum simplicium, tum quoad Professos votorum solemnium, relate ad Societatem Iesu perpensum fuit, ipsam sive decreto Clementis VIII, sive constitutioni Benedicti XIV, quae ceteros Ordines Religiosos obligant, obtemperare haud teneri. Sed constitutione Gregorii XIII diei 22 Septembris 1582 regi ac gubernari, qua indultum fuit, ut clerici praedictae Societati adscripti, praevio Superiorum consensu, etiam *in sacris* ordinari valerent a quolibet Episcopo catholico, quin necesse foret, ut inquisitio de idoneitate et de ceteris ipsorum requisitis institueretur. Et huiusmodi privilegia tam a Gregorio XIV, quam a Paulo V confirmata fuisse; at non raro contingere, ut clerici dictae Societatis cum vota tantum simplicia emittant, facultatem a suis superioribus obtineant Societatem ob peculiares causas derelinquendi, vel ut ab ipsis superioribus ex iustis causis e Societate dimittantur, licet ad presbyteratus ordinem promoti fuerint.

Hisce praenotatis, sapientissimo Emorum Patrum iudicio dirimendum propositum fuit sequens

Dubium

An et quomodo Sacerdos Qarnier Archiepiscopi Rhedonen. iurisdictioni subiiciatur?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium, re mature perpensa, die 27 Februarii 1891 proposito dubio respondere censuit : *Affirmative, uti Ordinario originis.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Ex Conc. Trid. Cap. 10, sess. 23 *de Reform.* Superioribus Ordinum Religiosorum, in quibus vota solemnia emittuntur, facultatem competere tradendi litteras dimissoriales propriis subditis regularibus, ut ad omnes sacros Ordines promoveantur.

II. Cum hac tamen limitatione, ut scilicet dispositiones decreti Clementis VIII anni 1596 et constitutionis Benedicti XIV *Impositis nobis* diei 27 Februarii 1747 observentur, ubi praescribitur, ut litterae dimissoriales Episcopo loci exhibeantur, in quo domus religiosa existit.

III. Absente vero loci Episcopo, vel casu quo sacra ordinatio non habeatur, litteras dimissoriales cuilibet Episcopo catholico exhiberi posse, dummodo in huiusmodi litteris de allatis causis mentio fìat , et attestatione praeditae sint, sive Vicarii vel Cancellarii, sive Secretarii Episcopi loci, in quo domus religiosa existit.

IV. Huiusmodi privilegio praeter Ordines religiosos votorum solemnium, gaudere quoque nonnulla Instituta, in quibus vota simplicia sed perpetua emittuntur.

V. Cetera vero Instituta sub dispositionibus iuris communis cadere, seu teneri ad ea quae in sua Constitutione *Speculatores* Innocentius XII praescribit.

VI. Iuri conformem haud esse illorum Antistitum agendi rationem, qui renuunt recipere in suas Dioeceses alumnos alicuius Instituti votorum simplicium, qui ad easdem Dioeceses ante professionem pertinebant, quique deinde ab Insti-

tuto seu Congregatione dimissi sunt vel ab iisdem votis dispensationem obtinuerunt, ea tantum de causa, quod in aliquo Instituto professionem emiserint, licet antea eorum iurisdictioni subiicerentur.

VII. In concedendis indultis saecularizationis Professis votorum solemnium, *ordinarie loquendo,* a S. C. requiri acceptationem Episcopi benevoli receptoris, quia ob statum permanentem quem amplexi sunt, in perpetuum a iurisdictione Episcopi omnino subtrahuntur : quod locum non habet quoad Professos votorum simplicium, qui dimitti et dispensari solent.

VIII. Concurrentibus tamen gravibus causis, Episcopos cogi posse ad recipiendos in suas Dioeceses saeculari zatos, qui ante solemnem professionem eorum iurisdictioni subiiciebantur.

IX. Societatem Iesu sive decreto Clementis VIII, sive Constitutione Benedicti XIV haud obligari ; sed Constitutioni Gregorii XIII diei 22 Septembris 1582 obnoxiam esse, qua superioribus indultum fuit ut ipsius clerici etiam *in sacris* a quocumque Episcopo catholico ordinari valeant, quin de ipsorum idoneitate aliisque requisitis inquisitio instituatur : et huiusmodi privilegia tam a Gregorio XIV quam a Paulo V confirmata fuisse.

De habitu religioso et conditione Institutorum eumdem non praescribendum.

Ecclesia catholica hoc omnino habet, ut cum ad christianam fovendam pietatem, tum ad vitia extirpanda suas vires omnes iugiter intendat. Hinc nostra fere aetate, nedum verae Congregationes religiosae in magnum christianae civilisque reipublicae bonum excrevere, verum etiam aliae atque aliae fidelium piae sunt formatae societates, quae et consilia evangelica sequerentur et charitatis officia maiori libertate obirent, a quibus per temporum nequitiam exercendis religiosae familiae aut pene aut omnino prohibentur. Cum autem piae istae fidelium societates, non secus ac verae religiosae Congregationes, a S. Sede laudatae fuerint, earumque statuta approbata, ac novae insuper societates huius-

modi approbari postularent, de earumdem societatum natura deque S. Sedis mente in illis approbandis coeptum est disputari.

Qua de causa in generali S. R. E. Cardinalium Congregatione EE. et RR. de mandato SSmi D. N. Leonis PP. XIII dua haec quaesita sunt:

I. Utrum expediat, ut S. Congregatio Episcoporum et Regularium decretum laudis aut approbationis concedat Institutis illis, quae praeter sorores in communitate viventes, habent obstrictas votis simplicibus sive temporaneis sive perpetuis aliassorores, quae propriis in domibus vivunt, quin signum aliquod prae se ferant externum, per quod innotescat eas membra esse alicuius regularis Instituti?

II. Utrum expediat, ut eadem S. Congregatio concedat decretum laudis aut approbationis Institutis illis, quorum membra,, etiamsi in communitate vivant, nullum tamen eiusdem Instituti signum prae se ferunt, quinimo student occultare tam Institutum quam eius naturam?

Porro in plenaria Congregatione habita in Palatio Apostolico Vaticano die 21 mensis Iunii anno 1889 Eminentissimi Patres decreverunt :

Sacra Congregatio, quando laudat vel approbat huiusmodi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare non quidem uti Religiones formales votorum solemnium, neque etiam ut formales seu veras religiosas Congregationes votorum simplicium, sed tantum uti pias sodalitates, in quibus, praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo superiore accepta. Haec insuper sodalitia laudat vel approbat S. Congregatio sub essentiali conditione quod plene perfecteque respectivis Ordinariis innotescant, ac eorum omnino subsint iurisdictioni. Denique harum sodalitatum membra, quamvis nullum regularem habitum deferant, attamen satagant ut in se ipsis *non sit... indumenti vestimentorum cultus* (I Pet. III, 3), nec aliquid quod cuiusquam offendat adspectum, sed quod decet religiosas personas, *promittentes pietatem per opera bona* (I Timoth. II, 10); caveantque ne quod per spiritus prudentiam occulitur, per prudentiam carnis in culpabilem simulationem degeneret.

Hoc autem decretum Sanctitas Sua ratum habuit ac con-

firmavit, et in huius generis Institutorum statutis inseri praecepit, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto praelaudatae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 11 Augusti 1889.

I. CARD. VERGA PRAEFECTUS.

FR. ALOYSIUS EPISCOPUS CALLINICEN, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

COMPOSTELLANA

Dubia quoad Olea sancta et sanctissimam Eucharistiam asservandam.

Rmus Dnus Iosephus Maria Martin de Herrera et de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus a Sacra Rituum Congregatione eorum quae sequuntur, opportunam declarationem expetivit, nimirum. — I. Quum in pastorali visitatione Orator ipse deprehenderit in multis filialibus Ecclesiis, seu Oratoriis, alicuius Paroeciae SSmam Eucharistiam asservari, ubi Missa celebratur tantummodo vel Dominicis vel quando sacrum Viaticum ad aegrotos ferendum 'desumitur; reliquum vero temporis spatium nemo illuc accedit, praeter sacristam ad alendam lampadem, ianuis clausis ceteroquin manentibus : hinc quaeritur. — An SSmum Eucharistiae Sacramentum in iisdem Ecclesiis ita servandum permitti possit? —*r* 2. In eadem Archidioecesi mos obtinet fere apud omnes paroecias, ut Sacra Olea in domo ipsius Parochi, quae rure ab Ecclesia seiuncta est ac distat, serventur: quo in promptu habeantur pro infirmis. Potestne tolerari haec praxis praesertim in civitatibus, ubi Parochi domus Ecclesiae contigua est? — Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum magistris, ita rescribere rata est, videlicet. — Ad I. *Negative, nisi per aliquot diei*

horas aditus pateat Fidelibus SSmam Eucharistiam visitare cupientibus : Ad II. *Detur Decretum in una Toletana diei 31 Augusti 1872 ad V.*

Atque ita declaravit et rescripsit die 15 Novembris 1890.

f Caj. Card. ALOYSI MASELLA S. Cong. Praef.

Decretum praedictum in una Toletana.

Dubium V. Possunt Parochi retinere Sanctum Oleum Infirmorum in domo sua, eo quod extra Ecclesiam Parochialem habitent, non obstantibus Sacrae Rituum Congregationis decretis ?

Ad V. Negative et servetur Decretum die 16 Decembris 1826, in Gandavensi ad III.

Decretum diei 16 Decembris 1826 in Gandavensi.

III. Facti species: «Sacerdotes curam animarum exercentes pro sua commoditate apud se in domibus suis retinent sanctum Oleum infirmorum.

An attenta consuetudine, hanc praxim licite retinere valeant ?

Ad dubium unicujn Quaesiti III. « Negative, et servetur Rituale romanum, excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia; quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam, et decentem tutamque custodiam. »

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

TCTAVIENSIS

De modo adhibendae formulae in impositione scapularium.

Rector Decanus Eccesiae B. M. V. a Berchorio, Dioecesis Pictaviensis, huic S. Congni Indulgentiarum haec quae sequuntur exponit:

Aliquando impositio Scapularium ab Ecclesia approbatorum, ita pro frequentia populi protrahitur, ut fiat cum assistentium taedio et Sacerdotis defatigatione, praesertim post primam puerorum Communionem vel exercitia Missionum, quia tunc permulti accedunt ad hos sacros habitus suscipiendos; quae praecaverentur incommoda si Sacerdoti liceret una tantum vice dicere formulam numero plurali, imponendo successive, sed nulla interposita mora, scapulare fidelibus praesentibus; quod quidem licitum videtur cum adsit unio moralis inter formulae prolationem et impositionem scapularium et sic efficeretur unicus et completus actus.

Unde supradictus Rector sequens dubium dirimendum proponit :

Utrum liceat Sacerdoti, in impositione Scapularium, ab Ecclesia approbatorum, omnibus rite peractis, dicere semel numero plurali formulam : *Accipite fratres, vel sorores etc.*, imponendo successive et sine interruptione scapulare ojnnibus praesentibus; vel potius formula numero singulari pro singulis sit repetenda ?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita exhibito dubio respondit: j

Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam uti decretum est in una Valentinens) die 5 Februarii 1841 ad dubium IV.

Datum ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 18 Aprilis 1891. I

IOS. CARD. D'ANNIBALE PRAEFECTUS

L. * S.

ALEXANDER ARCHIEPISCOPUS! NICOPOLIT. *Secretarias.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Sabbato Die 25 Aprilis 1891.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 24 Aprilis 1891, mandavit et jnandat, proscripsit proscribitque, vel cdias damnata cdque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Expliçacôes ao Publico a proposito do incidente occorrido entre o Excellentissimo e Reverendissimo Senhor Bispo Conde e a Faculdade de Theologia da Universidade de Coimbra, pelo Dr. Manuel De Azevedo Araujo e Gama. — Coimbra 1886 (28 Febbraio;. — *Decr. S. Off: Feria IV, 2 Iulii 1890.*

A Faculdade de Theologia e as doctrinas que elia ensina, pelo Padre José Maria Ragrigues quintannista de Theologia. — Coimbra 1886. — *Eod. Decr.*

Analyse critica do libello accusatorio que o Excellentissimo e Reverendissimo Sr. Bispo Conde redigili contra a Facultade de Theologia da Universidade de Coimbra, par Manuel de Azevedo Araujo e Gama.*— Coimbra 1888. — *Eod. Decr.*

A Sagrada Congregaçâo do Concilio e os direitos do Senhor Bisbo Conde sobre a Universidade de Coimbra. Nova ediçâo de um documento recente, precedida de algumas consideraçoes

pelo Dr. José Maria Rodríguez Lente substituto de Faculdade de Theologia da Universidade de Coimbra, 1889 (Ottobre) — *Eod. Decr.*

Auctores laudabiliter se subiecerunt.

Giuseppe Toscanelli, Deputato al Parlamento. — Religione e Patria osteggiate dal Papa; l'Italia si deve difendere. — Firenze, Fratelli Bocca editori, Torino-Roma; 1890. — *Decretum 13 Aug. 1890.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 25 Aprilis 1891.

CAMILLUS Card. MAZZELLA Praef.

Fr. HYACINTHUS FRATI Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

Loco »$f Sigilli

Die 2ö Aprilis 1891 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixam et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

LITTERAE ENCYCLICAE Sanctissimi D. N. Leonis Papae XIII de conditione opificum.

Rerum novarum semel excitata cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecuturum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. — Revera nova industriae incrementa novisque euntes itineribus artes : mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae : divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia: opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet. In quo quanta rerum momenta vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri expectatione suspensos : idemque ingenia exercet doctorum, concilia prudentum, conciones populi, legumlatorum iudicium, consilia principum, ut iam caussa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia vehementius. — Itaque, proposita Nobis Ecclesiae caussa et salute communi, quod alias consuevimus, Venerabiles Fratres, datis ad vos Litteris de imperio politico, de libertate humana, de civitatum constitutione christiana, aliisque non dissimili genere, quae ad refutandas opinionum falladas opportuna videbantur, idem nunc faciendum *de conditione opificum* iisdem de caussis duximus. — Genus hoc argumenti non semel iam per occasionem attigimus: in his tamen litteris totam data opera tractare quaestionem apostolici muneris conscientia monet, ut principia emineant, quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimicatio dirimatur. Caussa est ad expediendum difficilis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri iura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem, et eos qui operam conferant, inter se oportet contineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum iudicium veri concitandamque seditiose multitudinem passim detorquetur. Utcumque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, intimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur. Nam veteribus artificum collegiis superiore saeculo deletis, nulloque in

eorum locum suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditàti solitarios atque indefensos tempus tradiderit. — Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem: huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini imposuerunt.

Ad huius sanationem mali *Soeialistae* quidem, sollicitato egentium in locupletes invidia, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rempublicam gerant. Eiusmodi tralatione bonorum a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo. Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incommodo: eademque praeterea est valde iniusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae, penitusque miscet civitates.

Sane quod facile est pervidere, ipsius operae, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se caussa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi quaerere privatoque iure possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industriam suam alteri commodat, hanc ob caussam commodat ut res adipiscatur ad victum cultumque necessarias: ideoque ex opera data ius verum perfectumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parsimoniae suae, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induta speciem: proptereaque coemptus sic opifìci fundus tam est in eius potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre *Soeialistae* ad commune nituntur, omnium niercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe

quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant.

Verum, quod maius est, remedium proponunt cum iustitia aperte pugnans, quia possidere res privatim ut suas, ius est homini a natura datum. — Revera hac etiam in re maxime inter hominem et genus interest animantium ceterarum. Non enim se ipsae regunt belluae, sed reguntur gubernanturque duplici naturae instinctu : qui tum custodiunt experrectam in eis facultatem agendi, viresque opportune evolvunt, tum etiam singulos earum motus exsuscitant iidem et determinant. Altero instinctu ad se vitamque tuendam, altero ad conservationem generis ducuntur sui. Utrumque vero commode assequuntur earum rerum usu quae adsunt, quaeque praesentes sunt : nec sane progredi longius possent, quia solo sensu moventur rebusque singularibus sensu perceptis. — Longe alia hominis natura. Inest in eo tota simul ac perfecta vis naturae animantis, ideoque tributum ex hac parte homini est, certe non minus quam generi animantium omni, ut rerum corporearum fruatur bonis. Sed natura animans quantumvis cumulate possessa, tantum abest ut naturam circumscribat humanam, ut multo sit humana natura inferior, et ad parendum huic obediendumque nata. Quod eminet atque excellit in nobis, quod homini tribuit ut homo sit, et a belluis differat genere toto, mens seu ratio est. Et ob hanc caussam quod solum hoc animal est rationis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque iure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consummatur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent.

Quod magis etiam apparet, si hominum in se natura altius spectetur. — Homo enim cum innumerabilia ratione comprehendat, rebusque praesentibus adiungat, atque annectat futuras, cumque actionum suarum sit ipse dominus, propterea sub lege aeterna, sub potestate omnia providentissime gubernantis Dei, se ipse gubernat providentia consilii sui: quamobrem in eius est potestate res eligere quas ad consulendum sibi non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime iudicet idoneas. Ex quo consequitur, ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terrae dominatum oporteat, quia -e terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus ne

cessarias. Habent cuiusque hominis necessitates velut perpetuos redditus, ita ut hodie expletae, in crastinum nova imperent. Igitur rem quamdam debet homini natura dedisse stabilem perpetuoque mansuram, unde perennitas subsidii expectari posset. Atqui istiusmodi perennitatem nulla res praestare, nisi cum ubertatibus suis terra, potest.

Neque est, cur providentia introducatur reipublicae : est enim homo, quam respublica, senior: quocirca ius ille suum ad vitam corpusque tuendum habere natura ante debuit quam civitas ulla coisset — Quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum dona visse terram in commune dicitur, non quod eius promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. — Ceterum utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terra non cessat, quoniam nemo est mortalium, quin alatur eo, quod agri efferunt. Qui re carent, supplent opera: ita ut vere affirmari possit, universam comparandi victus cultusque rationem in labore consistere, quem quis vel in fundo insumat suo, vel in arte aliqua operosa, cuius merces tandem non aliunde, quam a multiplici terrae fetu ducitur, cum eoque permutatur.

Qua ex re rursus efficitur, privatas possessiones plane esse secundum naturam. Res enim eas, quae ad conservandam vitam maximeque ad perficiendam requiruntur, terra quidem cum magna largitate fundi, sed fundere ex se sine hominum cultu et curatione non posset. Iamvero cum in parandis naturae bonis industriam mentis viresque corporis homo insumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturae corporeae partem, quam ipse percoluit, in qua velut formam quamdam personae suae impressami reliquit ; ut omnino rectum esse oporteat, eam partem ab eo possideri uti suam, nec ullo modo ius ipsius violare cuiquam licere.

Horum tam perspicua vis est argumentorum, ut mirabile videatur, dissentire quosdam exoletarum opinionum restitutores : qui usum quidem soli, variosque praediorum fructus homini privato concedunt : at possideri ab eo ut domino vel solum, in quo aedificavit, vel praedium quod excoluit, plane ius

esse negant. Quod cum negant, fraudatum iri partis suo labore rebus hominem, non vident. Ager quippe culturis manu atque arte subactus habitum longe mutat: e silvestri frugifer, ex infecundo ferax efficitur. Quibus autem rebus est melior factus, illae sic solo inhaerent miscenturque penitus, ut maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui id quemquam potiri illoque perfrui, in quo alius desudavit, utrumne iustitia patiatur? Quo modo effectae res caussam sequuntur a qua effectae sunt, sic operae fructum ad eos ipsos qui operam dederint, rectum est pertinere. Merito igitur universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit. — Leges autem civiles, quae, cum iustae sunt, virtutem suam ab ipsa naturali lege ducunt, id ius, de quo loquimur, confirmant ac vi etiam adhibenda tuentur. — Idem divinarum legum sanxit auctoritas, quae vel appetere alienum gravissime vetant. *Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quae illius sunt* (1).

Iura vero istiusmodi, quae in hominibus insunt singulis, multo validiora intelliguntur esse si cum officiis hominum in convictu domestico apta et connexa spectentur. — In deligendo genere vitae non est dubium, quin in potestate sit arbitrioque singulorum alterutrum malle, aut Iesu Christi sectari de virginitate consilium, aut maritali se vinclo obligare. Ius coniugii naturale ac primigenum homini adimere, caussamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo €ircu inscribere lex hominum nulla potest. *Crescite et mutiplicamini* (2). En igitur familia, seu societas domestica, perparva illa quidem, sed vera societas, eademque omni civitate antiquior; cui propterea sua quaedam iura officiaque esse necesse est, quae minime pendeant a republica. Quod igitur demonstravimus, ius dominii personis singularibus natura tributum, id transferri in hominem, qua caput est familiae, oportet : immo tanto

(1) Dent. v. 21.
(2) Gen. 1. 28.

ius est illud validius, quanto persona humana in convictu domestico plura complectitur. Sanctissima naturae lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur, quos ipse procreant: idemque illuc a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producunt personam, anquirere et parare, unde se honeste possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere, id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuosarum possessione rerum, quas ad liberos hereditate transmittat. — Quemadmodum civitas, eodem modo familia, ut memoravimus, veri nominis societas est, quae potestate propria, hoc est paterna, regitur. Quamobrem, servatis utique finibus quos proxima eius caussa praescripserit, in deligendis adhibendisque rebus incolumitati ac iustae libertati suae necessariis, familia quidem paria saltem cum societate civili iura obtinet. Paria saltem diximus, quia cum convictus domesticus et cogitatione sit et re prior, quam civilis coniunctio, priora quoque esse magisque naturalia iura eius officiaque consequitur. Quod si cives, si familiae, convictus humani societatisque participes factae, pro adiumento offensionem, pro tutela deminutionem iuris sui in republica reperirent, fastidienda citius, quam optanda societas esset.

Velle igitur ut pervadat civile imperium arbitratu suo usque ad intima domorum, magnus ac perniciosus est error. — Certe si qua forte familia in summa rerum difficultate consiliique inopia versetur, ut inde se ipsa expedire nullo pacto possit, rectum est subveniri publice rebus extremis; sunt enim familiae singulae pars quaedam civitatis. Ac pari modo sicubi intra domesticos parietes gravis extiterit perturbatio iurium mutuorum, suum cuique ius potestas publica vindicate: neque enim hoc est ad se rapere iura civium, sed munire atque firmare iusta debitaque tutela. Hic tamen consistant necesse est, qui praesint rebus publicis: hos excedere fines natura non patitur. Patria potestas est eiusmodi, ut nec extingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium. *Filii sunt aliquid patris,* et velut paternae amplificatio, quaedam personae: proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem. Atque hac ipsa de caussa, quod filii sunt *naturaliter aliquid patris... antequam usum liberi arbitrii habeant, continentur sub pa-*

rentum cura (1). Quod igitur *Soeialistae,* posthabita providentia parentum, introducunt providentiam reipublicae, faciunt *contra iustitiam naturalem,* ac domorum compaginem dissolvunt.

Ac praeter iniustitiam, nimis etiam apparet qualis esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutura. Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtrectationes et discordias patefleret: ademptis ingenio sin. gulorum solertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent: eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas, aliud revera non esset nisi omnium hominum aeque misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio. — Ex quibus omnibus perspicitur, illud *Socialismi* placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere, quia iis ipsis, quibus est opitulandum, nocet; naturalibus singulorum iuribus repugnat, officia reipublicae tranquillitatemque communem perturbat. Maneat ergo, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolate servandas. Quo posito, remedium, quod exquiritur, unde petendum sit, explicabimus.

Confidenter ad argumentum aggredimur ac plane iure Nostro, propterea quod caussa agitur ea, cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione Ecclesiaque, reperietur. Cum vero et religionis custodia, et earum rerum, quae in Ecclesiae potestate sunt, penes Nos potissimum dispensatio sit, neglexisse officium taciturnitate videremur. — Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec caussa desiderat: principum reipublicae intelligimus, dominorum ac locupletium, denique ipsorum, pro quibus contentio est, proletariorum : illud tamen sine dubitatione affirmamus, inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta -asperitate, mollius : eademque est, quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit : quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilis^ sime institutis: quae vult atque expetit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam

(1) S. Thom, II-II. Quaest. X art. XII.

commodissime potest, consulatur: ad eamque rem adhiberi leges ipsas auctoritatemque reipublicae, utique ratione ac modo, putat oportere.

Illud itaque statuatur primo loco, ferendam esse conditionem humanam: ima summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem *Soeialistae:* sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis accomodate; indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis: ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris. — Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso *statu innocentiae* non iners omnino erat homo futurus: at vero quod ad animi delectationem tunc libere optavisset voluntas, idem postea in expiationem culpae subire non sine molestiae sensu coegit necessitas. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae* **(1).** — Similisque modo finis acerbitatum reliquarum in terris nullus est futurus, quia mala peccati consectaria aspera ad tolerandum sunt, dura, difficilia: eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia, istiusmodi incommoda evehere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Siqui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam polliceantur omni dolore molestiaque vacantem, et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, ne illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando erupturam maiora praesentibus. Optimum factu res humanas, ut se habent, ita contueri, simulque opportunum incommodis levamentum, uti diximus, aliunde petere.

Est illud in caussa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensum alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit, quo modo in corpore diversa

(1) Gen. III, 17.

inter se membra conveniunt, unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecepisse ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibique convenienter ad aequilibritatem respondeant. Omnino altera alterius indiget: non res sine opera, nec sine re potest opera consistere. Concordia gignit pulcritudinem rerum atque ordinem: contra ex perpetuitate certaminis oriatur necesse est cum agresti immanitate confusio. Nunc vero ad dirimendum certamen, ipsasque eius radices amputandas, mira vis et institutorum christianorum, eaque multiplex. - Ac primum tota disciplina religionis, cuius est interpres et custos Ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios componere invicem et coniungere, scilicet utroque ordine ad officia mutua revocando, in primisque ad ea quae a iustitia ducuntur. Quibus ex officiis illa proletarium atque opificem attingunt; quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id integre et fideliter reddere: non rei ullo modo nocere, non personam violare domi" norum: in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam: nec commisceri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose iactantibus, quod fere habet poenitentiam inutilem et fortunarum ruinas consequentes. = Ista vero ad divites spectant ac dominos: non habendos mancipiorum loco opifices: vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilita tam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustendandae praebent honestam potestatem. Illud vere turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex: non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi: neque ullo pacto a cura domestica parsimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genas, quod cum aetate sexuque dissideat. In maximis autem officiis dominorum illud eminet, iusta unicuique praebere. Profecto ut mercedis statuatur ex aequitate modus, caussae sunt considerandae plures: sed generatim locupletes atque heri meminerint, premere emolumenti sui caussa

indigentes ac miseros, alienàque ex inopia captare quaestum, non divina, non humana iura sinere. Fraudare vero quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e caelo ultrices clamore devocat. *Ecce merces operariorum... quae fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit* (1). Postremo religiose cavendum locupletibus ne proletariorum compendiis quicquam noceant nec vi, nec dolo, nec funebribus artibus : idque eo vel magis quo non satis illi sunt contra iniurias atque impotentiam muniti, eorumque res, quo exilior, hoc sanctior habenda.

His obtemperatio legibus nonne posset vim caussasque dissidii vel sola restinguere? - Sed Ecclesia tamen, Iesu Christo magistro et duce, persequitur maiora : videlicet perfectius quiddam praecipiendo, illuc spectat, ut alterum ordinem vicinitate proxima amicitiaque alteri coniungat. - Intelligere atque aestimare mortalia ex veritate non possumus, nisi dispexerit animus vitam alteram eamque immortalem : qua quidem dempta, continuo forma ac vera notio honesti interiret : immo tota haec rerum universitas in arcanum abiret nulli hominum investigationi pervium. Igitur, quod natura ipsa admonente didicimus^ idem dogma est christianum, quo ratio et constitutio tota religionis tamquam fundamento principe nititur, cum ex hac vita excesserimus, tum vere nos esse victuros. Neque enim Deus hominem ad haec fragilia et caduca, sed ad caelestia atque aeterna generavit, terramque nobis ut exulandi locum, non ut sedem habitandi dedit. Divitiis ceterisque rebus, quae appellantur bona, affluas, careas, ad aeternam beatitudinem nihil interest : quemadmodum utare, id vero maxime interest. Acerbitates varias, quibus vita mortalis fere contexitur, Iesus Christus *copiosa redemptione* sua nequaquam sustulit, sed in virtutum incitatamenta, materiamque bene merendi traduxit : ita plane ut nemo mortalium queat praemia sempiterna capessere, nisi cruentis Iesu Christi vestigiis ingrediatur. *Si sustinebimus, et conregnabimus* (2). Laboribus ille et cruciatibus sponte susceptis, cru datum et laborum mirifice vim delenivit : nec solum exemplo, sed gratia sua perpetuaeque mercedis spe proposita, perpessionem dolorum effecit faciliorem : *id enim, quod in praesenti est*

(1) Iac. v, 4.
(2) II ad Tim. II, 12.

momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in caelis (1).

Itaque fortunati monentur, non vacuitatem doloris afferre, nec ad felicitatem aevi sempiterni quicquam prodesse divitias, sed potius obesse (2) : terrori locupletius esse debere Iesu Christi insuetas minas (3) : rationem de usu fortunarum Deo iudici severissime aliquando reddendam. De ipsis opibus utendis excellens ac maximi momenti doctrina est, quam si philosophia incolla tam, at Ecclesia tradidit perfectam plane, eademque efficit ut non cognitione tantum, sed moribus teneatur. Cuius doctrinae in eo-est fundamentum positum, quod iusta possessio pecuniarum a iusto pecuniarum usu distinguitur. Bona privatim possidere, quod paulo ante vidimus, ius est homini naturale: eoque uti iure, maxime in societate vitae, non fas modo est, sed plane necessarium. *Licitum est, quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam* (4). At vero si illud quaeratur, qualem esse usum bonorum necesse sit, Ecclesia quidem sine ulla dubitatione respondet : *quantum ad hoc, non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit: divitibus huius saeculi praecipe.... facile tribuere, communicare* (5). Nemo certe opitulari aliis de eo iubetur, quod ad usus pertineat cum suos tum suorum necessarios : immo nec tradere aliis quo ipse egeat ad id servandum quod personae conveniat, quodque deceat : *nullus enim inconvenienter vivere debet* (6). Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratifican indigentibus. *Quod superest, date eleemosgnam* (7). Non iustitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed caritatis christianae, quam profecto lege agendo petere ius non est. Sed legibus iudiciisque hominum lex antecedit iudiciumque Christi Dei, qui multis modis suadet consuetudinem largiendi; *beatius est magis dare, quam accipere* (8) : et collatam negatamve pauperibus be-

(1) II Cor. IV, 17.
(2) Matth. XIX, 23-24.
(3) Luc. VI, 24-25.
(4) II-II Quaest. LXVI, a. II.
(5) II-II Quaest. LXV, a. II.
(6) II-II Qnaest. XXXII, a. VI.
(7) Luc. XI, 41.
(S) Actor, XX, 35.

îieflcientiam perinde est ac sibi collatam negatamve iudicaturus. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (1). = Quarum rerum haec summa est : quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc caussam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. *Habens ergo talentum, curet omnino ne taceat; habens rerum affluentiam, vigilet ne a misericordiae largitate tor pescai: habens artem qua regitur, magnopere studeat ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur* (2).

Bonis autem fortunae qui careant, ii ab Ecclesia perdocentur, non probro haberi, Deo iudice, paupertatem, nec eo pudendum, quod victus labore quaeratur. Idque confirmavit re et facto Christus Dominus, qui pro salute hominum *egenus factus est, cum esset dives* (3) : cumque esset filius Dei ac Deus ipsemet, videri tamen ac putari fabri filius voluit: quin etiam magnam vitae partem in opere fabrili consumere non recusavit. *Nonne hic est faber, filius Mariae ?* (4) Huius divinitatem exempli intuentibus, ea facilius intelliguntur: veram hominis dignitatem atque excellentiam in moribus esse, hoc est in virtute, positam : virtutem vero commune mortalibus patrimonium, imis et summis, divitibus et proletariis aeque parabile : nec aliud quippiam quam virtutes et merita, in quocumque reperiantur, mercedem beatitudinis aeternae sequuturam. Immo vero in calamitosorum genus propensior Dei ipsius videtur voluntas : beatos enim Iesus Christus nuncupat pauperes (5): invitat peramanter ad se, solatii caussa, quicumque in labore sint ac luctu (6): intimos et iniuria vexatos complectitur caritate praecipua. Quarum cognitione rerum facile in fortunatis deprimitur tumens animus, in aerumnosis demissus extollitur : alteri ad facilitatem, alteri ad modestiam nectuntur. Sic cupitum superbiae intervallum efficitur brevius, nec difficulter impetrabitur ut ordinis utriusque, iunctis amice dextris, copulentur voluntates.

(1) Matth. XXV, 40.
(2) S. Greg. Magn. in Evang. *Rom.* IX, n. 7,
(3) Il Corintli, VIII, 9.
(4) Marc, VI, 3.
(B) Matth, v, 3: *Beati pauperes spiritu.*
(6) Matth. Xl, 28 : *Venite ad me omnes, oui laboratis et onerati estis, ct ego reficiam vos.*

Quos tamen, si christianis praeceptis paruerint, parum est amicitia, amor etiam fraternus inter se coniugabit. Sentient enim et intelligent, omnes plane homines a communi parente Deo procréâtes: omnes ad eumdem finem bonorum tendere, qui Deus est ipse, qui afficere beatitudine perfecta atque absoluta et homines et Angelos unus potest: singulos item pariter esse Iesu Christi beneficio redemptus et in dignitatem filiorum Dei vindicatos, ut plane necessitudine fraterna cum inter se tum etiam cum Christo Domino, *primogenito in multis fratribus,* contineantur. Item naturae bona, munera gratiae divinae pertinere communiter et promiscue ad genus hominum universum, nec quemquam, nisi indignum, bonorum caelestium fieri exhereden!. *St autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes- autem Christi* **(1).**

Talis est forma officiorum ac iurium, quam christiana philosophia profitetur. Nonne quieturum perbrevi tempore certamen omne videatur, ubi illa in civili convictu valeret?

Denique nec satis habet Ecclesia viam inveniendae curationis ostendere, sed admovet sua manu medicinam. Nam tota in eo est ut ad disciplinam doctrinamque suam excolat homines atque instituat: cuius doctrinae salubérrimos rivos, Episcoporum et Cleri opera, quam latissime potest, curat deducendos. Deinde pervadere in animos nititur flectereque voluntates; ut divinorum disciplina praeceptorum regi se gubernarique patiantur. Atque in hac parte, quae princeps est ac permagni momenti, quia summa utilitatum caussaque tota in ipsa consistit, Ecclesia quidem una potest maxime. Quibus enim instrumentis ad permovendos animos utitur, ea sibi hanc ipsam ob caussam tradita a Iesu Christo sunt, virtutemque habent divinitus insitam. Istiusmodi instrumenta sola sunt, quae cordis attingere penetrales sinus apte queant, hominemque adducere ut obedientem se praebeat officio, motus animi appetentis regat, Deum et proximos caritate diligat singulari ac summa, omniaque animose perrumpat, quae virtutis impediunt cursum. — Satis est in hoc genere exempla veterum paulisper cogitatione repetere. Res et facta commemoramus, quae dubitationem nullam habent: scilicet civilem hominum communitatem funditus esse institutis christianis renovatam: huiusce virtute renovationis ad

(1) Rom. VIII, 17.

meliora promotum genus humanum, immo revocatum ab interitu ad vitam, auctumque perfectione tanta, ut nec extiterit ulla antea, nec sit in omnes consequentes aetates futura maior. Denique Iesum Christum horum esse beneficiorum principium eumdem et finem : ut ab eo profecta, sic ad eum omnia referenda. Nimirum accepta Evangelii luce, cum incarnationis Verbi hominumque redemptionis grande mysterium orbis terrarum didicisset, vita Iesu Christi Dei et hominis pervasit civitates, eiusque fide et praeceptis et legibus totas imbuit. Quare si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur. De societatibus enim dilabentibus illud rectissime praecipitur, revocari ad origines suas, cum restitui volunt, oportere. Haec enim omnium consociationum perfectio est, de eo laborare idque assequi, cuius gratia institutae sunt : ita ut motus actusque sociales eadem caussa pariat, quae peperit societatem. Quamobrem declinare ab instituto, corruptio est: ad institutum redire, sanatio. Verissimeque id quemadmodum de toto reipublicae corpore, eodem modo de illo ordine civium dicimus, qui vitam sustentant opere, quae est longe maxima multitudo.

Nec tamen putandum, in colendis animis totas esse Ecclesiae curas ita defixas, ut ea negligat quae ad vitam pertinent mortalem ac terrenam. — De proletariis nominatim vult et contendit ut emergant e miserrimo statu fortunamque meliorem adipiscantur. Atque in id confert hoc ipso operam non mediocrem, quod vocat et instituit homines ad virtutem. Mores enim christiani, ubi serventur integri, partem aliquam prosperitatis sua sponte pariunt rebus externis, quia conciliant principium ac fontem omnium bonorum Deum : coercent geminas vitae pestes, quae nimium saepe hominem efficiunt in ipsa opum abundantia miserum, rerum appetentiam nimiam et voluptatum sitim **(1):** contenti denique cultu victuque frugi, vectigal parsimonia supplent, procul a vitiis, quae non modo exiguas pecunias, sed maximas etiam copias exhauriunt, et lauta patrimonia dissipant. Sed praeterea, ut bene habeant proletarii, recta providet, instituendis fovendisque rebus, quas ad sublevandam eorum inopiam intelligat conducibiles. Quin in hoc etiam genere beneficiorum ita semper excelluit, ut ab ipsis inimicis praedi-

(1) *B'idix omnium malorum est cupiditas.* **I** Tim, **VI,** 10.

catione enera tur. Ea vis erat apud vetustissimos christianos caritatis mutuae, ut persaepe sua se re privarent, opitulandi caussa, divitiores : quamobrem *neque... quisquam egens erat inter illos* **(1).** Diaconis, in id nominatim ordine instituto, datum ab Apostolis negotium, ut quotidianae beneficientiae exercerent munia : ac Paulus Apostolus, etsi sollicitudine districtus omnium Ecclesiarum, nihilominus dare se in laboriosa itinera non dubitavit, quo ad tenuiores christianos stipem praesens afferret. Cuius generis pecunias, a christianis in unoquoque conventu ultro collatas, *deposita pietatis* nuncupat Tertullianus, quod scilicet insumerentur *egenis alendis humandisque, et pueris ae puellis, re ac parentibus destitutis, inque domesticis senibus, item naufragi s* (2). — Hinc sensim illud extitit patrimonium, quod religiosa cura tamquam rem familiarem indigentium Ecclesia custodivit. Immo vero subsidia miserae plebi, remissa rogandi verecundia, comparavit. Nam et locupletium et indigentium communis parens, excitata ubique ad excellentem magnitudinem caritate, collegia condidit sodalium religiosorum, aliaque utiliter permulta instituit, quibus opem ferentibus, genus miseriarum prope nullum esset, quod solatio careret. Hodie quidem multi, quod eodem modo fecere olim ethnici, ad arguendam transgrediuntur Ecclesiam huius etiam tam egregiae caritatis: cuius in locum subrogare visum est constitutam legibus publicis beneficientiam. Sed quae christianam caritatem suppleant, totam se ad alienas porrigentem utilitates, artes humanae nullae reperientur. Ecclesiae solius est illa virtus, quia nisi a sacratissimo Iesu Christi corde ducitur, nulla est uspiam : vagatur autem a Christo longius, quicumque ab Ecclesia discesserit.

At vero non potest esse dubium quin, ad id quod est propositum, ea quoque, quae in hominum potestate sunt, adiumenta requirantur. Omnino omnes, ad quos caussa pertinet, eodem intendant idemque laborent pro rata parte necesse est. Quod habet quamdam cum moderatrice mundi providentia similitudinem : fere enim videmus rerum exitus a quibus caussis pendent, ex earum omnium conspiratione procedere.

(1) Act. IV, 34..
(2) Apol. II. XXXIX

Iamvero quota pars remedii a republica expectanda sit, praestat exquirere. — Rempublicam hoc loco intelligimus non quali populus utitur unus vel alter, sed qualem et vult recta ratio naturae congruens, et probant divinae documenta sapientiae, quae Nos ipsi nominatim in litteris Encyclicis de civitatum constitutione christiana explicavimus. Itaque per quos civitas regitur, primum conferre operam generatim atque universe debent tota ratione legum atque institutorum, scilicet efficiendo ut ex ipsa conformatione atque administratione reipublicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat. Id est enim civilis prudentiae munus, propriumque eorum, qui praesunt, officium. Nunc vero illa maxime efficiunt prosperas civitates, morum probitas, recte atque ordine constitutae familiae, custodia religionis ac iustitiae, onerum publicorum cum moderata irrogatio, tum aequa partitio, incrementa artium et mercaturae, florens agrorum cultura, et si qua sunt alia generis eiusdem, quae quo maiore studio provehuntur, eo melius sunt victuri cives et beatius. - Harum igitur virtute rerum in potestate rectorum civitatis est, ut ceteris prodesse ordinibus, sic et proletariorum conditionem iuvare plurimum : idque iure suo optimo, neque ulla cum importunitatis suspicione : debet enim respublica ex lege muneris sui in commune consulere. Quo autem commodorum copia provenerit ex hac generali providentia maior, eo minus oportebit alias ad opificum salutem experiri vias.

Sed illud praeterea considerandum, quod rem altius attingit, unam civitatis esse rationem, communem summorum atque infirmorum. Sunt nimirum proletarii pari iure cum locupletibus natura cives, hoc est partes verae vitamque viventes, unde constat, interiectis familiis, corpus reipublicae : ut ne illud adiungatur, in omni urbe eos esse numero longe maximo. Cum igitur illud sit perabsurdum, parti civium consulere, partem negligere, consequitur, in salute commodisque ordinis proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportere : ni fìat, violatimi iri iustitiam, suum cuique tribuere praecipientem. Qua de re sapienter S. Thomas : *sicut pars et totum quodammodo sunt idem, ita id, quod est totius, quodammodo est partis* **(1).** Proinde in officiis non paucis neque levibus populo bene consu-

(1) **II-II Quaest. LXI, a. I ad 2.**

lentium principum, illud in primis eminet, ut unumquemque civium ordinem aequabiliter tueantur, eâ nimirum, quae *distributiva* appellatur, iustitia inviolate servanda.

Quamvis autem cives universos, nemine excepto, conferre aliquid in summam bonorum communium necesse sit, quorum aliqua pars virilis sponte recidit in singulos, tamen idem et ex aequo conferre nequaquam possunt. Qualescumque sint in imperii generibus vicissitudines, perpetua futura sunt ea in civium statu discrimina, sine quibus nec esse, nec cogitari societas ulla posset. Omnino necesse est quosdam reperiri, qui se reipublicae dedant, qui leges condant, qui ius dicant, denique quorum consilio atque auctoritate negotia urbana, res bellicae administrentur. Quorum virorum priores esse partes, eosque habendos in omni populo primarios, nemo non videt, propterea quod communi bono dant operam proxime atque excellenti ratione. Contra vero qui in arte aliqua exercentur, non eâ, qua illi, ratione nec iisdem muneribus prosunt civitati : sed tamen plurimum et ipsi, quamquam minus directe, utilitati publicae inserviunt. Sane sociale bonum cum debeat esse eiusmodi, ut homines eius fiant adeptione meliores, est profecto in virtute praecipue collocandum. Nihilominus ad bene constitutam civitatem suppeditatio quoque pertinet bonorum corporis atque externorum, *quorum usus est necessarius ad actum virtutis* (1). Iamvero his pariendis bonis est proletariorum maxime efficax ac necessarius labor, sive in agris artem atque manum, sive in officinis exerceant. Immo eorum in hoc genere vis est atque efficientia tanta, ut illud verissimum sit, non aliunde quam ex opificum labore gigni divitias civitatum. Iubet igitur aequitas, curam de proletario publice geri, ut ex eo, quod in communem affert utilitatem, percipiat ipse aliquid, ut tectus, ut vestitus, ut salvus vitam tolerare minus aegre possit. Unde consequitur, favendum rebus omnibus esse quae conditioni opificum quoquo modo videantur profuturae. Quae cura tantum abest ut noceat cuiquam, ut potius profutura sit universis, quia non esse omnibus modis eos miseros, a quibus tam necessaria bona proficiscuntur, prorsus interest reipublicae.

Non civem, ut diximus, non familiam absorben a republica rectum est : suam utrique facultatem agendi cum libertate per-

(1) S. Thom., De reg. Princip. I. c. XV.

mittere aequum est, quantum incolumi bono communi et sine cuiusquam iniuria potest. Nihilominus eis, qui imperant, videndum ut communitatem eiusque partes tueantur. Communitatem quidem, quippe quam summae potestati conservandam natura commisit usque eo, ut publicae custodia salutis non modo suprema lex, sed tota caussa sit rati oque principatus: partes vero, quia procurationem reipublicae non ad utilitatem eorum, quibus commissa est, sed ad eorum, qui commissi sunt, natura pertinere, philosophia pariter et fides christiana consentiunt. Cumque imperandi facultas profìciscatur a Deo, eiusque sit communicatio quaedam summi principatus, gerenda ad exemplar est potestatis divinae, non minus rebus singulis quam universis cura paterna consulentis. Si quid igitur detrimenti allatum sit aut impendeat rebus communibus, aut singulorum ordinum rationibus, quod sanari aut prohiberi alia ratione non possit, obviam iri auctoritate publica necesse est. - Atqui interest: salutis cum publicae, tum privatae pacatas esse res et compositas : item dirigi ad Dei iussa naturaeque principia omnem convictus domestici disciplinam : observari et coli religionem : florere privatim ac publice mores integros, sanctam retineri iustitiam, nec alteros ab alteris impune violari : validos adolescere cives, iuvandae tutandaeque, si res postulet, civitati idoneos. Quamobrem si quando fiat, ut quippiam turbarum impendeat ob secessionem opificum, aut intermissas ex composito operas : ut naturalia familiae nexa apud proletarios relaxentur : ut religio in opificibus violetur non satis impertiendo commodi ad officia pietatis : si periculum in officinis integritati morum ingruat a sexu promiscuo, aliisve perniciosis invitamentis peccandi : aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus, vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat : si valetudini noceatur opere immodico, nec ad sexum aetatemve accomodato, his in caussis plane adhihenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. Quos fines eadem, quae legum poscit opem, caussa determinat : videlicet non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio, vel periculi depulsio requirat.

Iura quidem, in quocumque sint, sancte servanda sunt: atque ut suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis iniuriis. Nisi quod in ipsis protegendis privatorum iuribus, praecipue est infirmorum atque

inopum habenda ratio. Siquidem natio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutela publica : miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime nititur. Quocirea mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiâque singulari complecti respublica.

Sed quaedam maioris momenti praestat nominatim perstringere. — Caput autem est, imperio ac munimento legum tutari privatas possessiones oportere. Potissimumque, in tanto iam cupiditatum ardore, continenda in officio plebs : nam si ad meliora contendere concessum est, non repugnante iustitia, at alteri, quod suum est, detrahere, ac per speciem absurdae cuiusdam aequabilitatis in fortunas alienas involare, iustitia vetat, nec ipsa communis utilitatis ratio sinit. Utique pars opificum longe maxima res meliores honesto labore comparare sine cuiusquam iniuria malunt: verumtamen non pauci numerantur pravis imbuti opinionibus rerumque novarum cupidi, qui id agunt omni ratione ut turbas moveant, ac ceteros ad vim impellant. Intersit igitur reipublicae auctoritas, iniectoque concitatoribus freno, ab opificum moribus corruptrices artes, a legitimis dominis periculum rapinarum coerceat.

Longinquior vel operosior labor, atque opinatio curtae mercedis caussam non raro dant artificibus quamobrem opere se solvant ex composito, otioque dedant voluntario. Cui quidem incommodo usitato et gravi medendum publice, quia genus istud cessationis non heros dumtaxat, atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest reique publicae utilitatibus : cumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit. Qua in re illud magis efficax ac salubre, anteyertere auctoritate legum, malumque ne erumpere possit prohibere, amotis mature caussis, unde dominorum atque operariorum conflictus videatur extiturus.

Similique modo plura sunt in opifice, praesidio munienda reipublicae : ac primum animi bona. Siquidem vita mortalis quantumvis bona et optabilis, non ipsa tamen illud est ultimum, ad quod nati sumus : sed via tantummodo atque instrumentum ad animi vitam perspicienda veri et amore boni complendam. Animus est, qui expressam gerit imaginem similitudinemque divinam, et in quo principatus ille residet, per quem dominari iussus est homo in inferiores naturas, atque efficere utilitati suae terras omnes et maria parentia. *Replete terram et $ubiieite*

eam : et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus, quae moventur super terram (1). Sunt omnes homines hac in re pares, nec quippiam est quod inter divites atque inopes, inter dominos et famulos inter principes privatosque differat : *nam idem dominus omnium* (2). Nemini licet hominis dignitatem, de qua Deus ipse disponit *eum magna reverentia,* impune violare, neque ad eam perfectionem impedire cursum, quae sit vitae in caelis sempiternae consentanea. Quin etiam in hoc genere tractari se non convenienter naturae suae, animique servitutem servire velle, ne sua quidem sponte homo potest: neque enim de iuribus agitur, de quibus sit integrum homini, verum de officiis adversus Deum, quae necesse est sancte servari. — Hinc consequitur requies operum et laborum per festos dies necessaria. Id tamen nemo intelligat de maiore quadam inertis otii usura, multoque minus de cessatione, qualem multi expetunt, fautrice vitiorum et ad effusiones pecuniarum adiutrice, sed omnino de requiete operum per religionem consecrata. Coniuncta cum religione quies sevocat hominem a laboribus negotiisque vitae quotidianae ut ad cogitanda revocet bona caelestia, tribuendumque cultum numini aeterno iustum ac debitum. Haec maxime natura atque haec caussa quietis est in dies festos capiendae : quod Deus et in Testamento veteri praecipua lege sanxit : *memento ut diem sabbati santifiees* (3) ; et facto ipse suo docuit, arcana requiete, statim posteaquam fabricatus hominem erat, sumpta : *requievit die septimo ab universo opere quod patrarat* (4).

Quod ad tutelam bonorum corporis et externorum, primum omnium eripere miseros opifices e saevitia oportet hominum cupidorum, personis pro rebus ad quaestum intemperanter abutentem. Scilicet tantum exigi operis, ut hebescat animus labore nimio, unaque corpus defatigationi succumbat, non iustitia, non humanitas patitur. In homine, sicut omnis natura sua, ita et vis efficiens certis est circumscripta finibus, extra quos egredi non potest. Acuitur illa quidem exercitatione atque usu, sed hac tamen lege ut agere intermittat identidem et acquiescat. De quotidiano igitur opere videndum ne in plures extrahatur horas,

fi) Gen. I, 28.
(2) Rom. X, 12.
(3) Exod, XX, 8.
(4) Gen. II. 2.

quam vires sinant. Intervalla vero quiescendi quanta esse oporteat, ex vario genere operis, ex adiunctis temporum et locorum, ex ipsa opificum- valetudine iudicandum. Quorum est opus lapidem e terra excindere, aut ferrum, aes, aliaque id genus effodere penitus abdita, eorum labor, quia multo maior est idemque valetudini gravis, cum brevitate temporis est compensandus. Anni quoque dispicienda tempora: quia non raro idem operae genus alio tempore facile est ad tolerandum, alio aut tolerari nulla ratione potest, aut sine summa difficultate non potest. — Denique quod facere enitique vir adulta aetate beneque validus potest, id a femina puerove non est aequum postulare. Immo de pueris valde cavendum, ne prius officina capiat, quam corpus, ingenium, animum satis firmaverit aetas. Erumpentes enim in pueritia vires, velut herbescentem viriditatem, agitatio praecox elidit : qua ex re omnis est institutio puerilis interitura. Sic certa quaedam artificia minus apte conveniunt in feminas ad opera domestica natas: quae quidem opera et tuentur magnopere in muliebri genere decus, et liberorum institutioni prosperitatique familiae natura respondent. Universe autem statuatur, tantum esse opificibus tribuendum otii, quantum cum viribus compensetur labore consumptis : quia detritas usu vires debet cessatio restituere. In omni obligatione, quae dominis atque artificibus invicem contrahatur, haec semper aut adscripta aut tacita conditio inest, utrique generi quiescendi ut cautum sit: neque enim honestum esset convenire secus, quia nec postulare cuiquam fas est, nec spondere neglectum officiorum, quae vel Deo vel sibimetipsi hominem obstringunt

Rem hoc loco attingimus sat magni momenti : quae recte intelligatur necesse est, in alterutram partem ne peccetur. Videlicet salarii definitur libero consensu modus : itaque dominus rei, pacta mercede persoluta, liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam videatur. Tunc solum fieri iniuste, si vel pretium dominus solidum, vel obligatas artifex operas reddere totas recusaret : his caussis rectum esse potestatem politicam intercedere, ut suum cuique ius incolume sit, sed praeterea nullis. — Cui argumentationi aequus rerum iudex non facile, neque in totum assentiatur, quia non est absoluta omnibus partibus : momentum quoddam rationis abest maximi ponderis. Hoc est enim operari, exercere se rerum comparandarum caussa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem

sui necessariae. *In sudore vultus tui vesceris pane* **(1).** Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut *personalis* sit, quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo exercetur, et cuius est utilitati nata : deinde ut sit *necessarius,* ob hanc caussam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam: vitam autem tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura iubet. Iamvero si ex ea dumtaxat parte spectetur quod personalis est, non est dubium quin integrum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum : quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede vel tenui vel plane nulla contentus esse voluntate potest. Sed longe aliter iudicandum si cum ratione *personalitatis* ratio coniungitur *necessitatis,* cogitatione quidem non re ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc ius reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur : quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex .atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant : subest tamen semper aliquid ex iustitia naturali, idque libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali peioris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia réclamât. — Verumtamen in his similibusque caussis, quales illae sunt in unoquoque genere artificii quota sit elaborandum hora, quibus praesidiis valetudini maxime in officinis cavendum, ne magistratus inferat sese importunius, praesertim cum adiuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res iudicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae.

Mercedem si ferat opifex satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat, facile studebit parsimoniae, si sapit, efficietque, quod ipsa videtur natura monere, ut detractis sumptibus, aliquid etiam redundet, quo sibi liceat ad mo-

(1) Gen. III, 19.

dicum censum pervenire. Neque enim efficaci ratione dirimi caussam, de qua agitur, posse vidimus, nisi hoc sumpto et constituto, ius privatorum bonorum sanctum esse oportere. Quamobrem favere huic iuri leges debent, et, quoad potest, providere ut quamplurimi ex multitudine rem habere malint. Quo facto, praeclarae utilitates consecutura^ sunt : ac primum certe aequior partitio bonorum. Vis enim commutationum civilium in duas civium classes divisit urbes, immenso inter utramque discrimine interiecto. Ex una parte factio praepotens, quia praedives : quae cum operum et mercaturae universum genus sola potiatur, facultatem omnem copiarum effectricem ad sua commoda ac rationes trahit, atque in ipsa administratione reipublicae non parum potest. Ex altera inops atque infirma multitudo, exulcerato animo et ad turbas semper parato. Iamvero si plebis excitetur industria in spem adipiscendi quippiam, quod solo contineatur, sensim fiet ut alter ordo evadat finitimus alteri, sublato inter summas divitias summamque e gestatem discrimine. — Praeterea rerum, quas terra gignit, maior est abundantia futura. Homines enim, cum se elaborare sciunt in suo, alacritatem adhibent studiumque longe maius: immo prorsus adamare terram instituunt sua manu percultam, unde non alimenta tantum, sed etiam quamdam copiam et sibi et suis expectant. Ista voluntatis alacritas, nemo non videt quam valde conferat ad ubertatem fructum, augendasque divitias civitatis. Ex quo illud tertio loco manabit commodi, ut qua in civitate homines editi susceptique in lucem sint, ad eam facile retineantur: neque enim patriam cum externa regione commutarent, si vitae degendae tolerabilem daret patria facultatem. Non tamen ad haec commoda perveniri nisi ea conditione potest, ut privatus census ne exhauriatur immanitate tributorum et vectigalium. Ius enim possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ipsius usum temperare et cum communi bono componere auctoritas publica potest. Faciat igitur iniuste atque inhumane, si de bonis privatorum plus aequo, tributorum nomine, detraxerit.

Postremo domini ipsique opifices multum hac in caussa possunt, iis videlicet institutis, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et ordo alter propius accedat ad alterum. Numeranda in hoc genere sodalitia ad suppetias mutuo ferendas :

res varias, privatorum providentia constitutas, ad cavendum opifìci, itemque orbitati uxoris et liberorum, si quid humanitus accidat: instituti patronatus pueris, puellis, adolescentibus natuque maioribus tutandis. Sed principem locum obtinent sodalitia artificum, quorum complexu fere cetera continentur. Fabrum corporatorum apud maiores nostros diu bene facta constitere. Revera non modo utilitates praeclaras artificibus, sed artibus ipsis, quod perplura monumenta testantur, decus atque incrementum peperere. Eruditiore nunc aetate, moribus novis, auctis etiam rebus quas vita quotidiana desiderat, profecto sodalitia opificum flecti ad praesentem usum necesse est. Vulgo coiri eius generis societates, sive tota ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas, gratum est : optandum vero ut numero et actuosa virtute crescant. Etsi vero de iis non semel verba fecimus, placet tamen hoc loco ostendere, eas esse valde opportunas, et iure suo coalescere : item qua illas disciplina uti, et quid agere oporteat.

Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adiungere. Sacrarum litterarum est illa sententia : *melius est duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcitur. Vete soli: quia cum ceciderit, [non habet sublevantem se* (1). Atque illa quoque: *frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (2). Hac homo propensione naturali sicut ad coniunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societates expetit, exiguas illas quidem nec perfectas, sed societates tamen. Inter has et magnam illam societatem ob differentes caussas proximas interest plurimum. Finis enim societati civili propositus pertinet ad universos, quoniam communi continetur bono : cuius omnes et singulos pro portione compotes esse ius est. Quare appellatur *publica* quia per eam *homines sibi invicem communicant in una republica constituenda* (3) Contra vero, quae in eius velut sinu iunguntur societates, privatae habentur et sunt, quia videlicet illud, quo proxime spectant, privata utilitas est, ad solos pertinens consociatos. *Privata autem societas est, quae ad aliquod negotium privatum exercendum coniungitur, sicut quod*

(1) Eccl. IV, 9-12.

(2) Prov. XVIII, 19.

(3) S. Thom. ***Contra impugnantes Dei cultum et religionem,*** cap. II.

duo vel tres societatem ineunt, ut simul negotientur (1). Nunc vero quamquam societates privatae existunt in civitate, eiusque sunt velut-partes totidem, tamen universe ac per se non est in potestate reipublicae ne existant prohibere. Privatas enim societates inire concessum est homini iure naturae: est autem ad praesidium iuris naturalis instituta civitas, non ad interitum: eaque sit civium coetus soci ari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsa quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles. — Incidunt aliquando tempora cum ei generi communitatum rectum sit leges obsistere: scilicet si quidquam ex instituto persequantur, quod cum probitate, cum iustitia, cum reipublicae salute aperte dissideat. Quibus in caussis iure quidem potestas publica, quo minus illae coalescant, impediet: iure etiam dissolvet coalitas: summam tamen adhibeat cautionem necesse est, ne iura civium migrare videatur, neu quidquam per speciem utilitatis publicae statuat, quod ratio non probet. Eatenus enim obtemperandum legibus, quoad cum recta ratione adeoque cum lege Dei sempiterna consentiant (2).

Sodalitates varias hic reputamus animo et collegia et ordines religiosos, quos Ecclesiae auctoritas et pia christianorum voluntas genuerant; quanta vero cum salute gentis humanae, usque ad nostram memoriam historia loquitur. Societates eiusmodi, si ratio sola diiudicet, cum initae honesta caussa sint, iure naturali initas apparet fuisse. Qua vero parte religionem attingunt, sola est Ecclesia cui iuste pareant. Non igitur in eas quicquam sibi arrogare iuris, nec earum ad se traducere administrationem recte possunt qui praesint civitati: eas potius officium est reipublicae vereri, conservare, et, ubi res postulaverint, iniuria prohibere. Quod tamen longe aliter fieri hoc praesertim tempore vidimus. Multis locis communitates huius generis respublica violavit, ac multiplici quidem iniuria: cum et civilium legum nexo devinxerit, et legitimo iure personae moralis exuent, et fortunis suis despoliarit. Quibus in fortunis suum

(1) ib.

(2) ***Lex humana in tantum habet rationem [legis, in quantum est secundum rationem rectam, et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sie non habet rationem legis, sed magis violentiae cuiusdam.*** (S. Thom. Summ. Theol. I-II, Qaaest. XIII, a. III).

habebat Ecclesia ius, suum singuli sodales, item qui eas certae cuidam caussae addixerant, et quorum essent commodo ac solatio addictae. Quamobrem temperare animo non possumus quin spoliationes eiusmodi tam iniustas ac perniciosas conquirantur, eo vel magis quod societatibus catholicorum virorum, pacatis iis quidem et in omnes partes utilibus, iter praecludi videmus, quo tempore edicitur, utique coire in societatem per leges licere: eaque facultas large revera hominibus permittitur consilia agitantibus religioni simul ac reipublicae perniciosa.

Profecto consociationum diversissimarum, maxime ex opificibus, longe nunc maior, quam alias frequentia. Plures unde ortum ducant, quid velint, qua grassentur via, non est huius loci quaerere. Opinio tamen est, multis confirmata rebus, praeesse ut plurimum occultiores auctores, eosdemque disciplinam adhibere non christiano nomini, non saluti civitatum consentaneam: occupataque efficiendorum operum universitate, id agere ut qui secum consociari recusarint, luere poenas egestate cogantur. — Hoc rerum statu, alterutrum malint artifices christiani oportet, aut nomen collegiis dare, unde periculum religioni extimescendum: aut sua inter se sodalitia condere, viresque hoc pacto coniungere, quo se animose queant ab illa iniusta ac non ferenda oppressione redimere. Omnino optari hoc alterum necesse esse, quam potest dubitationem apud eos habere, qui nolint summum hominis bonum in praesentissimum discrimen coniicere?

Valde quidem laudandi complures ex nostris, qui probe perspecto quid a se tempora postulent, experiuntur ac tentant qua ratione proletarios ad meliora adducere honestis artibus possint. Quorum patrocinio suscepto, prosperitatem augere cum domesticam, tum singulorum student; item moderari cum aequitate vincula, quibus invicem artifices et domini continentur: alere et confirmare in utrisque memoriam officii atque evangelicorum custodiam praeceptorum; quae quidem praecepta, hominem ab intemperantia revocando, excedere modum vetant, personarumque et rerum dissimillimo statu harmoniam in civitate tuentur. Hac de caussa unum in locum saepe convenire videmus viros egregios, quo communicent consilia invicem, viresque iungant, et quid maxime expedire videatur, consultent. Alii varium genus artificum opportuna copulare societate student; consilio ac re iuvant, opus ne desit honestum ac fructuo-

sum, provident. Alacritatem addunt ac patrocinium impertiunt Episcopi: quorum auctoritate auspiciisque plures ex utroque ordine Cleri, quae ad excolendum animum pertinent, in consociatis sedulo curant. Denique catholici non desunt copiosis divitiis, sed mercenariorum velut consortes voluntarii, qui constituere lateque fundere grandi pecunia consociationes adnitantur : quibus adiuvantibus facile opifici liceat non modo commoda praesentia, sed etiam honestae quietis futurae fiduciam sibi labore quaerere. Tam multiplex tamque alacris industria quantum attulerit rebus communibus boni plus est cognitum, quam ut attineat dicere. Hinc iam bene de reliquo tempore sperandi auspicia sumimus, modo societates istiusmodi constanter incrementa capiant, ac prudenti temperatione constituantur. Tutetur hos respublica civium coetus iure sociatos : ne trudat tamen sese in eorum intimam rationem ordinemque vitae : vitalis enim motus cietur ab interiore principio, ac facillime sane pulsu eliditur externo.

Est profecto temperatio ac disciplina prudens ad eam rem necessaria, ut consensus in agendo fiat conspiratioque voluntatum. Proinde si libera civibus coeundi facultas est, ut profecto est, ius quoque esse oportet eam libere optare disciplinam easque leges, quae maxime conducere ad id, quod propositum est, iudicentur. Eam, quae memorata est, temperationem disciplinamque collegiorum qualem esse in partibus suis singulis oporteat, decerni certis definitisque regulis non censemus posse, cum id potius statuendum sit ex ingenio cuiusque gentis, ex periclitatione et usu, ex genere atque efficientia operum, ex amplitudine commerciorum, aliisque rerum ac temporum adiunctis, quae sunt prudenter ponderanda. Ad summam rem quod spectat, haec tamquam lex generalis ac perpetua sanciatur, ita constitui itaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit ut singuli e societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur. Perspicuum vero est, ad perfectionem pietatis et morum tamquam ad caussam praecipuam spectari oportere : eaque potissimum caussa disciplinam socialem penitus dirigendam. Secus enim degenerarent in aliam formam, eique generi collegiorum, in quibus nulla ratio religionis haberi solet, haud sane multum praestarent. Ceterum quid prosit opifici rerum

copiam societate quaesisse, si ob inopiam cibi sui de salute periclitetur anima ? *Quid prodest homini, si mundum universum tueretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* (1) Hanc quidem docet Christus Dominus velut notam habendam, qua ab ethnico distinguatur homo christianus : *haec omnia gentes inquirunt... quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haee omnia adiicientur vobis* (2). Sumptis igitur a Deo principiis, plurimum eruditioni religiosae tribuatur loci, ut sua singuli adversus Deum officia cognoscant: quid credere oporteat, quid sperare atque agere salutis sempiternae caussa, probe sciant: curaque praecipua adversus opinionum errores variasque corruptelas muniantur. Ad Dei cultum studiumque pietatis excitetur opifex, nominatim ad religionem dierum festorum colendam. Vereri diligereque communem omnium parentem Ecclesiam condiscat : itemque eius et obtemperare praeceptis et sacramenta frequentare, quae sunt ad expiandas animi labes sanctitatemque comparandam instrumenta divina.

Socialium legum posito in religione fundamento, pronum est iter ad stabiliendas sociorum rationes mutuas, ut convictus quietus ac res florentes consequantur. Munia sodalitatum dispartienda sunt ad communes rationes accomodate, atque ita quidem ut consensum ne minuat dissimilitudo. Officia partiri intelligenter, perspicueque definiri, plurimum ob hanc caussam interest, ne cui fiat iniuria. Commune administretur integre, ut ex indigentia singulorum praefiniatur opitulandi modus: iura officiaque dominorum cum iuribus officiisque opificum apte conveniant. Si qui ex alterutro ordine violatimi se ulla re putarit, nihil optandum magis, quam adesse eiusdem corporis viros prudentes atque integros, quorum arbitrio litem dirimi leges ipsae sociales iubeant. Illud quoque magnopere providendum ut copia operis nullo tempore deficiat opiflcem, utque vectigal suppeditet, unde necessitati singulorum subveniatur nec solum in subitis ac fortuitis industriae casibus, sed etiam cum valetudo, aut senectus, aut infortunium quemquam oppressit. - His legibus, si modo voluntate accipiantur, satis erit tenuiorum commodis ac saluti consultum : consociationes autem catholicorum non minimum ad prosperitatem momenti in civitate sunt habi-

(1) Matth. XVI, 36.
(2) Matth. VI, 32-33.

turae. Ex eventis praeteritis non temere providemus futura. Truditur enim aetas aetate, sed rerum gestarum mirae sunt similitudines, quia reguntur providentia Dei, qui continuationem seriemque rerum ad eam caussam moderatur ac flectit, quam sibi in procreatione generis humani praestituit. - Christianis in prisca Ecclesiae adolescentis aetate probro datum accepimus, quod maxima pars stipe precaria aut opere faciendo victitarent Sed destituti ab opibus potentiaque, pervicere tamen ut gratiam sibi locupletium, ac patrocinium potentium adiungerent. Cernere licebat impigros, laboriosos, paciflcos, iustitiae maximeque caritatis in exemplum retinentes. At eiusmodi vitae morumque spectaculum, evanuit omnis praeiudicata opinio, obtrectatio obmutuit malevolorum, atque inveteratae superstitionis commenta veritati christianae paullatim cessere. - De statu opificum certatur in praesens : quae certatio ratione dirimatur an secus, plurimum interest reipublicae in utramque partem. Ratione autem facile dirimetur ab artificibus christianis, si societate coniuncti ac prudentibus auctoribus usi, viam inierint eamdem, quam patres ac maiores singulari cum salute et sua et publica tenuerunt. Etenim quantumvis magna in homine vis opinionum praeiudicatarum cupiditatumque sit, tamen nisi sensum honesti prava voluntas obstupefecerit, futura est benevolentia civium in eos sponte propensior, quos industrios fac modestos cognoverint, quos aequitatem lucro, religionem officii rebus omnibus constiterit anteponere. Ex quo illud etiam consequetur commodi, quod spes et facultas sanitatis non minima suppeditabitur opificibus iis, qui vel omnino despecta fide christiana, vel alienis a professione moribus vivant. Isti quidem se plerumque intelligunt falsa spe simulataque rerum specie deceptos. Sentiunt enim, sese apud cupidos dominos valde inhumane tractari, nec fieri fere pluris quam quantum pariant operando lucri: quibus autem sodalitatibus implicati sunt, in iis pro caritate atque amore intestinas discordias existere, petulantis atque incredulae paupertatis perpetuas comites. Fracto animo, extenúato corpore, quam valde se multi vellent e servitute tam humili vindicare : nec tamen audent, seu quod hominum pudor, seu metus inopiae prohibeat. Iamvero his omnibus mirum quantum prodesse ad salutem collegia catholicorum possunt, si haesitantes ad sinum suum, expediendis difficultatibus, invitarint, si resipiscentes in fidem tutelamque suam acceperint.

Habetis, Venerabiles Fratres, quos et qua ratione elaborare in caussa perdifficili necesse sit. - Accingendum ad suas cuique partes, et maturrime quidem, ne tantae iam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae. Adhibeant legum institutorumque providentiam, qui gerunt respublicas : sua meminerint officia locupletes et domini: enitantur ratione, quorum res agitur, proletarii : cumque religio, ut initio diximus, malum pellere funditus sola possit, illud reputent universi, in primis instaurari mores christianos oportere, sine quibus ea ipsa arma prudentiae, quae maxime putantur idonea, parum sunt ad salutem valitura. - Ad Ecclesiam quod spectat, desiderari operam suam nullo tempore nulloque modo sinet, tanto plus allatura adiumenti, quanto sibi maior in agendo libertas contigerit: idque nominatim intelligant, quorum munus est saluti publicae consulere. Intendant omnes animi industriaeque vires ministri sacrorum; vobisque, Venerabiles Fratres, auctoritate praeeuntibus et exemplo, sumpta ex evangelio documenta vitae hominibus ex omni ordine inculcare ne desinant : omni qua possunt ope pro salute populorum contendant, potissimumque studeant et tueri in se, et excitare in aliis, summis iuxta atque inflmis, omnium dominam ac reginam virtutum, caritatem. Optata quippe salus expectanda praecipue est ex magna effusione caritatis : christianae caritatis intelligimus, quae totius Evangelii compendiaria lex est, quaeque semetipsam pro aliorum commodis semper devovere parata, contra saeculi insolentiam atque immoderatum amorem sui certissima est homini antidotus : cuius virtutis partes ac lineamenta divina Paulus Apostolus iis verbis expressit : *Caritas patiens est, benigna est : non quaerit quae sua sunt: omnia suffert: omnia, sustinet* **(1).**

Divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis singulis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv Maii An. MDCCCXCI, Pontificatus Nostri Decimoquarto.

LEO PP. XIII.

(1) Corinth, XIII, 4-7

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BOIANEN.

PROVISIONIS PAROECIAE.

Die 31 Ianuarii 1891.

Sess. 24 cap. 18 De reformat.

COMPENDIUM FACTI. EX morte sacerdotis David de Sisto die 10 Septembris 1886 vacante paroecia loci *Sassinoro* Dioecesis boianensis, Episcopus concursum indixit. Duo, scilicet Ioannes Mastracchio et Ermenegildus Palma, se inscripserunt ; at die 23 Maii 1887 facto periculo uterque reprobatus fuit. Die 12 Octobris Episcopus novum indixit concursum, die 25 eiusdem mensis habendum, et duo etiam hac vice comparuerunt, nempe Ioannes Mastracchio, idem qui in primo examine fuerat reiectus, et Iosue di Mella. Sed hac vice uterque approbatus est, attamen Iosue de Mella « cum maxima laude » et primo loco, alter vero secundo.

Statim ac examinatorum votum evulgatum est, Mastracchio per manus laici apparitoris libellum Episcopo misit refeftum, ait Episcopus, conviens adversus meam personam et examinatores synodales. Simulque appellationem coram metropolitana Curia beneventana, intra utile tempus, interposuit, hanc potissimum allegans causam, nempe Iosue di Mella regularem esse ex ordine Minorum s. Francisci, eumque saecularizationis rescripto destitutum, solummodo ex tollerantia suorum superiorum extra religionem vivere et in dioecesano boianensi Seminario, ubi magistrum agit, degere; et idcirco non posse approbari, et eo minus institui.

Hoc tamen non obstante, Episcopus boianensis litteras collationis detulit sacerdoti di Mella, eumque paucos post dies in possessionem paroeciae immisit, regio placito mox accedente. Verumtamen, quod quidem praestat usque ab initio recolere, P. di Mella, forte ob pendens penes metropoli-

tanam curiam iudicium, videtur a residentia prudenter abstinuisse: vicissim boianensis Episcopus, qui vacantis paroeciae regimen ab initio detulerat sacerdoti Mastracchio, exinde eiusdem curam demandavit alii sacerdoti; sed ad hoc munus non alium eligendum censuit, quam fratrem patruelem eiusdem P. di Mella, Silvestrum di Mella.

Interim archiepiscopalis curia, concursus actibus aliisque ad rem facientibus perpensis, sententiam tulit actori omnino favorabilem. Cedo verba:

« Considerato quod iniustus beneficii detentor per sententiam Iudicis expoliandus sit, et poenis canonicis coarctandus, si beneficium non dimittat. »

« Considerato demum in facto et constito quod Pater Iosue Mella a Saxinoro est et sit adhuc vere et proprie regularis, cum rescriptum ab eo impetratum nullum sit ex defectu debitae exequutionis in tempore opportuno faciendae: »

« Constito quo nulla fuit venia apostolica pro admissione ipsius Patris Mella ad concursum pro vacante ecclesia archipresbyterali oppidi Saxinorii, quae est onnimode beneficium saeculare curatum. »

« Constito quod beneficium curatum Saxinorii Patri Iosue Mella in titulum, et in perpetuum concessum fuit, non in administrationem et ad nutum Episcopi et respectivi superioris regularis. Nam etsi bullae collationis exhibitae non fuerunt ad eorumdem tenorem dignoscendum, quod ex culpa interesse habentium factum est, tamen ex facto ipso dignoscitur, in exhibitione rescripti apostolici pro saecularizatione Patris Mella ab Ordinario boianensi huic curiae facta declaratum fuit, quod in admissione ad concursum rescriptum debitae exequutioni demandatum retentum fuit, ideo Rev. Patrem Mella uti sacerdotem saecularem Episcopus admisit ad concursum, illique in titulum parochiam contulit: »

« Constito etiam, quod etsi P. Mella in supplicatione pro admissione ad concursum afferat se habere permissionem et consensum proprii superioris, tamen ex testimonio Vicarii

generalis numquam habuit permissionem a iure requisitam, neque exhibuit licentiam manendi extra claustra, quod omnino requiritur, ut regularis uti, frui licite et valide possit facultatibus extraordinariis regularibus ab Apostolica Sede concessis. . . . *definitive iudicamus :* bene appellatum fuisse pro parte Rev. Dñi Ioannis Mastracchio, proindeque nullam et sine robore fuisse provisionem, collationem et institutionem beneficii curati archipresbyteralis ecclesiae oppidi Saxinorii a Revmo Episcopo suffraganeo boianensi factam favore rev. Patris Iosue Mella a Saxinorio, Minoris Observantiae s. Francisci, ideoque bullas expeditas reprobamus, et nulliter datas declaramus , ac rev. Patrem Iosue Mella fore et esse expoliandum a possessione praefati beneficii curati, a quo sub poenis canonicis contra iniuste detentores beneficiorum statutis expoliamus. - Ex adverso rev. Ioannem Mastracchio magis idoneum et habilem ad parochialem ecclesiam Saxinorii eiusque archipresbyteratum et ad curam animarum adnexam obtinendam et administrandam renunciamus, declaramus, approbamus, ac iure nostro metropolitano ad praedictum beneficium curatum nominamus, eligimus, instituimus ; et mandamus ut bullae expediantur per hanc curiam nostram metropolitanam, ac in veram, realem, corporalem beneficii curati ecclesiae vacantis Saxinorii possessionem cum omnibus iuribus, fructibus, proventibus, emolumentis, distributionibus ac adnexis praelaudatus dnus Ioannes Mastracchio immittatur, amoto quolibet alio illicito detentore, et nulla interposita appellatione. Super aliis capitibus tum in libello appellationis contentis, tum in voto examinatorum nostrorum enarratis , reservamus facultatem dicendi, iudicandi, disponendi et definiendi prouti de iure et quatenus opus fuerit et Nobis videbitur. «

Haec sententia lata est die 16 Martii 1888, sed nonnisi die 31 reo in causa P. di Mella indicata fertur ; qui tamen per suum procuratorem Romae coram S. G. C. appellavit die 26 eiusdem mensis.

Uterque Praesul statim interrogatus est.

Respondit primum boianensis Episcopus, inter alia referens, populum loci *Sassinoro* praefracte adversari sacerdoti Mas traccino, ideoque Praesul ille suppliciter petebat, ut S. O. C. dignaretur confirmare, sin minus ex gratia, nominationem sacerdotis Iosue di Mella.

Cum de his etiam votum sententiamque rogatus esset Emus Archiepiscopus bene ven tanus , in primis iudicatum suae curiae iustissimum renunciavit ; idque omnino sustinendum edixit, tum ne iustitia violetur, tum ut boianensis curia doceatur, et leges parvipendere in posterum vereatur : appellationem vero P. di Mella coram sua curia intra utile tempus minime esse porrectam ; - *quo in loco tamen, pro rei veritate, et ne infra de hoc iterum redeat sermo, notandum mihi est, eumdem di Mella sin minus coram Sacra C. C. intra utile tempus appellavisse, veluti ex actis in protocollo S. C. C. liquet; quod equidem videtur sufficere tum ex privilegio S. Sedi proprio, tum ex disputatis penes DD. ut, puta,* Reiffenstuel *tit. 28, lib. 2, § 3* et Ferraris *v. Appellatio art. 8.* - Monebat insuper idem Archiepiscopus in admittendis documentis favore P. di Mella a Curia boianensi provenientibus caute omnino esse procedendum.

Et post haec addebat, se in sententia edenda rem continuisse ad iuridicam P. di Mella inhabilitatem obtinendi saeculare beneficium ; at ad infirmanda Curiae boianensis acta praesto quoque fuisse simoniae labem, quo nimius huius curiae favor erga sacerdotem di Mella explicabatur, quaeque facili de modo probari posset, nisi aliud prorsus charitas et prudentia suasisset. - Ceterum quoad populi aversionem in sacerdotem Mastracchio, difficile esse hic et nunc sententiam ferre. Sibi inverosimile esse eum populum tanto odio prosequi hominem, quem oeconomum curatum saepius et etiam hac vice habuit, et quem eadem hac vice ab initio pastorem petierat, missis ad hunc effectum ad Episcopum electis viris, qui populi vota referrent.

Se autem vereri, in consanguinei favorem populi motus ciere Sil vestrum di Mella, qui oeconomum paroeciae agit :

idcirco eum esse removendum antequam sententia de plebis odio feratur.

Quo vero ad petitionem boianensis Episcopi, ut nempe saltem ex gratia, acta a sua curia probentur, et instituatur P. di Mella, pro viribus refragatur Emus Metropolita ; eo Tel magis quod quae de meritis et virtutibus P. di Mella dicuntur caute videantur accipienda; et cum insuper constet, hunc virum bis in amentium domo receptum fuisse, et ex hac infirmitate nimiam ad bibendum proclivitatem reportavisse.

Hisce perpensis scribi placuit eidem Emo Archiepiscopo, ut sacerdotem designaret in oeconomum paroeciae loci Sassinoro deputandum. Indicatus autem fuit sacerdos Mastrantone; qui sine mora ex S. C. C. mandato paroeciae curam suscepit.

Interim boianensis Episcopus Romam cum quibusdam oppidanis a Sassinoro venit, et tantum esse populi odium in Mastracchio enarravit, ut Emus S. C. C. Praefectus scribendum censuerit Emo beneventano Praesuli, ut induceret eumdem sacerdotem ad nuncium suo iuri, si quod habebat, mittendum.

Quibus ille fusa epistola respondit, rem difficilem peti, nec undequaque opportunam, attenta praesertim illegitima atque abusiva agendi ratione boianensis Curiae in hac causa.

Exinde ad S. C. C. plura delata sunt hinc inde documenta; nam Episcopus boianensis totus in eo fuit, ut miserrimum illius paroeciae statum defieret, et acerbissimum ac in dies magis aestuans incolarum odium in Mastracchio pingeret. In eumdem sensum libellus quoque a 134 ex iis oppidanis subscriptus fuit et ad S. C. C. missus. Vicissim vero syndicus loci, et paroeciae oeconomus Mastrantone, omnia nunc quiescere iterum iterumque retulerunt, et, si quaedam deploranda erant incommoda, haec P. di Mella eiusque fratri unice esse adscribenda.

Quinimo sindicus loci, nomine et ipse Mastracchio, quod innuisse non inutile erit, refert : illic frui tranquillitate per-

fecta ; paucos vero qui sacerdoti Mastracchio adversantur plebi esse accensendus: eosque non ab aliis quam a curiae fautoribus, et a fratribus di Mella motos esse : saniores vero pro sacerdote Mastracchio et pro metropolitano iudicato stare et adprecari, ut iustitia huic sacerdoti debita fiat. - Idem in separato documento subscribunt quinque alii Saxinorenses incolae: neque aliter loquitur oeconomus Mastrantone.

Denique in recentioribus epistolis de agendi ratione P. di Mella plura conqueritur, quae sin minus ad indolem animumque huius viri cognoscenda iuvabunt, et idcirco non supervacaneum erit referre. Ait enim, P. di Mella a Gubernio in possessionem bonorum paroeciae missum, sibi quamcumque pensionem aut retributionem negare.

Quin imo, addit, eumdem Patrem ventum non esse clavem et utensilia cuiusdam ruralis capellae tanta obstinatione detinere, ut, licet ter ab Episcopo admonitus, parere semper recusaverit; quapropter ab eodem Episcopo die 4 Septembris 1889 suspensionis poena multa tus est.

Referenda demum essent quae de indignitate et nequitia sacerdotis Mastracchio Episcopus in suis litteris cumulat; sed utilius censetur ab his abstinere, tum quia de genericis, accusationibus agitur, tum quia idem Episcopus ante huius causae initium solemni laudis suffragio hunc sacerdotem non semel prosequutus est. Quando enim regimen vacantis paroeciae nuperrime ei demandavit, eundem commendavit laude amplissima per publicum documentum ad eundem missum.

Disceptatio Synoptica.

Controversiae punctum, veluti ex hucusque adductis plane liquet, in eo est, utrum nempe confirmanda sit sententia metropolitanae Curiae favore sacerdotis Mastracchio ; an potius rata habenda sit, sive ex iure, sive ex gratia, provisio favore P. di Mella, quam Suffraganeus egit; an demum,, utraque electione cassata, ad novam provisionem sit deveniendum .

In confirmationem metropolitanae sententiae et praeventionis ab ea factae iuvat recolere, in hodierna disciplina, quidquid olim obtinuerit, certum esse, beneficia saecularia regularibus conferri non posse. Sane in const. *Quod inscrutabili* 9 Iulii 1745 haec habet Benedictus XIV: « Celebris iamdudum est controversia, an canonici regulares capaces sint obtinendi et retinendi ecclesias parochiales absque indulto apostolico. . . . et saepe responsum est, absque indulto apostolico ad saeculares parochias promoveri non posse. Ita respondit S. C. C. de anno 1581, eiusque responsum confirmatum fuit a Gregorio P. XIII. » Ex qua decisione Gregorii XIII arguit Fagnanus in *cap. Quod Dei timor de .statu monachorum, n. 17,* idem a fortiori dicendum esse de aliis regularibus ; « Infertur ut multo minus assumi possint ad curam animarum saecularium regulares aliorum ordinum;... hinc cum fuerit quaesitum, an regulares possint praefici curae animarum ab Episcopo sine dispensatione apostolica, S. C. C. censuit - non posse nisi accedente dispensatione, quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate vel utilitate ecclesiae... » Item Reclusius, *Tractatu de concursibus etc. tit. 1. n. 134,* regulares enumerat inter incapaces acquirendi parochias, ac propterea non admittendos ad concursum, citata quoque S. C. C. in *Marsor. Capellaniae* 31 Ian. 1764, rationemque hanc affert: « Cum enim beneficia praesertim parochialia et curata de sui natura sint perpetua, habentia ex propria indole titulum perpetuo collativum, ideo regulares incapaces de iure efficiuntur, eo quod e perpetuis in manualia, et amovibilia demigrarent, ex quo regulares ex voto obedientiae incapaces ad perpetua beneficia reputentur. > Hinc tandem concludit Bouix, post varias de iure antiquo, disquisitiones, *De Regularibus, part. V, cap. IV* propos. 2:* « certa omnino evasit indulti apostolici necessitas, ut possint regulares saecularibus parochiis praefici, ita ut hodie res prorsus sit extra controversiam. »

Opponi posset, inde ab anno 1870 obtentum fuisse a

P. Iosue di Mella rescriptum perpetuae saecularizationis cum facultate assequendi beneficia quaecumque, etiam parochialia. Verum id nequaquam suffragari P. di Mella videtur, eo quod ap. rescriptum nunquam executioni fuit commissum. Fertur enim, nam exemplar huius indulti ad acta delatum non est, illud non in forma gratiosa, ut aiunt, fuisse concessum, sed commissaria, quatenus nempe committebatur Vicario capitulari boianensi, ut veris existentibus narratis, indulgere! oratori, ut, habitu regulari dimisso, posset extra claustra manere quoad vixerit, et sub Ordinarii obedientia vivere, dummodo tamen orator sufficienti patrimonio esset provisus: addebatur vero nullius valoris fore rescriptum, nisi intra terminum 6 mensium a die commissionis computandorum a praefato Ordinario boianensi executio obtenta fuisset. Rescriptum autem nunquam fuisse rite executioni mandatum, datis Iiteris ad Emum Archiepiscopum beneventanum, agnovit Episcopus boianensis: nec patrimonii sacri constitutionem aliquando factam fuisse ullatenus apparet, quum iudici Metropolitano, acta hoc probantia petenti, nihil afferri potuerit. Idem quoque confirmat factum ab Emo Metropolita narratum, et in facti specie relatum, de doloso ac falso documento in appellationis Curia exhibito, ad evincendam apostolici rescripti executionem. Atqui notum est, impetrata aliqua gratia conditiones omnes, praesertim vero resolutivas, esse adamussim observandas.

Quin eidem P. di Mella prosit licentia, quam se a superioribus sui Ordinis habuisse asserit extra claustra perpetuo manendi. Ad summum enim id hoc importaret, nempe ipsum frui posse beneficio facultatum specialium quae a S. Poenitentiaria regularibus concessae fuere, sub die 18 Aug. 1867, ratione dispersionis religiosorum ; in quibus sub *n. 16* haec habentur: « Concedit pariter regularibus solemniter professis, ut capellanias, aut unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum etiam residentiale vel cum cura animarum, de consensu et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus superioribus suis, in administrationem assequi et retinere legitime possint,,

quod tamen dimittere teneantur statim ac ab iisdem superioribus ad claustra revocati fuerint. » At, uti cuique legenti patet, valde aliud est beneficium conferre alicui in administrationem, et ad nutum Concedentis, nec non et illius a quo voluntas eius, cui conceditur, dependet, aliud conferre in titulum et in perpetuum., prout factum est in casu. Praeterquam quod, ut P. di Mella beneficium parochiale vel tantummodo in administrationem ac ad nutum assequi posset, necessarium erat, uti patet ex tenore facultatum a S. Poenitentiaria concessarum, ut licentia suorum superiorum instrueretur : hanc autem licentiam in casu defuisse iudici Metropolitano significavit Vicarius generalis boianensis.

Quaquaversus igitur res inspiciatur id unum semper videtur consequi, scilicet P. di Mella incapacem prorsus extitisse parochialis beneficii assequendi, quin imo talibus devictum fuisse legibus et conditionibus, ut ne ad concursum quidem sistere legitime potuisset, ceu patet ex *cit. loc.* Reclusii, qui titulum inscribit : *De incapacibus acquirendis paroecias., ac propterea non admittendis ad concursum.*

Post haec haud immorandum est in expendendis iis quae pendente appellationis iudicio a boianensi Ordinario peracta sunt favore patris di Mella, et eo minus pendendum est regium placitum, quod semper supponit canonicam beneficii collationem, quodque, licet datum sit, eadem imo et maiori facilitate, qua concessum est, revocari a Gubernio potest.

Nec sistendum esse in simoniae accusatione; quia cum nil ad rem de ea sit penes S. C. C. deductum, haud potest iuridice constabiliri utrum et quousque exinde acta inficientur ; licet de cetero haec simoniae suspicio, quam Emus Metropolita facilis probationis renunciat, non potest quin rigidiores in P. di Mella iudices faciat et proniores ad eum excludendum, quem commune ius una cum secundi gradus sententia incapacem parochialis beneficii constituit ac proclamat.

At ex hac causa sacerdotis Mastracchio valde iuvari quisque facile intelligit. Excluso enim. adversario, ei pro-

fecto iuridice conferenda videtur paroecia, qui tam in prima quam in secundi gradus sententia idoneus est repertus. Quin opponi valde possit populi odium; nam argumenta non desunt, ut credatur, id arte et invidia quorumdam aemulorum, magis quam spontaneo plebis motu, contigisse, nec adeo esse violentum, ut ex parte boianensis curiae describitur. Sane sicut haec curia eiusque ministri excesserunt in aestimando Mastracchio, eumque, quem honestum appellationis iudex invenit, quemque probatum dignumque in solemni documento ipse boianensis Praesul paulo ante nunciaverat, mox, mutatis adiunctis, scelestum praedicarunt ; ita sine iniuria credi potest eosdem officiales etiam in odii causa exaggerare, et nimio causae studio abripi.

Vicissim non minora suadent, quidquid sit de causis et fautoribus, in praesentiarum tantam esse plebis aversionem in sacerdotem Mastracchio, ut non sine magno pacis et animarum dispendio illuc is mitteretur. Duplex enim est in actis manu propria a plusquam 100 oppidanis subscriptum documentum, quo enixe, ni dicam violenter, postulatur, pastorem Mastracchio non constitui : porro si attendatur, locum *Sassinoro* non magnam ruralem paroeciam esse, nemo profecto non admittet, centum triginta, vel centum quadraginta subscriptores magnum adversariorum numerum esse. Cui accedit Ordinarii testificatio, qui et mala in ea paroecia gravissima et populi irritationem, sicut olim in curia, sic nuper in sacra Visitatione deprehendit.

Porro si ob odium, licet malae plebis, potest pastor removeri, et de uno in alium locum transferri, ex Reinfienstuel ad *lib. 3 tit. 19 n. 39* cum communi; a fortiori poterit probatus in concursu non eligi et institui.

At si haec ita essent, et ex concurrentibus alter quia iuridice incapax, alter quia populo invisus refici deberet, iam paroecia Sassinoro rectore destituta adhuc maneret, et secundus concursus ad eius provisionem indictus, sicut prior, in irritum cessisset.

Hoc autem stante quale ineundum sit consilium facile

dictu non est. Ex Garzia *De benef, lib* 9 c. 2 n. 218* et Gallemart ad *cap. 18 sess 24 C. Trid** scimus, S. C. C. ad Episcopum Vicentinum primis post C. Trid. temporibus rescripsisse, eum posse sine ulteriori concursu conferre paroecias, quas semel et iterum concursui exposuisset, nemine concurrente vel approbato. At vero in casu nostro Episcopus, sicut deinde Metropolita ius suum exercuerunt ; et in praesentiarum iudicium, ad S. C. C, tamquam ad tertii gradus tribunal, delatum est ; atque idcirco videtur ad eamdem S. C. C. pertinere supremum proferre iudicium, paroeciamque aut provisam declarare aut de novo providere.

Cui accedit, vitium in ipso concursu adfuisse. Siquidem paroecia vacavit die 10 Septembris 1886: concursus vero die 23 Martii 1887, idest 13 dies post semestre, celebratus est. Atqui Episcopus necesse habet universum concursus negotium infra sex menses a die vacationis perficere, iuxta *Const. In Conferendis* S. Pii V, et licet integrum Ordinario sit totum concursus negotium in novissimam semestris diem differre, Ferraris *v. Concursus art. 2 n. 52** hunc tamen terminum excedere non potest. Beneficia infra sex menses conferri debent ex *cap. Nulla De Conc. Praeb.** alias collatio pro ea vice ad immediatum superiorem devolvitur. Unde, saltem de rigore iuris, dicendum videretur, Ordinarium boianensem in themate ex temporis lapsu a iure provisionis paroeciae Saxinorensis usque ab initio decidisse, et idcirco acta omnia ab eo facta etiam ob hunc titulum irrita esse.

Quibus praenotatis, proposita fuere diluenda

Dubia

I. *An confirmanda sit sententia metropjolitanae curiae beneventanae diei 16 Martii 1888* qua paroecia* Sassinoro *sacerdoti Mastracchio assignatur* vel potius rata habenda sit provisio paroeciae favore P. di Mella a suffraganea curia peracta in casu.*

Et quatenus negative ad utramque partem.

II. *An et quomodo providendum sit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 31 Ianuarii 1891 censuit respondere : *Sententiam esse confirmandam et amplius : et ad mentem.*

Ex quibus colliges I. Ab Episcopis non posse praefici curae animarum regulares, nisi accedente dispensatione apostolica, quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate vel utilitate Ecclesiae.

II. Beneficia enim curata sunt, suapte natura, perpetua; et habent in se titulum perpetuo collativum : ast regulares, ex voto obedientiae, incapaces ad perpetua beneficia reputantur; et ideo si eisdem conferantur, absque apostolico indulto, de perpetuis fierent amovibilia.

VENTIMILIEN.

DISMEMBRATIONIS ET ERECTIONIS PAROECIAE.

CAUSAE PROSEQUUTIO. (1) Proposita haec causa die 14 iunii 1890 sub dubio : *An episcopale decretum diei 22 Octobris 1888 sustineatur in casu,* negativo responso dimissa fuit.

Hanc resolutionem ut ut Episcopus cognovit, illico novae auditionis beneficium imploravit, asserens huiusmodi resolutionem se inaudito et indefenso, ac proinde contra elementaría iuris principia latam fuisse.

Hisce acceptis, die 27 Iulii 1890 rescriptum fuit : *Iterum proponatur, et notificetur Episcopo.* Verum cum alterius partis orator insisteret, ut quam citius novum causae examen institueretur, aut sin minus in prima congregatione post ferias autumnales, Emus Praefectus sub die 2 augusti decrevit : *Proponatur omnino et infallanter in prima post aquas et notificetur.*

Huiusmodi novum decretum haud arrisit Episcopo, qui propterea, mense octobre ad exitum properante, propositionis dilationem imploravit, ut defensionem parare valeret.

(1) Habes speciem huius quaestionis pag. 263 Voluminis huius.

Ast instante et reclamante Canonicorum patrono ut intra praefixum terminum causa disceptaretur, die 19 novembris Emus Praefectus hoc novum decretum edidit: *In vim rescripti diei 27 Iulii currentis anni proponatur causa in prima congregatione ubi poterit Episcopus Yentimilien. exposcere dilationem ad aliam congregationem.*

Ad tramites mox citati rescripti reproposita causa die 20 Decembris 1890 sub assuefa rogandi formula : *An sit standum vel recedendum a decisis in casu;* rogante Episcopo ad comitia diei 28 Februarii 1891 dilata fuit.

Disceptatio Synoptica.

EPISCOPI DEFENSIO. Episcopus., praemissis pluribus ac gravissimis irregularitatibus, quae contra perspicuas et elementares iudiciorum leges in praeterita causae propositione locum habuerunt, quandoquidem ipso inaudito ac indefenso causa discussa et dirempta fuit, totis viribus contendit, decretum diei 22 Octobris a se latum confirmandum esse, ac proinde resolutionem diei 14 Iunii 1890, utpote quovis firmitatis robore destitutam, infirmandam esse.

Quod ut evincat Episcopus, expenso dicto decreto diei 22 Octobris 1888 eodemque collato cum altero sub anno 1852 ab Episcopo Biale in vim Bullae fel. rec. Pii IX edito, prae primis observat, praeter abbolitionem mixtae iurisdictionis, nihil novi induxisse et omnia ad unguem servasse quae antea ab Episcopo Biale statuta, ac per plures annos, nemine contradicente, observata fuerunt. Unde miratur Episcopus, quod modo tam alte obstrepetur contra suum decretum, quo, si excipias abolitionem mixtae iurisdictionis, illud quod iamdiu statutum ac in vigore erat, confirmatum fuit.

Huiusmodi autem mixtae iurisdictionis abolitionem non inconsulto, sed pluribus de causis peregisse; scilicet 1. quia ab Episcopo Biale proprio marte introducta fuerat, quandoquidem de ea nec verbum nec vola in praedicta Pii IX constitutione reperitur: 2. quia in causa erat, ut dissidia et iurgia inter Praepositum S. Syri et S. Stephani rectorem

canonicum frequenter orirentur, quae omnino compescenda oranti 3. ut Tridentina Synodus decretis morem gereret, quae Episcopis mandat, ut, quoties in parochialibus ecclesiis mixta haec iurisdictio existit, de medio tollatur, non obstante quolibet privilegio vel contraria consuetudine etiam immemorabili, ceu videre est *in cap. 13, sess. 24 de Reform,* ubi ad rem legitur: « In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae rectores non habent fines, nec •eorum rectores proprium populum, quem regunt, sed promiscue petentibus sacramenta administrant; mandat S. Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, etc. » 4. tandem nedum ut necessitati succurreret ecclssiae S. Stephani, quae ab anno 1848 ob expulsionem religiosorum Societatis Iesu, quibuslibet bonis immobilibus destituta erat, verum etiam ut eiusdem ecclesiae rectoris utilitati consuleret, cuius redditus vix annuas lib. 500 attingunt. Actualis siquidem S. Stephani ecclesiae rector Sghirla summam lib. 20,000 favore dictae ecclesiae exhibuerat et aliam pecuniam se daturum spoponderat, hac tamen expressa conditione adiecta, ut scilicet mixta huiusmodi iurisdictio, tot malorum fons, de medio tolleretur, seu ut praedicta ecclesia uti vera parochia haberetur, ceu ab anno 1852 in vim bullae fel. rec. Pii IX statutum fuerat.

Verumtamen praedictum decretum confirmandum esse Episcopus urget, nedum quia per illud nihil inductum fuit, quod a fel. mem. Pii IX per bullam anni 1852 indultum haud fuisset; verum etiam quia Canonici qui illud infirmare conantur, cum actuali animarum cura destituti sint, ius non habent sistendi in iudicio, ac proinde illud impugnandi.

Quod revera actualis animarum cura omnibus Collegiatae ecclesiae Canonicis haud incumbat, sed ipsa Praeposito tantum ac duobus presbyteris vice-parochorum titulum gerentibus tributa sit, ante omnia dignosci posse asserit ex bulla sub anno 1852 a fel. mem. Pii IX edita, in qua quoad

actualem curam animarum haec praescripta reperiuntur: « quarum animarum procuratio praeposito illius Collegiatae ecclesiae et duobus presbyteris vice-parochis nuncupatis concredita est. »

Hoc ipsum colligi subdit, ex quodam statuto vulgo *regolamento* a Capitulo anno 1881 edito et ab alio antiquiori desumpto, in quo dissertis verbis scriptum legitur, Canonicos cura animarum destitutus esse eamque penes Praepositum residere, qui potestatem habet huiusmodi curam cuilibet sacerdoti sibi beneviso et Capitulo etiam extraneo committendi et eligendi.

Hisce accedere inquit confessionem ipsius partis adversae patroni, qui postquam retulerit ab anno 1803 curam animarum Canonicis decimalibus spectare, quoad ceteros Canonicos asserit nihil aliud ipsis competere, nisi ius coetibus capitularibus interveniendi ac deliberativum votum emittendi : « Ex hoc autem tempore, ab anno 1803, isthaec etiam invaluit in Collegiatae Capitulo immutatio. Firmis scilicet atque integris manentibus iuribus exclusive pertinentibus Canonicis decimalibus, antiquum atque originarium Capitulum repraesentantibus, canonicis universis, qui praeter eos ad numerum decimum octavum conscendebant, facultas concessa fuit coetibus capitularibus interveniendi ac deliberativum inibi votum edendi. »

Tandem hoc ipsum confirmari urget ex quodam recursu, quem praeses Fabricae Matricis, qui. Capituli Praepositus est, Episcopo porrexit, in quo haec notatu digna ad rem leguntur : « Excellentiam Vestram haud latet, eos, qui parochum coadiuvare ac supplere tenentur, quoties ipse legitimo impedimento detentus est, duos tantum Canonicos decimales esse ; ceteros vero Canonicos ob solum zelum gloriae Dei et caritatem erga patriam operam suam praestare. »

Cum igitur ex allatis documentis et ex ipsa adversariorum confessione manifestum appareat, actualem animarum curam non Canonicis universis competere, sed ipsam Praeposito et duobus presbyteris vice-parochis seu Canonicis de-

cimalibus appellatis, spectare, Episcopus concludit non omnibus Canonicis, sed Praeposito et duobus Canonicis decimalibus ius inesse standi in iudicio et episcopale decretum diei 22 octobris 1888 impugnandi.

Verum, pergit Episcopus, neminem ipsorum in iudicio sistere ac pluries citatum decretum impugnare posse in propatulo est. Sane ad Praepositum quod spectat, hoc ipsi haud licere, ex eo deducit quod huiusmodi decreto sponte ac libere consensum praestitit. Idque erui, inquit, ex pluribus epistolis, quas allegat, tum ab ipso Praeposito, tum a Capituli secretario scriptis, quibus apertis verbis asseritur decretum, quo erectio in paroeciam ecclesiae S. Stephani recognoscitur, non Praeposito tantum, verum etiam maiori parochianorum parti acceptum esse.

Quod vero hoc ipsum duobus Canonicis decimalibus, qui adhuc supersunt, haud liceat nullatenus dubitari posse contendit. Non licere quidem Canonico Saccheri ex eo arguit, quod hic, cum confessionibus excipiendis inhabilis sit, concionibusque habendis haud assuetus, nullo pacto animarum curam exercere valet. Non posse vero Canonicum Sghirla ex hoc colligit quod, hic cum rectoris munere in ecclesia S. Stephani fungatur, una cum Episcopo in praesenti iudicio contra Capitulum dimicat.

Post haec ad difficultates diluendas gradum faciens, praeprimis animadvertit a veritate alienum esse quod ex adverso obiicitur, Episcopum nempe favore novae paroeciae de ingenti pecuniae summa disposuisse, quam Blancham Sghirla ad causas pias reliquisse gratuito asseritur. Et rei falsitatem evincit postremas Blanchae tabulas perhibens, ex quibus patet, Blancham, ultimo quo decessit elogio, hanc legem dedisse, ut scilicet Canonicus Sghirla consobrinus, illam pecuniae summam, quam forte ipsa reliquisset, non ad pias causas sed pro solvendis funeris expensis et in suffragium animae ipsius impendere debuisset.

Veritati quidem haud consonum esse subdit quod ab adversariis urgetur, scilicet parochiae erectionem non necessariam,

imo omnino superfluam censendam esse, tam ex eo quod inter matricem ecclesiam S. Syri et adiutricem S. Stephani deficit distantia a sacris canonibus praescripta, quam ex eo quod in ecclesia S. Stephani a pluribus annis rector institutus est, qui adiutricem operam parocho praestat et sacramenta circumstans populo administrat. Sane, quaerit Episcopus, si fel. mem. Pius IX, vertente anno 1852, necessarium, et urgens iudicavit, ut oppidum S. Remi, quod novem mille incolas vix superabat, in duas paroecias dismembraretur, et ecclesiae S. Stephani rector cum propria iurisdictione et territorio separato et distincto praeficeretur, ut curae animarum parochianorum matricis ecclesiae aptius consuleretur; ecquo iure ecqua fronte asseri potest, non necessarium, imo superfluum fuisse decretum anni 1888, quo ad aptius consulendum curae animarum, S. Stephani rectoría ab Episcopo parochia formiter declarata fuit, cum ex facto constet quod usque ab anno 1852 ut talis habebatur?

Nec minus infirmam esse rationem, a defectu distantiae deductam, tum quia per citatum decretum Episcopus ecclesiam S. Stephani in paroeciam haud erexit, sed ipsam iam ab anno 1852 existentem recognovit, tum quia etiam de quamplurimis paroeciis iam actum esset, si ratio a defectu distantiae deprompta valeret.

Tandem nec alteram rationem in maiori pretio habendam esse, quod scilicet ecclesiae S. Stephani per institutionem rectoris, qui sacramenta populo administrabat, satis superque provisum fuerat. Etenim neminem latet receptum in iure esse per rectores seu coadiutores non aeque bene ac per proprium pastorem spiritualibus parochianorum indigentiis ac necessitatibus provideri. Quandoquidem proprius parochus melius oves suas tuetur atque cognoscit, quam rector aut coadiutor. Praesertim vero quia cum in parochis censeatur electa industria personae, maiorem erga ipsos solent parochiani confidentiam concipere, quam erga capellanos seu cooperatores suos, qui plerumque nec omnia fidelibus praestant, nec tamquam suis. Quod postremum inconveniens eo vel ma-

gis timendum esset in casu, cum ageretur de rectore, qui ex suis laboribus nullam vel minimam mercedem sperare valuisset.

Ceterum S. Stephani parochiam non superfluam, sed utilem fuisse Episcopus deducit, nedum ex praepositi S. Syri agendi ratione, qua eam verbis commendavit tum cum in votis adhuc erat; verum etiam ex agendi ratione maioris ac sanioris incolarum partis qui Episcopo gratulati sunt, quod succursalem S. Stephani ecclesiam paroeciam a matrice S. Syri independentem decreto 22 octobris 1888 tandem aliquando declaraverit.

Hisce aliisque rationum momentis adductis, Episcopus concludit, decretum quo sub die *22* Octobris 1888 erectio parochiae S. Stephani recognita fuit, in pleno firmitatis robore manutenendum esse, ac proinde responso *recedendum a decisis* dimittendum esse sequens

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii novis Episcopi rationibus maturo examine expensis sub die 28 Februarii 1891 respondere censuit: *Recedendum a decisis; idest decretum Episcopi 22 Octobris 1888 sustineri et amplius; atque* attenta Episcopi declaratione* deleantur ex actis quae eidem Episcopo sunt iniuriosa et ad mentem.*

NUSCANA

NEGLIGENTIAE SERVITII

Die 30 Ianuarii 1891.

Sess. 24 cap. 12 et sess. 22 cap. 3 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Apostolico rescripto diei 2 Iulii 1887 S. C. C. « concessit Episcopo nuscano facultatem conferendi canonicatus et hebdomadariatus vacatos post ecclesiae bonorum direptionem, ope litterarum curiae episcopalis, ea sub

lege, ut taliter provisi de canonicatu vel hebdomadariatu onus choralis officiaturae, respectivo beneficio inhaerens, sedulo adimplere debeant, ita ut, usquedum per assecutionem respectivae praebendae cuiusque negligentia multari nequeat ad formam iuris, ipso facto quisque a proprio beneficio decidisse intelligatur, siquidem per sex menses sive interpólalos sive continuos in singulis annis sine legitima causa in chori servitio defuerit. »

Iamvero nuper in relatione suae ecclesiae ad *cap. IX de post.* idem nuscanus Episcopus haec habebat : « Ex hodiernis ecclesiarum conditionibus, quae bonis temporalibus a Gubernio expoliatae fuerunt, factum est nonnullos clericos sive de collegiatis, sive de receptitiis pensione destitui et tantum emolumentis adventitiis frui. Hac de causa multi cum populi admiratione omnino vel frequenter servitium ordinarium chori vel ecclesiae negligunt, dum ad lucra extraordinaria interveniunt. Quapropter ad huiusmodi scandalum vitandum quaero : *Quomodo et quo iure compelli possint canonici vel presbiteri de clero receptitio negligentes servitium chori et ecclesiae, etiamsi nullo certo emolumento fruantur: possint huiusmodi negligentes privari lucris adventitiis ì* »

Et in aliis posterioribus litteris, mentione facta de rescripto diei 2 Iulii 1877 supra relato, iterum idem Praesul quaerebat : *Potestne huiusmodi poena* idest privationis ipso facto, si quis sine legitima causa sex menses sive interpolâtes, sive continuos a servitio abfuerit, *applicari negligentius de quibus est sermo in secundo postulato, quamvis beneficii collatio non sit facta vi memorati indulti.*

Disceptatio Synoptica.

Quaestio, quae in hoc folio proponitur, magis prudentiae et aequitatis videtur, quam iuris. Etenim qui clerici de collegiatis aut receptitiis ecclesiis in canoniae aut participationis possessionem legitime sunt immissi, hac vel illa ratione, parum refert, licet fructus beneficiorum ex abusiva fisci spoliatione non percipiant, nihilominus procul dubio canonici et

participantes verissime fiunt. Hoc sane descendit ex *cap. 9 De const.* 9 ac 19 De prueben,* et *cap. Sanctorum 2 Dist. 70** ac nuperrime S. C. C. probavit in *Einen. Canonicalis 29 Martii 1890.* (1) Porro huiusmodi canonicos aut participantes ad onera suo beneficio adnexa per se loquendo teneri, et tum ob officium sponte susceptum, et forte instanter expeditum, et ideo quasi ex pacto, tum ob honorem et aliquale temporale lucrum quod adhuc percipere dicuntur, eos ad quotidianum servitium de rigore iuris obligari, nemo non videt. Et idcirco etiam canonicis poenis eos posse ad debitum servitium compelli, prono veluti alveo ex his principiis consequitur. Quin imo eorum negligentia, ¡eo districtus videtur plectenda, quo latius serpet malum, et maius est in populo scandalum et admiratio, prout in themate contingere dicitur.

Porro duplex est via, quam ad canonicorum negligentiam excutendam iura praefiniunt, alia nempe quam vetus ius in *cap. Ex tuae De der. non resia,* designat, alia vero quam Tridentinum *sess. 24 cap. 12* constituit.

Tridentinum enim cautum voluit, ut quisque ultra tres menses a residentia debitoque servitio abfuerit, « primo anno privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit : crescente vero contumacia, contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur » idest ipso beneficii titulo privetur, prout S. C. C. saepius declaravit, et signanter in *Nullius Guastatine Privat. Mansión.* 31 Iulii et 28 Augusti 1860 atque antiquius in *Firmana Privat. Canon.* 30 Maii 1665 atque alias.

Verum in adducto capite Tridentini Patres haud abrogarunt ea quae in veteri disciplina sancita erant, ac maxime in *cap. Ex tuae De cler. non resia.* Quapropter illo triennii spatio, de quo mentio est in Tridentino, licet Episcopis ne-

(1) Habes quaestionem citatam Vol. XXII, 684.

gligentes et pervicaces clericos a divinis suspendere aliisque poenis multare, idque etsi viam insistere coeperint quam Tridentina synodus indicavit. Attamen, si hoc faciant, ad ultimam privationis sententiam devenire non possunt. Celebre hac de re est decretum editum in *Parentina* 8 Novembris 1673, ad quod in posterum semper S. C. C. appellavit, ubi ad duo dubia « an durante triennio praescripto a S. C. *Sess. 24 cap. 12 Be reform,* possit adversus obtinentes in cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones, eosque non residentes procedi ad suspensionem ex *cap. Ex tuae Be cler. non resia. ?* » - et quatenus affirmative - an id possit etiam post inchoatam viam procedendi a Concilio praescriptam ?» S. C. C respondit : « Ad primum *affirmative ;* ad secundum *pariter affirmative, exclusa privatione.* »

Et haec quidem de canonicis dicta sint ; nam quoad participantes in ecclesiis receptitiis expeditior disciplina inolevit, ut negligentes ad debitum servitium ac residentiam revocentur. Cum enim in *Asculana Participationum,,* ubi de talibus ecclesiis res erat, die 18 Novembris 1662 quaereretur « an in dictis participantibus habeant locum poenae non residentiam, tam a iure canonico quam a S. Concilio inflictae ? » S. C. C. respondit: « *Habere locum.* » Attamen non ita, ut in canonicis. Nam huiusmodi participantes, semel admoniti, si in sua nihilominus absentia perseverent, participatione privari possunt, quin interea necesse sit servari gradu? a Concilio Tridentino pro capitularibus praescriptos, veluti colligi potest ex *Nullius Terrae Fasani Residentiae* 3 Ianuarii 1762, cum Lucidi *vol. 1. ad cap. 3 % 2 n. 108 Visit. S S . Um.*

Huic disciplinae pro participantibus vigenti analoga sunt quae S. C. C, relate ad capitulares institutos sine praebenda ob notam Gubernii usurpationem, extraordinarie sanxit, et de quibus in hac specie facti sermo est. Nam ad eorum negligentiam compescendam permisit, ut declarari posset ipso facto unumquemque a proprio beneficio decidisse, qui per

sex menses sive continuos sive interpolatos in singulis annis a chori servitio abfuerit.

At vero ex communibus iuris principiis patet hanc disciplinam, ceteris profecto severiorem, quaeque sancita est pro canonicatibus et hebdomadariatibus provisis ab Episcopo ex speciali indulto post bonorum ecclesiasticorum direptionem, per se loquendo non posse extendi ad beneficiatus, alio modo aut tempore pro visos : siquidem in materia odiosa sumus, et poenis benignior est interpretatio facienda ex *reg. 49 in VI.*

Dixi per se loquendo ; nam nil vetat, quominus S. O. C. attenta casus novitate, et necessitate praecavendi publico scandalo, et providendi ecclesiae v servitio, severiorem legem pro aliis sancitam, ad casum etiam extendat, quem Nuscanus Episcopus proponit.

Ceterum observare ex aequitatis studio et in reorum favorem liceat, quod si chori servitium quod negligitur, quodque restituere Episcopus praeoptat, grave diuturnumque in se sit, haud videri omnino congruum, ut ad illud tanta ac tam subita poena adigantur, qui nulla vel ferme temporali responsione pro servitio rependuntur. Videant igitur EE. PP. utrum, antequam ad poenarum modum contra negligentes constabiliendum deveniant, locus sit moderationi servitii, si id revera sit aequo gravius, iuxta id quod ipsum civile ius in *L. ult. ff* De com. vol.* suadet, et S. C. C. etiam nuperrime, in *cit. Einen,* sanxit nempe ut reditibus imminutis, proportionate reducantur et onera.

Quibus aliisque adductis, submissum fuit enodandum

Dubium

An et qua poena adigi possint canonici vel presbyteri de clero receptitio nullo certo emolumento fruentes* ad chori vel ecclesiae servitium in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re discussa, censuit respondere: *Supplicandum SSmum ut fiat decretum generale pro extensione normae rescripti 2 Iulii 1878 ad omnes ecclesias collegiatas et receptitias.*

VICBN.

DISTRIBUTIONUM

Die 28 Februarii ***i*** *891.*

Per Sumraaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum Vicense haec nuper a SSmo. supplici libello petebat. Cedo verba : « Facultatem postulat ius accrescendi, stabiliendi, seu absentium distributiones inter capitulares actu praesentes in honorarium et mercedem suae diligentiae, nec non maioris laboris, quem, ob aliorum absentiam, in choro subeunt, dividendi, ita tamen, ut in ipsas distributiones amissas participationem non habeant qui tempus *recessu* seu vacationis consumant, neque infirmi, qui in lecto vel domi non detineantur, a missae celebratione impediti. »

« Hanc gratiam, Sanctissime Pater, desiderat et sperat obtinere capitulum: si autem modo exposito elargiri Sanctitas Vestra non expedire censuerit, eam saltem concedere dignetur modo et conditionibus benevisis Exmo et Rmo Episcopo. »

Ordinarius vero haec habebat: « His precibus capitulum cathedrale *ius accrescendi* postulat quibusdam restrictionibus, quas necessarias iudico, si Sanctitas Sua pro gratia annuere dignetur. Prae magno calore, tempore aestivo, magnoque frigore tempore hyberno abest semper a cathedrali aliquis canonicus, attestationem medici afferens, ut salvus sit a climatis rigore ; ac metuendum est ne, si vice amittendi, lucrarentur partem distributionum ceterorum, absentiarum numerus augeretur. »

« Ad vitandum ex parte hoc incommodum hae ponuntur restrictiones, et capitulum de suo iure cederet in postulanda gratia quam exoptat, dummodo eidem concederetur quod exponam.

« Ex decreto Nuntii Sanctitatis Suae in hisce regnis, sub die 27 Augusti 1864, a Sanctitate Sua delegati ad fi-

nem imponendum cuidam quaestioni ; in quo decreto haec legebantur verba, - *si qua autem conventualibus missis quotidianis distributio aliunde adsignanda videbitur* capitulum statuat cum Reverendissimi Episcopi approbatione** - capitulum et Praelatus facultate gaudere crediderunt ad assignandam ex fundo absentiarum eleemosynam duarum libellarum cum 50 cent, ut poenalitatem, non vero ut suffragium missae conventualis, qui quidem fundus antea integer applicatus fuerat cultui ac fabricae Ecclesiae: adeo ut in statutis in lucem editis anno 1868 et declaratis a Congregatione Concilii - *approbatione dignis quoad singulos articulos* - dicitur sub numero XIV : - *ea vero distributionum pars* quae iuxta Triäentinos Patres in poenam non residentium praesentibus debet accrescere* dignitatibus et Canonicis pro missae conventualis celebratione per modum distributionis impertietur ex concessione facta ab Apostolico Nuntio ad hoc per Summum Pontificem specialiter delegato, consiliis cum, Episcopo dioeceseos collatis.* - Orta aliqua difficultate, utrum ex verbis Reverendissimi Nuntii deduceretur dicta facultas, cessavit talis distributio, petita ac obtenta a Sancta Sede- sub sanatione, quatenus opus esset. »

« Iam vero, si Sanctitas Sua laudatae praxi auctoritatem tribueret, hoc est, ut ex fundo absentiarum darentur quotidie duae libellae cum 50 cent, missam conventualem celebranti, prae diminutione cui obnoxius est clerus et difficultate vivendi hisce temporibus, capitulum satisfieret, cedentque de iure suo, nec non servitium Ecclesiae securius maneret. Hoc in casu deprecor, ut possit distribui memorata summa ex quo fieri cessavit ; et si aliquid superesset, applicaretur fabricae Ecclesiae, celebrationi missarum cum stipendio duarum libellarum ab illis qui adfuissent, sive alii simili usui iudicio Praelati et capituli. »

His die 9 Augusti 1889 rescriptum est, ut Episcopus singulos capitulares in scriptis audiret.

Cum autem singuli capitulares, praeter unum absentem, mentem suam aperuissent, Episcopus singulorum litteras ad

S. C. C. misit, ex quibus constat, ex 15 capitularibus decem pro iure accrescendi, iuxta superius relatas preces concludere, quinque vero pro stipendio conventualis missae iuxta Episcopi votum.

Priores sententiam suam fulcire nituntur, dicentes, hanc praxim aut magis conformem Tridentino, aut magis ad chori frequentiam conducentem, aut magis cohaerentem consuetudini in pluribus Hispaniae cathedralibus receptae : ex his tamen duo, nempe can. Serra et Villarasa, iuri accrescendi ferme conditionate subscribunt, nempe « dummodo ex massa distributionum depromatur stipendium pro celebratione missae conventualis. »

Alii vero quinque, qui Episcopi propositioni subscribunt, votum suum adstruunt, quia « praedicta propositio, ita archipresbyter et doctoralis loquuntur, optime concordat cum nostris statutis a S. C. laude et approbatione dignis existimans, nec non huius ecclesiae immemorabili praxi, et firmat etiam satisdactionem ex parte capitularium muneris conventuale sacrum quotidie celebrandi, quod quidem impune alias circumvenit posset. » Simile plus minusve et alii tres repetunt; sed ulterius exigunt, ut residuum, si quod sit post solutam conventualis missae eleemosynam, vel in manuales missas pro populi commoditate, vel in retributionem novi cuiusdam officii choralis^ hebdomadam nomine instituti, vel in augmentum assuetae choralis distributionis impendatur.

Quae omnia transmittens Episcopus haec referebat ; mihi liceat in mea priori informatione confirmari, hoc est, oportere praecipue, ut ex absentiarum fundo liceat desumi quantitatem ad missam conventualem, destinato reliquo, si supersit, ad distributiones instar ius accrescendi, sive modo quo Praesul et capitulum convenientius iudicent... Quapropter humiliter deprecor de gratia ita exposita, et attenta inopia, qua laborant canonici, ut extendatur ad totum tempus, quo distributionem non perceperunt ob dubium forte non satis fundatum quod habui, existimans decretum Revmi Nuntii in precibus allatum minime comprehendere fundum,

ex quo Praesul et Capitulum disposuerunt ad designandam missae conventualis distributionem. »

Disceptatio Synoptica.

Ex officio animadversum fuit claritatis gratia, incontroversum videri, penes Vicense capitulum in moribus olim fuisse, ut portio distributionum quae ab absentibus amittitur non accrescerei ceteris inservientibus, sed applicaretur ecclesiae. Id enunciat Episcopus his verbis: *Qui quidem fundus** absentiarum, *antea integer applicatus fuerat cultui et fabricae ecclesiae.* Idemque expresse confitetur capitulum, ius accrescendi postulans ; non enim de mulctatitia pecunia ex fallentiis seu absentiis capitularium Gonfiata disputantur, et maior canonicorum pars facultatem in beneficium inservientium eam dividendi peteret, si iure accrescendi capitulum polieret. Denique clarissime indicatum videtur in regulis pro punctatura, quarum exemplar ad acta transmissum est, ubi inter alia ad *tit. 2, n. 21, pag. 10* haec leguntur : « Las cantitades, que se descuenten a los ausentes por falta de asistencia al coro, acrecerán à los *interessentes pro rata servitii,* si se estableciere el *ius accrescendi. »*

Quornodonam porro contigerit, ut olim in cathedrali Vicensi absentium fallentiae inservientibus non accrescerent, sed tribuerentur ecclesiae, investigare non refert, cum sciatur non una de causa id contingere posse. Nota est *cap. 3, sess 22* C Trid. dispositio, ubi de dignitatibus, per sonatibus et officiis statuitur, quod « qui servitium... non impleverint, illius diei distributionem amittent, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pro loco arbitrio Ordinarii applicetur. »

Et quamvis magis frequenter in capitulis contingat, ut portio distributionum, ab absentibus amissa, praesentibus accrescat, imo dicatur, id commune ius constituere iuxta *cap. Consuetudinem* Bonifacii VIII et *cap. 12 sess. 24* et *cap. 3 sess. 21* Conc. Tridentini, propter ea verba - *distributio-*

nes vero qui statis horis interfuerint recipiant, reliqui,., his careant -; nihilominus vera distinctio est, quam Moneta *Tract, de distr, quotid. part. 1 quaest. 3 seqq.* cum aliis tradit, nimirum, quoties una sit mensa capitularis, aut, sin minus, una atque indivisa distributionum massa, ne capituli reditus decrescant, ius accrescendi obtinere : quod si distinctae sint praebendae, et pro distributionibus e communi massa, ad uniuscuiusque sollicitudinem excitandam, regimen punctaturarum inductum sit, locum non esse iuri accrescendi, sed iuxta superius *cit. cap, 3 sess. 22* mulctatitiam pecuniam a negligentibus amissam ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii cedere debere. Praeterquam quod ad ipsam quoque consuetudinem est respiciendum ; nam neminem latet antiquissimum usum et ecclesiarum statuta in his rebus legem auctoritatemque facere.

Quidquid ergo retineri velit in themate, sive nempe sit ex lege aut indole fundationis uniuscuiusque praebendae, sive demum ex antiquissimis statutis vicensis ecclesiae, aut ex consuetudine, certum tamen est fallentias absentium non in inservientium commodum, sed in bonum ecclesiae olim cessisse.

At vero haec antiquissima praxis nuperrimis hisce temporibus cessavit. Videtur namque, imo dubio procul ex actis innuitur, prout ex voto archipresbyteri, can. doctoralis, aliorumque, imo et ipsius Episcopi liquet, in capitulo vicensi missam conventualem sine ulla eleemosyna a singulis, quasi personale onus gratis celebrari consuevisse.

Porro in definitione cuiusdam controversiae anno 1864, monente apostolico Nuntio , ut Episcopus cum capitulo statueret « si qua pro conventualibus missis distributio aliunde assignanda videbitur, » capitulum censuit fallentiarum fundum, hucusque fabricae ecclesiae proprium, ad hunc effectum applicare.

Utrum tamen id iustum fuerit, et an possit nunc iterum restitui, prout Episcopus cum quinque canonicis postulavit, remissum fuit Emis. Patribus definire. Unum hac de re,

animadvertendum videtur, nimirum, cum ex antiquissima consuetudine fallentiae ad ecclesiae fabricam pertinerent, haud facili ratione poterant divelli, et in augumentum canonicalis stipendii, idest pro conventualis missae eleemosyna impendi ; sed apostolica venia necessaria videbatur. Quae tamen utrum interfuerit nec ne, difficile dictu est ; nam verba Apostolici Nuntii quae ab Episcopo afferuntur, non valent ad plenum negotii iudicium efformandum.

Ceterum capitulares ipsi et Ordinarius ancipites hac de re apparent. Nam a statuto stipendio pro conventuali percipiendo cito abstinuerunt, et cum diversi diversa sentirent, ex fallentiis cumulus factus est, nec uni aut alteri causae attributus. Quapropter hodie insuper Episcopus postulat, quatenus votum suum admittatur, *ut possit distribui memorata summa, ex quo fieri cessavit.*

Unde tandem in hac levi per se, sed ex adiunctis et obscura factorum expositione, valde implex a causa haec videntur esse praecipua quaestionum puncta, 1. an antiquissimi! s mos, quo absentium fallentiae fabricae ecclesie tribuebantur, sit reformandus, adeo ut eaedem fallentiae in posterum ad alium usum sint impendendae. Et quatenus affirmative, 2. an eaedem fallentiae pro missae conventualis stipendio applicari debeant et quomodo; vel potius dividi inter inservientes ad modum iuris accrescendi, prout maior capituli pars requirit. Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam, 3. an et quomodo pro missae conventualis eleemosyna in hoc casu providendum sit.

Hisce animadversis, quaesitum est quid precibus esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Congr, re disceptata sub die 28 Februarii 1891, censuit respondere: *Vigore decreti 27 Augusti 1864 posse legitime percipi distributione tu assignatam Missae conventuali; tum quoad praeteritum, tum quoad futurum; reliquas vero f attentius cedere debere cultui et fabricae Ecclesiae.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

De Vino utendo in S. Sacrificio Missae, dubia exhibita a RR. PP. DD. Episcopis Carcassonen, et Massilien.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Litteris datis die 8 Februarii currentis anni exponebas :

Ad vini corruptionis periculum praecavendum duo remedia proponuntur :

1. Vino naturali addatur parva quantitas *d'eau-de-vie ;*

2. Ebulliatur vinum usque ad sexaginta et quinque altitudinis gradus.

Atque inde quaerebas utrum haec remedia licita in vino pro sacrificio Missae, et quodnam praeferendum.

Feria iv die 4 currentis mensis Emi DD. Cardinales Inquisitores generales respondendum mandarunt :

Praeferendum vinum prout secundo loco exponitur.

Et fausta quaequae Tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuae,

Romae, die 8 Maii 1887.

Devotissimus et addictissimus,

I. D'ANNIBALE.

Beatissime Pater,

Ioannes Ludovicus Robert, Episcopus Massiliensis, ad pedes S. V. humillime provolutus, dubium infra expositum S. Sedis examini et iudicio ad Religionis bonum committendum existimans, quaerit :

In pluribus Galliae partibus, maxime si eae ad meridiem sitae reperiantur, vinum album, quod incruento missae sacrificio inservit, tam debile est ac impotens, ut diu conservari non valeat, nisi eidem quaedam spiritus vini *(spirito alcool)* quantitas admisceatur.

1. An istiusmodi commixtio licita sit?

2. Et, si affirmative, quaenam quantitas huiusmodi materiae extraneae vino adiungi permittatur?

3. In casu affirmativo, requiriturne spiritus vini ex vino puro seu ex vitis fructu extractus ?

Feria iv die 40 Iulii 1890.

In Congregatione generali habita per Eiîios ac Rmos DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, proposita suprascripta instantia, praehabitoque Rmorum DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres rescribi mandarunt:

Dummodo spiritus (alcool) *extractus fuerit ex genimine vais, et quantitas aleooliea addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil obstare quominus idem vinum in missae sacrificium adhibeatur.*

Sequenti feria v, die 31 d. m. facta de his SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Cardinalium approbavit et confirmavit.

I. MANCINI S. R. ET U. I. NOT.

De irregularitate quoad filios haereticorum.

Sacer consessus Emorum feriae iv Iun. curr., ad examen revocatis quaesitis Revmi Episcopi Harlem en. circa collationem sacrorum Ordinum filiis haereticorum, de qua agebatur in folio 30 Junii, num. 2763, resolvit, dandum Eidem Decretum iam emissum in Posen, sub n. 1, feria iv, 25 Iulii 1865, nempe: — Haereticorum, qui in haeresi persistat et mortui sunt, filios esse irregulares etiam in Germania, aliisque in locis, ubi impune grassantur haereses. — Quod ad praeteritum spectat, addatur — Acquiescat; — quoad futurum autem, Ipsi detur facultas *ad quinquennium* ad dispensandum *in singulis casibus* super tali irregularitate. SSmus Pater in audientia eiusdem feriae ac diei hanc resolutionem dignatus est approbare et petitam facultatem concedere. Quod, etc.

DUBIA quoad adsistentiam super quibusdam matrimoniis, exhibita a Vicario Apostolico Sandovicen.

1. D'après la loi du pays, nous pouvons marier et nous marions en effet des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques, des catholiques avec des infidèles, des hérétiques avec des hérétiques, des hérétiques avec des infidèles, des infidèles avec des infidèles.

2. Pour les catholiques avec des catholiques, nous suivons exactement le rituel et nous avons toujours soin de les confesser auparavant.

(Versio latina)

1. Iuxta loci leges matrimonia fieri possunt, et revera fiunt inter catholicos et catholicos, inter catholicos et haereticos, inter catholicos et infideles, inter haereticos et haereticos, inter haereticos et infideles, inter infideles et infideles.

2. Quoad catholicos cum catholicis, exacte ritualem sequimur, et curamus ut peccatorum confessio praemittatur.

3. Pour les catholiques avec des hérétiques ou des infidèles, nous confessons auparavant, pour la grande sûreté, la partie catholique, et nous nous con tentons de demander ensuite le consentement des deux parties.

4. Pour les autres, nous ne demandons que le consentement.

5. Nul doute que nous ne puissions, en vertu de nos pouvoirs, marier des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques ou des infidèles. Mais pouvons, nous, en sûreté de conscience, comme simples officiers civils, recevoir le consentement d'un hérétique avec un hérétique, d'un hérétique avec un infidèle, d'un infidèle avec un infidèle, qui prétendent ne se marier que d'après le sens et les termes de la loi civile qui admet le divorce?

6. Lorsque les deux parties, que nous avons mariée, ne sont pas toutes deux catholiques, pouvons-nous remarier celle qui obtient un billet de divorce?

7. Si, ce qu'à Dieu ne plaise, deux catholiques allaient se faire marier par les ministres calvinistes, avec Tintetition de ne se marier que d'kprès le sens et les termes de la loi civile, qui admet le divoree, pourrions-nous marier la pkrtie qui obtiendrait du gouvermment la permission de se marer avec un autre ?

8. Notre conduite, dans ce cas, est de marier **indistinctement,** et même de remarier, toas ceux qui obtiennent du gouvernement la permission de se marier.

3. Quoad catholicos cum haereticis aut infidelibus confessionem in antecessum excipimus partis catholicae; deinde contenti sumus petere utriusque partis consensum.

4. Quoad alios exigimus consensum solummodo.

5. Nullum adest dubium quod, vi nostrarum facultatum, possimus matrimonio coniungere catholicos cum catholicis, catholicos cum haereticis aut infidelibus. Ast possumus ne, **tuta** conscientia, ceu simplices civiles officiales, excipere consensum haeretici cum haeretico, haeretici cum infideli, infidelis cum infideli, qui praesumunt inire coniugia tantum ad sensum et limites legis civilis quae divortium admittit?

6. Quando utraque pars, quam matrimonio coniunximus, non est catholica, possumus ne iterum matrimonio coniungere partem quae libellum divortii obtinuit ?

7. Si, quod Deus avertat, duo catholici matrimonium contrahant apud ministros calvinistas, cum intentione ineundi matrimonium tantum ad sensum et terminos legis civilis, quae divortium admittit, poterimus ne matrimonio coniungere partem, quae a gubernio permissionem accipiat matrimonium cum alio ineundi ?

8. Ratio agendi nostra in casu, ea est ut matrimonio primo ac iterum coniungamus illos omnes qui a Gubernio facultatem obtinent ineundi matrimo-

Nous ne sommes inexorables qu'envers les catholiques que nous aurions validement mariés, et qui voudraient, en vertu de la loi du divorce, se marier de nouveau.

nium. Inexorabiles tantum sumus cum catholicis, quos valide matrimonio coniunximus, qui vellent iterum matrimonium inire vi legis divortii.

Quibus dubiis S. C. S. Officii taliter respondit;

Ad primum : Providebitur in sequentibus.

Ad secundum : Bene — et rite se gerere.

Ad tertium : Rationem (sive modum) ibi descriptum coniungendi contrahentes, de quibus agitur, minime vetari, dummodo detur consensus extra Ecclesiam sine ulla omnino benedictione, quemadmodum recte de more iubet Ben. XIV, *De Synodo Dioecesana, lib. V cap. V, § 5,* et serventur conditiones, de quibus infra.

Ad quartum: Providebitur in sequentibus.

Ad quintum: Quoad quaesiti partem primam, viderit S. C. de Prop. Fide utrum orator cum suis Missionariis fruatur revera facultate dispensandi super mixtae religionis impedimento, et disparitatis cultus. In mentem tamen eiusdem Vicarii Apostolici hic opportune revocetur, matrimonia huius generis semper esse detestanda, numquam a Sacerdote catholico benedicenda, et contrahenda extra fores Ecclesiae, praemissis prius tribus solitis conditionibus, quae sunt nimirum educatio totius prolis in catholica veritate, et liberum exercitium religionis catholicae, et studium catholicae partis pertrahendi alteram ad verae fidei professionem.

Quoad secundam quaesiti partem, Missionariis, de quibus agitur, sub quocumque respectu consideratis, vetitum est recipere consensum tam haeretici cum haeretica, quam infidelis cum infideli inter se contrahentium. Quod si Vicarius Apostolicus praevideat superventura damna gravissima catholicae religioni, ex recusata hac Missionarii assistentia, sciat ipse Missionarios in tali hypothesi non esse pro interim ob id inquietandos. Sed ipse quam citissime deferet omnia ad hanc S. Sedem, enuntiando eidem diligenter et accurate, quae et quanta forent damna quae in casu imminerent, referendo insuper exactissime omnes locorum, temporum, personarum, circumstantias, referendo tandem utrum nostri catholici, sive alii quicumque scandalum patiantur ob memoratamsacerdotum catholicorum assistentiam, ut S. Sedes matura de ibera tione definire valeat, utrum illius regionis Missionariis po>sit licite permitti, ut intersint praefatis connubiis tanquam offij iales, ut aiunt, civiles, sive tanquam testes qualificati, et auctorizabiles, sola nimirum exhibita praesentia materiali et passiva sine ullo approbationis signo et sine ulla benedictione.

Ad sextum et septimum: Non licere, nisi constet Matrimo-

nium fuisse nullum, sive ob legem divortii in pactum deductam, sive ob aliquid aliud dirimens canonicum impedimentum.

Ad octavum : Praxim de qua agitur omnino esse vetandam, praesertim si agatur de mixtis Matrimoniis fidelium cum hereticis et infidelibus. Quoad assistentiam vero, quam Missionarii nostri praestant haereticis inter se contrahentibus, et infidelibus, Missionarios praedictos non posse licite iisdem assistere, prout responsum fuit supra ad partem secundam quaesiti quinti.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria V die 14 Maii 1891.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 24 Aprilis 1891, mandavit et mandat, proseripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

I Criterii Teologici. — La storia de' Dornini e la libertà delle Affermazioni. Lavoro scientifico del Can. Salvatore di Bartolo. — Torino, tip. S. Giuseppe, Collegio degli Artigianelli, Corso Palestro n. 14, 1888. *Auctor laudabiliter se subiecit et Opus reprobava.*

Filosofa della Rivelazione. Saggio del Sac. Francesco Giovanzana. 2. ediz. rifotta ed accresciuta. — Milano presso Ramellini Andrea, 1881-1882.

Una rivista della Civiltà Cattolica e la filosofia della Rivelazione del Sac. Francesco Giovanzana. —- Bergamo, dalla tipografia Cattaneo, 1871.

Del Primato e dell'Infallibilità pontificia. Dissertazione del Par. Francesco Giovanzana. — Bergamo, tipografìa Gaffuri e Gatti, 1874.

Sulla esposizione di un punto eapitcdissimo di dottrina Tomistica, Scolastica, Patristica, Scritturale. Osservazioni del Sacerdote Francesco Giovanzana. — Bergamo, Stab, tipografico fratelli Bolis, 1885.

II dogma della Immacolata Concezione di Maria SS. propugnato nel suo senso ovvio c letterale contro certi cattolici che

osano alterarlo. Appunti e spiegazioni del Sac. F. Giovanzana. — Bergamo, Stabilimento tip. fratelli Bolis, 1888.

S. F. G. *Proposizioni da condannarsi.* — Bergamo, Stab, tipo-litografico frat. Bolis, 1890.

Sull'origine delle anime umane. Argomenti a rovescio e testimonianze a vanvera di un Articolista della Scuola Cattolica. — Bergamo, Stabilimento tip. fratelli Bolis, 1886.

Appunti alle Riflessioni Critiche di un Critico che manca affatto di criterio - Bergamo, stab. tip. fratelli Bolis, 1886.

L'amico sincero dei giovani. — Cremona, tip. Giovanni Foroni, 1890.

Guida Morale e Pratica per le Madri del Popolo, di Virginia Paganini. Seconda edizione riveduta e corretta. — Firenze, Tipografìa cooperativa, Via Monalda n. 1, 1889.

Histoire du Peuple d'Israel, par Ernest Renan membre de *l'Institut,* Professeur au College de France, 1, 2 e 3 Tomo. — Paris, Calmami Lévy éditeur, Rue Auber 3, et Boulevard des Italiens 15, a la Librairie Nouvelle, 1889, 1891.

L'Initiation, Revue philosophique indépendante des Hautes Etudes. Hypnotisme, Theosophie, Kabbale, Franc-Maçonnerie, Sciences occultes. — Rédaction, 29 rue de Trevise, Paris.

Cours élémentaire de Philosophie rédigé conformément au programme du Baccalauréat és Lettres du 22 janvier 1885 par M. Théodore Deimonte, Licencié és Lettres. Deuxième édition revue, corrigée et considérablement augmenté. — Paris, Putois-Cretté, Libraire éditeur, Rue de Rennes 90, 1888. *Decreto diei 13 Aprilis 1889. Auctor laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

Les Congrégations Romaines, guide historique et pratique par Felix Grimaldi. — Sienne, imprimerie San Bernardino, 1890. *Decreto S. Officii Feria IV die 29 Aprilis 1891.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribits ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae dic 14 Maii 1891.

CAPILLUS Card. GAZZELLA Praef.

Fr. HYACINTHUS FRATI Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 1 Iunii 1891.

Feria Secunda die 1 Iunii 1891 fuit Consistorium secretum in Vaticano, in quo Emus Cardinalis Melchers Perulam Sacri S. R. E. Collegii tradidit SSmo Dno Nostro Papae, qui eam fidit Emo Seraphino Vannutelli pro anno praesente ipsius Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii camerario.

Exinde Emus Card. Zigliara dimissa Diaconia ss. Cosmae ac Damiani, gradum faciens ad Ordinem Presbyteralem, **Opto**vit titulum S. Praxedis: Emus Card. Ricci Paracciani, dimissa Diaconia S. Mariae in Porticu, transiens ad Ordinem Presbyteralem, opta vit titulum S. Pancratii : Emus Cardinalis Verga dimissa Diaconia S. Angeli in Foro Piscium alteram opta vit S. Mariae in Via Lata.

Summus Pontifex allocutionem habuit creans S. R. E. Cardinales Ordinis Presbyteralis R. P. D. Aloisium Roteili, Archiepiscopum Pharsaliensem, apud Gallicam Rempublicam Nuntium Apostolicum, et R. P. D. Antonium de Paulo Gruscha, Archiepiscopum Viennensem in Austria. Postea proposuit sequentes Ecclesias :

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Patren. vacan, per obitum bo. me. Philippi Gallo, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Mariae Costantini, Episcopi Nepesini ac Sutrini.

Titularem Eccclesiam Archiepiscopalem Larissensem vacan, per obitum bo. me. Ioannis Rebello Cardoso de Menezes, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, ac refert qualitates R. P. Fr. Augustini Ciasca, ex Ordine S. Augustini Presbyteri Monopolitanae dioeceseos.

Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe Poliniani ad mare sub dioecesi Monopolitana progenitus ei quinquagesimum sextum aetatis suae an« num supergressus, Magistri gradum assequutus et Procuratoris generalis munere perfunctus in Ordine dicto; apud Vaticanam bibliothecam inter Scriptores pro linguis orientalibus, ac inter Sanctae Pomanae et Universalis Inquisitionis Consultores adscitus, nec non in Congregatione de Propaganda Fide tum Sociis Commissionis ad revidendas relationes dioecesum et Vicariatuum latini ritus adiunctus, tum pro negotiis Rituum Orientalium Interpretum Praeses constitutus est. In Pontificio seminario romano Collegii Philologici Orientalis Decanus, ac linguae hebraicae Antecessor renunciatus fuit.

Cathedralem Ecclesiam de Pace in ditione Boliviana Americae Meridionalis vacan, pei- obitum bo. me. Ioannis de Deo Bosque, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D.. Ioannis Iosephi Baldivia Episcopi S. Crucis de Sierra.

Cathedralem Ecclesiam Ariminen. vacan, per obitum bo. me. Alexandri Chiaruzzi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Dominici Fegatelli, Episcopi Tifernatensis, seu Civitatis Castelli.

Cathedralem Ecclesiam Civitatis Castelli seu Tifernatensem vacan, per translationem ad Sedem Ariminensem R. P. D. Dominici Fegatelli, favore R. P. D. Darii Mattei-Gentili Episcopi Sarsinatensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Echinen. vacan, per obitum bo. me. Iacobi Ryan, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Thomae da Silva Leitao e Castro Antistitis Angolensis et Congensis qui etiam deputatus fuit in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Antonii a Trinitate de Vasconcellos Pereira de Mello Episcopi Lamacensis.

Cathedralem Ecclesiam Angolen. et Congen. vacan, per translationem R. P. D. Antonii Thomae da Silva Leitao e Castro ad titularem Ecclesiam Episcopalem Echinensem, favore R. P. D. Antonii Dias Ferreira, Episcopi titularis Thermopylensis, atque Praelati de Mossambique.

Titularem Ecclesiam Eiscopalem Sidonien. sub Archiepiscopo Tyrensi, vacan, per translationem ad Sedem Urbevetanam R. P. D. Iosephi Ingami, modo vita functi, favore R. P. D. Vili Antonii Fioni, Episcopi renuntiatae Larinensis.

Cathedralem Ecclesiam Comen, adhuc ut prius vacan, per obitum bo. me. Petri Carsana, ultimi illius Episcopi, extra romanam euriam defuncti : nam R. P. D. Aloisius Nicora eidem Cathedrali praefectus, Kalendis Iunii 1888, licet consecrationis munus susceperit, tamen illius possessionem, temporum vicissitudinibus, nequit adipisci, favore R. P. D. Andreae Ferrari, Episcopi Guastallensis.

Cathedralem Ecclesiam Eugubin. vacan, per obitum bo. me. Innocentii Sannibale, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Aloisii Lazzareschi, Presbyteri Romani,

Cathedrales Ecclesias Sutrin. et Nepesin. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per translationem R. P. D.. Iosephi Mariae Costantini ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Palrensem, favore R. D. Generosi Maltei Presbyteri Tiburtini.

Cathedralem Ecclesiam Venusin. vacan, per traslalionem R. P. D. Francisci Mariae Imparati, Ordinis Minorum Observantium S. Francisci ad unitas Sedes Metropolitanas Acheruntinam ac Matheranensem, favore R. D. Laurentii Antonelli Presbyteri dioeceseos Marsorum.

Cathedralem Ecclesiam Conchen, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Mariae Valero, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Pelagii Gonzalez Conde Presbyteri Legionensis Dioeceseos.

Cathedralem Ecclesiam Terulen. cui ex Apostolicis Literis « Ad Vicariam » datis nonis Septembris 1851 Albaracinensis Ecclesia est unienda, vacan, per obitum bo. me. Antonii Ibanez et Galiano, postremi illius Antistitis, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Maximiani Fernandez del Rincón et Soto, Presbyteri Iacensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Cathedralem Ecclesiam Pacen, vacan, per obitum bo. me. Ferdinandi Ramírez et Vasquez, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Francisci Saenz de Urturi et Crespo, Ordinis S. Francisci, Presbyteri Viclorien-sis dioeceseos, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Cathedralem Ecclesiam Canarien, vacan per translationem R. P.D. Iosephi Pozuelo et Herrero ad Sedem Segoviensem, favore R. P. Fr. Iosephi Cueto et Diez de la Maza Presbyteri dioeceseos Santanderiensis ac Ordinis Praedicatorum S. Dominici.

Cathedralem Ecclesiam lacen, vacan, per obitum bo. me. Raymundi Fernandez etLafita, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti; favore R. P. Fr. Iosephi Lopez Mendoza et Garcia Ordinis S. Augustini et Presbyteri archidioeceseos Burgensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae regentis.

Cathedralem Ecclesiam Argentinen.. vacan, per obitum bo. me. Petri Pauli Stumpf, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Adulphi Fritzen, Presbyteri dioeceseos Monasteriensis.

Ecclesiam Episcopalem titularem Himerien. sub Archiepiscopo Edesseno, vacan, per obitum bo. me, Francisci Mazzuoli, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Iosephi Souza Barroso, Presbyteri archidioeceseos Bracharensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Calydonien. sub Archiepiscopo Naupactense, vacan, per obitum bo. me. Ludovici Caracciolo ex principibus de Castaneeta, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Michaelis Zezza e Baronibus Zapponeta, Presbyteri Neapolitani ; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Eminentissimi ac Revmi Domini Guillelmi Titulo S. Clementis S, R. E. Presbyteri Cardinalis Sanfelice 0. S. B. Archiepiscopi Neapolitani ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito illa in civitate et archidioecesi salubriter ac fructuose in Domino obeunda.

Titularem Ecclesiam Daulien. sub Archiepiscopo Atheniensi, vacan, per obitum bo. me. Iosephi Mariae Benedicti Serra, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Buglione Presbyteri S. Angeli de Lombardis; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R P. D. Salvatoris Nappi, Archiepiscopi Compsani et administratoris campaniensis ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito illa in civitate et archidioecesi salubriter ac fructuose obeunda.

De Consistorio habito die 4 Iunii 1891.

Feria V. die 4 Iunii 1891 fuit publicum Consistorium in Aula regia Palatii apostolici Vaticani, in quo SSmus Dnus Noster tradidit Galerum rubrum Pontificalem Emis ac Riîiis DD. Cardinalibus Vincentio Vannutelli et Albino Dunajewski.

Temporis intervallo Advocatus consistorialis, Eques Torquatus Aloisius Tongiorgi causam egit pro prima vice Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Canonici Iosephi Benedicti Cottolengo, Presbyteri saecularis taurinensis.

Impartita a Summo Pontifice Benedictione, et Pontificii Cantores Te Deum cecinentes, omnes Cardinales ad Sixtinum Sacellum abierunt, ubi Emus Cardinalis Decanus orationem edisserat, super creatos Cardinales, qui omnes postea ad aulam superiorem ascenderunt, Pontificis Maximi adventum adspectatiiri pro secreto Consistorio.

Illo in secreto Consistorio Os clausit Summus Pontifex Emis Cardinalibus Vannutelli Vincentio ac Dunajewski, et sequentes proposuit Ecclesias:

Metropolitanam Ecclesiam S. Fidei de Bogota in Columbia, pro R. P. D. Bernardo Herrera Reslrepo, promoto a Sede Medellensi, quam in administrationem precariam retinet.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Marcopolitan. proposuit pro 'R. P. D. Emmanuele Tovar, Limani Capituli Decano, et Sanctitatis Suae Praelato Domestico.

Hisce praehabitis Sanctitas Sua Ecclesias pandidit per Suas Litteras in forma Brevis hucusque provisas — Scilicet renunciavit Archiepiscopos :

Cabassensem, Venerabilem Fratrem Gaudentium Bonfigli, Casiensem Episcopum pro Syria et Aleppo Vicarium apostolicum electum.

Hiempolitanum, Venerabilem Fratrem Carolum Aslanian, ab Adana ritus armeni deputatum Auxiliarem Patriarchae Armeni Ciliciae.

Milwankiensem, Venerabilem Fratrem Fridericum Katzer, a Sede Sinud viridis promotum.

Bambergensem, dilectum filium Iosephum Scorh, e dioecesi Herbipolensi, sacrae theologiae Doctorem, Examinatorem pro-Synodalem et in sua Cathedrali Canonicum Praepositum.

Berytensem, dilectum filium Iosephum Hilarionen Montèty, e Missionis Congregatione, Persiae Delegatum Apostolicum.

Leontopol. Venerabilem Fratrem Ioannem Langevin, Episcopum dimissionarium S. Germani.

A propriis Sedibus transtulit ad Ecclesias

Antigonensem, Venerabilem Fratrem Iulium Marsili, Minorum Observantium qui Sappatensi valedixit.

Neo-Westmeriensem, Venerabilem Fratrem Paulum Durieu, ex Oblatis Mariae Immaculatae, a titulari Marcopolitana translatum.

S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Iosephum Pereira da Silva Barros, Episcopum Olindensem.

Laci-Salsi, noviter erectam a Sanctitate Sua in confoederatione Americae, Venerabilem fratrem Laurentium Scanlan, Episcopum Lavadensem.

Omàhensem, Venerabilem Fratrem Riccardum Scanneil, Episcopum Concordiae in America.

Sappensem, Venerabilem Fratrem Laurentium Petris de Dolammare, Episcopum Pulatensem.

Sequentibus Ecclesiis providit de dilectis filiis nempe:

Lausanensi ac Genèvënsi de Iosepho Deruaz presbytero "Genèvensi.

Montisvidei, de Mariano Soler presbytero Dioecesis Montisvidei.

Goyasensi in Brasilia de Eduardo Duarle Silva, presbytero Dioecesis S. Sebastiani Fluminis Ianuarii.

Huanuaensi de Alphonso Maria a Cruce, Sardinas, Ferdinando in saeculo, Ordinis observantiae s. Francisci, presbytero Dioecesis Huanucen.

Londonensi, de Dionysio O' Connor, Praeside ad S. Basilium Londonensi in Dioecesi.

Alexandriae, nuper a Sanctitate Sua erectae, de Alexandro Mac-Donnell, Vicario Generali Kingstoniensi.

Lahorensi, de Emmanuele Alphonso Van den Bosh, e Minoribus Capulatis.

Daccae, de Augustino Lanage, Provinciale Instituti S. Crucis in Gallia.

Pulatensi, de Nicolao Marconi, a Tridento, ex reformata provincia Franciscana S. Vigilii.

Dallasensi, nuper a Sanctitate Sua erectae, de Thoma Brennan e dioecesi Eriensi Rectore ipsa in dioecesi paroeciae Dristwordensis.

Tandem dilectis Aliis contulit titulares Ecclesias Episcopales, prout infra:

Thebanam, Antonio Sabbatucci, ex Asculo Piceno, presbytero asculano Picenorum.

Tricalensem, Colomano Belopoloczky presbytero Dioecesis scepusiensis,

Anemuriensem, Ricardo Isàsa presbytero Dioecesis Montisvidei : qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Mariani Soler, Antistitis Montisvidei ad pontificalia, et cetera pastoralia munia de eius consensu in civitate et Dioecesi obeunda.

Capitoliensem, Paschali Appodia, sacrae theologiae doctori, et utriusque iuris, Canonico Patriarchalis Ecclesiae Hierosolymitanae, illiusque Patriarchae Vicario in spiritualibus Generali.

Cucusiensem, Aloisio Wahl, e dioecesi Rottemburgensi, apud Consistorium Dresdense Consiliario, ac ipsa in Ecclesia Aulica, et Aula Regia Parocho, deputato in Vicarium Apostolicum Saxoniae et in Administratorem Apostolicum Lussatiae.

Aulonensem, Petro Verdaguer, e dioecesi Montereyensi, electo in Vicarium apostolicum Brownsvillensem.

Melien, Gustavo Carolo Mutel, e seminario Missionum exterarum Parisiensem, deputato in Vicarium apostolicum Coreae.

Zelensem, Laurentio Blettery, e seminario Mis. exterar. Parisiens, assumpto in Vicar. apost, de Se-Ciuen Orientalis in Sinis.

Teiensem, Marco Hudrisier, ex Ordine Capulator. electo in Vicar. Apostolicum Insularum de Seychelles.

Iborensem, Aemilio Grouard, ex Oblatis Mariae Immaculatae, praeelecto in Vicar. apost. Athabaskae Mackenziae.

Sinidensem, Philippo Prospero Augonard, e Congregatione Spiritus Sancti et Immaculati Cordis Mariae, deputato in Vicar. apostolicum Congi Gallici Superioris, seu Oubanghi, novissime a Sanctitate Sua erecti.

Telmyssensem, Ioanni Hofman, e Minoribus Recollectis Hollandiae, electo in Vicar. apostolicum Scian-si Meridionalis in Sinis.

Calyndensem, Alexandro Berlioz, e seminario Mission, exterar. Parisiensem, deputato in Vicarium apostolicum Hacadati in iaponia, nuperrime a Sanctitate Sua erecti.

Comanensem, Ioanni Baptistae Chausse, e Seminario Lugdunensi pro Missionibus Africae, electo in Praefectum apost, a Litore aureo.

Mosynopolitanam, Alberto Pascal, ex Oblatis Mariae Immaculatae, assumpto in Vicar. apost. Sas-Katchevanen, nuper a Sanctitate Sua erecti.

Tagastensem, Anatolio Toulotte, in Coadiutorem deputato Emi. ac Rmi. Domini Cardinalis Lavigerie pro administranda apostolica Praefectura Saharae.

Sidymorum, Theophilo Meerschaert Vicario Generali Nalchetensi, electo in Praefectum apost. Territorii Indorum.

Et insuper SSmus Pater proposuit sequentes Ecclesias:

Cathedralem Ecclesiam Troian. vacan, per obitum bo. me. Thomae Passero, postremi illius Episcopi, exlra romanam curiam defuncti, favore R.. P. Fr. Danielis Tempesta, Ordinis Minor. Reformatorum S. Francisci, Episcopi Triventini.

Cathedralem Ecclesiam Larinen. vacan, per dimissionem a R. P. D. Vito Antonio Fioni in manibus Sanctitatis Suae ultro, libenterque emissam, favore R. P. Fr. Bernardini di Milia, Ordinis Minorum Capulatorum, Episcopi Titularis Tabracensis.,

Cathedralem Ecclesiam Triventin. vacan, per translationem R. P.. Fr. Danielis Tempesta, Ordinis Reformatorum S. Francisci, ad 'Sedem Troianam, favore R. P.. D. Iulii Vaccaro Presbyteri Neapolis.

Cathedrales Ecclesias Isernien, ac Venafren. invicem perpetuo canonice unitas,, vacan, per translationem R. P. D. Agnelli Renzullo ad Sedem Nolanam: favore R. D. Francisci Pauli Carrano Presbyteri Beneventani.

Cathedralem Ecclesiam de Tulancingo in Mexicana ditione Americae septemtrionalis vacan, per obitum bo. m. Augustini Torres, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Mariae Armas Presbyteri Dioeoe seos de Guadalaxara.

Cathedralem Ecclesiam Pastopolitan, in Confoederatione Columbiae Americae meridionalis, vacan, per translationem R. P. D. Ignatii Telasco e Societate Iesu ad Sedem Metropolitanam S. Fidei de Bogota, favore R. D. Ioachimi Pardo Vergara Presbyteri S. Fidei de Bogota.

Ecclesiam titularem Episcopalem Cybistran. sub Archiepiscopo Tyanaeo vacan, per obitum bo. me. Martini Poell, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Katschthaler, presbyteri archidioeceseos Salisburgensis; qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Ioannis Haller Arch. salisburgensis ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia de eius consensu ac Iubilo illa in civitate et archidioecesi obeunda.

Episcopalem Ecclesiam titularem Lorien, sub Archiepiscopo Bostrensi vacan, per obitum bo. me. Venceslai Soie, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Mariae Carpenter, presbyteri Arequipensis qui eliam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Emmanuelis Antonii Bandini, Archipraesulis limani ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito illa in civitate, et archidioecesi obeunda.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Paphien. sub Archiepiscopo Salaminen. vacan, per obitum bo. me. Maturini Picoardo, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Caroli Marbach, presbyteri argentinensis Dioeceseos qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Adulphi Fritzen, Antistitis argentinensis ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubitu illa in civitate ac dioecesi obeunda..

Post haec Sanctitas Sua aperuit Os, de more, Erhis Cardinalibus Vannutelli Vincentio, ac Dunajewski, et institum fuit pro Pallio pro Metropolitanis Bambergensi, s. Fidei de Bogota, Milwankiensi, Eborensi favore R. P. D. Augusti Eduardi Nunes, qui eidem Ecclesiae per coadiutoriam successit, atque pro Cathedrali Troiana, ex privilegio sa. me. Pii IX.

Tandem Sanctitas Sua Emus Vannutelli Vincentio assignavit titulum Presbyteralem S. Silvestri in Capite, et alterum SS. Vitalis, Gervasii ac Protasii Emo Dunajewski.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

MATRIMONII

Die 31 Ianuarii 1891.

Sess. 24 cap. i De reform..

COMPENDIUM FACTI. Die 12 Aprilis 1887, in parochiali ecclesia, vulgo *Neully Sur Seine*, dioeceseos parisiensis, matrimonium contraxerunt, per verba de praesenti, dominus Carolus Normand, et domina Maria Carolina Legrand. At infelix mulier decimum post diem coacta fuit parentum domum repetere, ob eam tantum rationem, quod virum taederet communem vitam ducere cum una eademque muliere. Factum indignationem promovit mulieris parentum, quibus acriter intervenientibus, accidit ut communis vita iterum inter coniuges instauraretur. Quo vero exitu declaravit dies 8 Iunii eiusdem anni, qua die ipse dominus Normand coniugale domicilium dereliquit, cum muliere non amplius convicturus.

Hisce ita stantibus, mulier causam nullitatis promovit penes Curiam parisiensem, quae die 26 Iunii 1888 sententiam tulit in favorem mulieris ob deficientiam veri consensus ex parte viri, seu potius ob evidenter intellectam conditio-

nem contrahendi matrimonium dissolubile, contra bonum sacramenti. Ab hac sententia appellavit vinculi defensor.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Inquirendum est, ait hic, an sententia a curia parisiensi lata, sit nec ne confirmanda. Ad hoc iudicium ferendum iuverit nonnulla praemittere, ex quibus sponte sua, ipsa causae solutio enascatur. Et primo quidem cautum in iure est, matrimonium esse omnino nullum, quoties tali conditione contrahatur, quae sit sacramenti bono contraria et repugnans. Hoc adeo certum est inter theologos et canonistas, ut inutile prorsus evadat rem argumentis comprobare. Potius inquirendum venit, quibusnam argumentis id constare debeat.

Sunt qui putant hac conditione non irritari matrimonium, nisi fuerit in pactum' deducta et explicite expressa in ipso celebrationis actu. Diversis diversa opinantibus, nobis satis sit doctrinam inquirere, quam sequuta est, et sequitur Sacra haec Concilii Congregatio in similibus causis diiudicandis.

Dico itaque, iuxta mentem Sacrae huius Congregationis, ad decernendam nullitatem alicuius matrimonii ex apposita conditione, sacramenti bono contraria, necessarium absolute non esse quod talis conditio fuerit in pactum deducta, et explicite expressa in ipso actu celebrationis matrimonii ; sed sufficere quod possit morali certitudine, ex gravibus adiunctis, deduci, validoque argumento demonstrari.

Et sane anno 1875 Parisiis in Ecclesia S. Augustini matrimonium contraxerunt Augustus Dugué et Magdalena d'Auvilliers ; Magdalena quidem animo vere contrahendi, Augustus autem animo consequendi summam sibi a matre promissam, et animo, illa obtenta, perpetuo se Americae ligandi cum amasia Maria Balot. Re cognita, Magdalena d'Auvilliers causam nullitatis promovit penes Curiam parisiensem, quae matrimonium irritum, nullum atque invalidum fuisse declaravit.

Appellatione interposita apud S. C. C. Magdalenae defensor 1. praemisit doctrinam Gonzales *in lib. IV* decr. t. 5* c. 7* n. 3 et 9* et Sánchez *De matrim. I. 2* disp. 29* n. 11* qui cum divo Thoma, S. Bonaventura, Ledesma et aliis docent quod si contrahens *haberet animum et corde retentum adversus bonum sacramenti* quia scilicet intenderet* non contrahere matrimonium nisi ad tempus, non esset verum matrimonium. 2.* praenotavit cum eodem Sánchez *in lib. 2* dist. 42 % 4* probationem nullitatis matrimonii ex hoc capite, cum agatur de re intimo hominis corde abscondita, deducendam esse et sufficere si deducatur ex adiunctis, quae moralem gignant certitudinem, scilicet *quae prudentem virum, attentis circumstantiis occurrentibus* certum reddere valeant* 3. demum monuit ex Rota *coram Motines decis. 978 § lo* haec adiuncta et has circumstantias non esse singillatim perpendenda, sed insimul connata, iuxta vulgatissimam regulam, *singula* equae non prosunt, unita iuvant.*

Quibus sic praemissis et praenotatis, Magdalenae Defensor totus in eo fuit, ut ex praecedentibus, ex concomitantibus et ex subsequentibus demonstrare^ Augustum, quando cum Magdalena contraxit, animum habuisse cum ipsa contrahendi ad tempus, scilicet usque dum, obtenta summa a matre sibi promissa, et Magdalena, si opus fuisset, e medio sublata, etiam veneni ope, posset cum amasia Maria se perpetuo Americae ligari.

Hisce omnibus, Augusti verbis, factis et scriptis demonstrans, ad dubium - *An sententia archiepiscopalis Curiae parisiensis esset confirmanda vel infirmanda in casu* - Sacra haec Congregatio sub die 7 Martii 1885 censuit respondere : *Sententiam Curiae Parisiensis esse confirmandam* (1).

Cum itaque certitudinem habeamus de principio iuris, scilicet cum certum sit necessarium absolute non esse ut conditio contraria bono sacramenti deducatur in pactum et ex-

(1) Quaestio haec relata fuit Vol. XVIII, 14.

plicite exprimatur ad inducendam matrimonii nullitatem, cumque propterea sufficiat ut eadem conditio, etsi corde retenta, ex adiunctis deducatur; nil remanet in casu nostro nisi diligenter inquirere, an revera dominus Carolus Normand, quando matrimonium contraxit cum domina Maria Carolina Legrand, animum, corde retentum habuerit, se ligandi ad tempus, scilicet contrahendi matrimonium dissolubile. Talem autem revera fuisse animum domini Normand, antecedentia, concomitantia, et subsequentia demonstrant.

Et sane si de antecedentibus generatim sermonem instituamus statim apparebit Carolum Normand talem esse virum, qui, etsi baptizatus, tamen neque Deum ut a natura distinctum agnoscit, neque iuramenti religionem admittit, neque christiana munia, ut catholicum decet, tuetur. Imo talia tenet et profitetur principia, quae nedum catholicae, sed cuicumque etiam aliae Religioni sint omnino adversa et contraria. Sic. ex. gr. omnem reiicit moralem obligationem ; imbecilles appellat qui virtutem commoditati praeferunt; et officia omnia spernenda tenet quando homines molestia afficiunt.

Quod si pressius de eiusdem persuasionibus circa matrimonium loqui velimus, expendenda erunt quae ipse testatus est apud ecclesiasticum tribunal, quaeque amicis oretenus patefecit, ac professori suo conscribenda putavit. Interrogatus enim a iudice ecclesiastico respondit, se in ea esse persuasione quod nullum dari possit matrimonium sua natura indissolubile, imo quod nemo possit hominem et feminam perpetuo ligare: ideoque ipsum tenuisse et tenere quod maritalis unio sit essentialiter revocabilis.

Hinc alloquens dominum Gautereau et dominam Jumel aperte fassus est quod ille matrimonium religiosum pro nihilo habebat, inspiciebatque tamquam sinicam comoediam, vel cultus ostentationem ex parte mulierum, vel etiam ut nugas mulieribus gratas. Unde concludebat maritalem vitam unius viri cum una eademque muliere, nisi per exceptionem, produci non posse.

Clarius vero mentem suam aperuit in epistola ad suum antiquum professorem, dominum Noel, qui ipsum graviter reprehendent de sua agendi ratione erga uxorem. Tuam doctrinam, aiebat praevaricatus discipulus, hac super re non amplector. Ego teneo et persuasum habeo, unionem viri cum muliere non esse, natura sua, essentialiter indissolubile m. Imo stultum puto in errore permanere, cum quis se errasse cognovit.

Qua igitur ratione existimare poterimus, eum, qui talia tenet, ad factum quod spectat, et in ipso matrimonii celebrationis actu, animum habuisse se perpetuo ligandi, et matrimonium contrahendi vere et essentialiter indissolubile ! Scio equidem similibus in causis rem esse non theoretice, sed in concreto examinandam. Poterat quippe Carolus noster et falsam mente retinere doctrinam, et veram tamen in praxim deducere, matrimonium, ad factum quod spectat, contrahendo, animo vere se ligandi vinculo perpetuo, sacramentali et omnino indissolubili. At quid iuris si probem hunc animum poenitus defuisse ?

Et quidem quod talis non fuerit animus Caroli Normand ante matrimonium contractum et cum de matrimonio contrahendo agebatur, ipsis suis verbis luce clarius evincitur. Ceteris missis, verba afferam, quae ipse protulit Carolus apud ecclesiasticum Iudicem, dum ait : se persuasionem suam de matrimonii dissolubilitate, ante matrimonium palam professum fuisse et nemini occultasse.

Et vere quidem; nam statim post sponsalia, cum coenaret apud sponsam, aperte fassus est quod matrimonium non contraheret, nisi legem divortii adesse sciret. Quod et confirmavit, quando loquens de suo matrimonio proxime contrahendo cum **D u o** Legorsu, se scire dixit quod matrimonium definitive non obligat, et se non aliter in matrimonium consensum praebere, nisi ea conditione ut adesset recedendi libertas, quoties vita non esset amplius iucunda Unde Dna Gautereau, tamquam testis de auditu deponere potuit, se audivisse Carolum dicentem quod numquam esset matrimonium contracturi^, nisi spe et possibilitate divortii.

Non me latet, Carolinam, aliosque putasse, Carolum talia proferentem, iocose et facete loqui; loquebatur tamen, et ita loquebatur, ut potuerit aliquando dicere; vos quidem putabatis me facete loqui, ego autem facete non loquebar. Hinc incertitudines, haesitationes, animus anceps sive in parandis iis, quae pro matrimonio necessaria erant, sive in maritali domo conducenda, sive etiam in alloquenda ipsa sua sponsa, ut sparsim deponunt testes ; quorum aliqui addunt se aliquando incertos fuisse, an huius matrimonii celebrationi adesse deceret.

At coronidis ergo, ut argumentum desumptum ex iis quae veri et ecclesiastici matrimonii celebrationem praecesserunt, magis, magisque confirmetur ; videamus quae evenerint in ipso actu civilis contractus, in quo, iuxta mentem Dñi Normand, totus valor matrimonii consistit. Mitto illas testium depositiones, ex quibus apparet in actu civilis contractus, Carolum praesetulisse animum incertum, haesitantem, ancipitem. Sileam de Caroli agendi ratione relate ad sponsam, quam veluti extraneam habuit, ita ut neque de brachio illi porrigendo cogitaverit. Nil dicam de subita Caroli disparitione, sub praetextu quod aeris refrigerio indigeret. Sufficiat verba perpendere, quae ipse protulit Carolus dum scalas domus municipalis coscenderet. Nam primo dixit Dno Legorsu quod ipse adhuc poterat recedere, et a contractu resilire. Et post alia adiunxit quod numquam eo devenisset, nisi quia futurum sperabat medium invenire discedendi a muliere. Hinc interrogatus paulo post a Dno Gautereau : putasne, ait, pro nihilo habendum esse quod modo peregi ? Ceterum non adeo amens fuissem, ut matrimonium contraherem, si lex divortii minime exstaret.

Et haec quae ore asserebantur, factis confirmabantur. Nam ab illo ipso die ita mulierem increpare, et contemnere coepit, ut neque illam plorantem amplecti voluerit, asserens sibi multo maiora incumbere, quam suam amplexari mulierem. . . . .

Hisce ita evenientibus, dies pervenit, quo matrimonium

erat in faciem Ecclesiae celebrandum. Et reapse en Carolus et Carolina coram parocho et testibus sistentes matrimoniale vinculum contracturi. Et Carolina quidem, ut christianam puellam decebat, rem agit serio et religiose. At Carolus ita sacrae assistit caeremoniae, ut facto comprobet se illam inspicere tamquam sinicam comoediam, tamquam muliebris cultus ostentationem, et tamquam nugas omnino spernendas. Intime praeoccupatus de iudicio, quod forsan laturi essent amici sui, ob sui ingressum in Ecclesiam, mente certe cogitare debebat de matrimonii dissolubilitate ; nam interrogatus de more a parocno, illum coegit interrogationem repetere, ni fallor, ut melius intelligeret an aliquid esset in ipsa interrogatione, quod posset matrimonii perpetuitatem designare. Et interrogatione bene intellecta, ita responsum dedit, ut coactus fuerit parochus novam responsionem reclamare.

Peracta caeremonia et dum simul prandium cum amicis et parentibus sumeret, ita sponsam allocutus est, ut illam ad ploratus cogeret et ad recedendum induceret. Vespere autem, perdurante coena, cum de obscoenis multis loqueretur, sponsam neque aspiciendam putavit. Et tandem , arrepto itinere: scito, dixit mulieri, me tecum matrimonium contraxisse, firmo animo, te parentibus tuis quam citius remittendi .

Hinc uno ore testes omnes deponunt se esse intime persuasus quod Carolus Normand matrimonium cum Carolina contraxit tantummodo ad tempus, animo scilicet non se ligandi, sed facultate sibi retenta, Carolinam parentibus remittendi, quoties id necessarium vel opportunum evasisset, in omnibus iuxta id quod Carolas ipse deposuit penes ecclesiasticum tribunal.

Quod quidem ex consequentibus evidentissime confirmatur. Nam 1. ipso perdurante nuptiarum itinere coepit suam mulierem fastidire. Unde saepe saepius mulierem alloquebatur dicens, eorum vitae societatem, et maritalem unionem permansuram esse non posse. Hinc pluries de fuga cogitare

coepit, a qua se cohibuit unice quia officium habebat, mulierem parentibus remittendi.

Et haec omnia eveniebant primis decem a matrimonio diebus. Quibus elapsis, statim Carolus, quae cogitaverat, perfecit, mulierem in parentum domo inopinato relinquens. Scio equidem coniugale domicilium, paucos post dies, iterum renovatum fuisse; at quo medio, quibus modis, id fuerit a mulieris parentibus obtentum, acta processus enarrant, dum adhibita asserunt argumenta, quae de facto vocantur. Nihilo tamen minus, altero mense nondum elapso, qui mulierem e propria domo expellere studuerat, ipse a maritali domo fugam arripuit, ad mulierem non amplius reversurus.

En summa factorum, ex equibus evidentissime patet 1. Carolum Normand semper in sua persuasione mansisse de matrimonii dissolubili tate : 2. ipsum non aliter ad matrimonium contrahendum accessisse nisi animo contrahendi ad tempus et a matrimonio resiliendi quoties ipsi opportunum visum fuisset: 3. revera ipsum taliter se gessisse cum Carolina Legrand, ante et post contractum matrimonium ut illam inspiceret tamquam mulierem vel secus retinendam, vel parentibus remittendam, iuxta quod suis desideriis satisfaceret.

Dico itaque, Carolum Normand matrimonium contraxisse *unice* ut intra lares domesticam vitam ducere posset cum amasia, cum qua esset permansurus donec ipsa et rei domesticae optime curam gereret, et suis libidinosis passionibus apta esset satisfacere. Et sane quod Carolus non animorum vinculum, sed unice puram et domesticam vitam in matrimonio quaereret, ipse fassus est **D n o** Legorsu, qui proinde rem in ecclesiastico tribunali deposuit. Quod vero mulierem ad hoc quaesiisset, quae suis posset passionibus satisfacere, sequentia, ni fallor, evidentissime, demonstrant. Et 1. certum est Carolum Normand statim post matrimonium mulierem monuisse, maritalem rem ita esse ab ipsa gerendam, ut prolem vitare!, idque talibus verbis, quae honestum virum dedecent omnino. *2.* pariter certum est, quod dum ex

una parte Carolus Normand explicite affirmabat nihil esse in sua muliere reprehendendum ; ex altera vero affirmabat illam sibi plus, minusve placere, eo vel quia physice nimis gracilem, et moraliter nimis gravem inveniebat, cum illam mundanam potius maluisset : unde factum est, ut unica tantum vice eam cognosceret prout ex actis deducere liquet, 3. pariter certum est amasiam, quam Carolus frequentabat ante matrimonium, frequentasse etiam et post. Unde fas est concludere 1. revera Carolum non contraxisse matrimonium nisi ad explendam libidinem: 2. assequutionem huius finis intentam a Carolo fuisse tamquam conditionem *sine qua non* sui contractus matrimonialis, ita ut in ipso actu celebrationis matrimonii et legem divortii pro fundamento haberet, et eâ uti intelligeret, quoties hunc finem assequi non posset : 3. demum Carolinam ad hunc finem assequendum non aptam, neque physice, neque moraliter inventam fuisse, ideoque dimissam.

Ex quibus omnibus deduxit Theologus confirmandam esse sententiam Curiae parisiensis.

VOTUM CANONISTAE. Curia episcopalis parisiensis nullum hoc renunciavit matrimonium his innixa motivis: 1. quod vir *certe* consensum dederit, non in vinculum *indissolubile* sed *solubile,* ut constat ex ipsius declarationibus coram tribunali, et ex epistolis ad D. Vael scriptis, *tempore non suspecto.* 2. Ex testimoniis habetur, virum non semel affirmasse, nullatenus se matrimonium ullum contracturam, nisi lex « divortii civilis » vigeret. 3. Constat virum in hoc proposito permansisse tum coram magistratu civili, tum coram parocho, contrahendo ? iuxta ipsum, matrimonium coram parocho vana est ceremonia, civile autem unice verum est, quamvis *solubile.* 4. Concordia perfecta inter dicta et facta a viro, ante et post matrimonii celebrationem, simul cum circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus illam, quae omnia intentionem ostendere videntur matrimonii solubilis tantum contrahendi.

Processum perlegi, ait consultor, sed non statim ad con-

clusionem aliquam deveni. Nam ex una parte habetur processus rite confectus, cum sententia iudicum, de quorum probitate et diligentia nequit dubitari ; dum ex altera parte difficultas haud parva sese mihi offert in eo, quod, pars sat notabilis testimonii constituatur declarationibus non *iuratis* Caroli Normand, qui partes « rei » in causa agit, simul cum depositionibus consanguineorum, affinium et amicorum actricis, qui omnes fidem merentur propter bonam famam, sed ut plurimum non proferunt nisi « audita » per ipsos a Carolina. Iam vero in iure « Testis non iuratus non probat » et exceptiones a iure admissae locum non habent in casu; et testes « ex auditu » mirifice quidem dicta ab aliis confirmant, quin constituant pondus aliquod testimonii novum : praeterquamquod infirmari videtur tum actricis, tum amicorum testimonium ob « commodum » quod obvium est, actricis, et ob sympatiam, naturalem et iustam certe consanguineorum.

Insuper, perfectus licet sit processus, quoad formam, pars eius historica amplior desiderare tur. Vix explicatur, potissimum, si conclusionem patroni actricis amplectantur, quae visa est a iudice approbari, quomodo et cur tum parentes, tum Carolina connubium ambiverant cum viro quadragenario, indolis perversae, vitiis dedito, qui propriam impietatem nullatenus celaverat. Nec instabilis et irresolutus cum esset Carolus in negotio matrimonii, non satis intelligitur, qui fit ut nulla gravis suspicio mente ingesta fuerit sive magistratus civilis, sive parochi, vel saltem menti parentum et affinium Carolinae. Aetas eius, forsitan, iam 25 annis egressae, motivum suppeditat, aliud, ex actis, non apparet, quod partes omnes absolveret a gravissima et summa imprudentia, in hypothesi quod contentio actricis sustineri possit, prout sustinetur a Curia parisiensi. - Verum quidquid de hoc sit, quaestio tota discussionem meretur, quae, ut clarior procedat, liceat paucis enarrare historiam huius abnormalis connubii.

Partem principaliorem habuere in hoc matrimonio promovendo Dom. Grautereau et uxor eius, quae soror maior

natu est actricis. Fatetur Carolus Normand se desiderium huius connubii concepisse ob perspectam sibi felicitatem domesticam coniugum Gautereau, quibus iam ab aliquo tempore familiariter usus erat. Mense Decembris 1886, Carolus, tunc professor historiae in Lyceo loci dicti Vauves, familiam Legrand frequentare incepit, manum ambiens Carolinae Legrand, sororis, ut iam dictum est Dr. Gautereau. Tractatus, vario eventu, ut mos est, processere. Instabat Carolus pro matrimonio : Carolina, vero, indole praetendentis parum contenta negotiationes omnes, mense Februarii interrupit ; sed postea victa suasionibus Gautereau et littera quadam perpulchra Caroli, in matrimonium consensit circa initium mensis Martii. Revera celebratum fuit matrimonium inter Carolum et Carolinam die 12 Aprilis in loco Neuilly, coram proprio sponsae parocho.

Sed infausto sidere initum videtur : iam enim, a prima die uxorem quasi exosam habuit Carolus ; libertatis abalienatae plus aequo memor, vitam communem impossibilem asserebat. Vix decem post matrimonium diebus, Carolinam insalutatam relinquens, domicilium coniugale deseruit: sed obiurgationibus et etiam minis parentum uxoris cedens vitam coniugalem redintegravit. Attamen novum experimentum parum profecit, nam die 9 Iunii, id est post mensem, uxorem iterum deseruit amplius non reversurus. Carolina deinde ab illo derelicta recogitans plura ab indigno dicta ante et post infelix coniugium, suspicata est suum matrimonium fuisse ab initio invalidum ex defectu consensus ex parte viri et instabat apud Curiam parisiensem, ut invalidum declararetur. Nec irrationabiliter. Optima enim causa, si infelix eius status unice respiciatur, non habito respectu ad rigorem iustitiae et Sacramenti sanctitatem; secus vero aliquatenus infirma.

Ut rite procedat inquisitio, in limine, afferenda ea sunt, ceu norma et regula in controversia, quae certa et ab omnibus admissa circa consensum matrimonialem, praesertim circa « consensum conditionalem > quia de hoc ultimo tan-

tum in casu praesenti sermo esse debet. Iam vero ex omnibus quae consensum afficere possunt conditiones, in matrimoniis contrahendis, illae tantum invalidant quae contrariae sunt substantiae matrimonii vel « bonis » eius. Hoc certum est ex Cap. fin. de conditione ubi s. Pontifex decrevit « Si conditiones contra substantiam coniugii *inserantur* » . . . . matrimonialis contractus, quantumvis favorabilis caret effectu. Super quo textu, notat Glossa, tres conditiones assignentur irritantes matrimonium, quia sunt contrariae « bonis » ipsius Prima conditio « Si generationem prolis evites, » Contra « bonum » prolis. Secunda « donec inveniam aliam ditiorem etc. contra *«bonum Sacramenti»*. Tertia « si pro quaestu adulterandam etc. « contra « bonum » fidei. Absque ullo dubio, aliae etiam conditiones, licet hic non expressae, invalidant matrimonium quotiescumque, non minus quam istae, substantiae eius adversentur; et proinde certum est, si quis consenserat in matrimonium *solubile* tantum vel temporaneum, talis conditio esset contra substantiam, et nullum esset matrimonium: huiusmodi vero conditio concipi potest; vel 1. alia mente reposita *'unius* ex contrahentibus, quo casu invalidum foret matrimonium in *foro interno,* sed non in *foro externo* ob defectum totalem probationis. - Vel *2.* in pactum deducta a duobus contrahentibus: et tunc matrimonium invalidum in *foro etiam externo.* Vel 3. demum - ita manifestata ab una, ut altera possit intelligere consensum esse conditionalem. Circa hunc casum docet de Angelis, citans Fagnanum cum communi, matrimonium valere « sd enim, ait, ab uno tantum adiecta fuerit, conditio, altero contradicente aut saltem tacente, matrimonium valet, cum censeatur ab ea conditione recessisse, posita contradictione aut taciturnitate alterius »Tom. III. par. I p. 149 - quod tenendum puto contra ponentem conditionem, et in favorem innocentis. Si appellatio, ut in casu nostro, fit ab innocente, locus est, existimo, interpretationi magis liberali iuris, ita ut si probari possit conditionem fuisse manifestatam, ut de eius existentia, tempore contractus, am-

bigi nequeat, declarari potest nullitas, non obstante silentio compartis.

Sed nequaquam obliviscendum est quanti a iure existimetur « pactum » in re praesenti, quod semper in Resp. S. C. C. usurpatur. Sic in responsione ad dubium Epis. Bosnensis. « an sit validum matrimonium contractum inter catholicam et haereticum cum intentione solvendi matrimonium ? » Resp. Si ita sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta, matrimonia sunt nulla, sin aliter sunt valida. Ut patet, responsio non respicit conditionem sed eius manifestationem, seu pactum. Pariter in alia Martii 1868, Decembris 1872. » Matrimonia inita cum solo contrahentium errore, quod matrimonii consummati vinculum in casu adulterii, vel ob alias causas dissolvi possit, valida sunt. Si vero sub hac *expressa* conditione inita sunt, ut invalida habenda esse. > Non abs re erit notare quod in stylo S. C. *expressa* conditio valeat « pactum » ut ex hac ultima responsione merito infertur.

Fundamentum huius doctrinae traditur a Benedicto XIV, de Synodo. L. 23, c. 22. « Quodsi *expressa* illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo, *apposita* minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut vinculum dissolvi possit, nihilominus locus est praesumptioni ut dum contraherent, matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerint: praevalente nimirum generali voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente, quo fit ut matrimonium ita contractum validum firmumque maneat. At ubi contrahentes in ipso matrimonii contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum in casu adulterii, iam fieri nequit ut error particularis absorptus maneat a *generali voluntate...* sed potius voluntas generalis extinguitur et suffocato ab errore particulari, quae manifeste praevalet et dominatur: atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo apposita fuit conditio ipsius substantiae contraria.

His praemissis, ad quaestionem procedere possumus, quae tota est facti, siquidem cum iure nuper tradito concordant omnes, tum Curia parisiensis, tum advocatus actricis, tum ipse Defensor vinculi. Advocatus Carolinae, posito principio, quod certitudo metaphysica in quaestionibus huius generis non sit quaerenda, et quod sufficiat certitudo moralis, iis rationibus et circumstantiis nixa, quae prudentis iudicium in re gravi movent et suadent, omnem vim impendit in probando, Carolum nunquam habuisse intentionem, nisi matrimonium *solubile* contrahendi, quia connubia omnia solubilia existimat; insuper contendit fuisse *expressam* hanc pravam intentionem, quatenus verbis et modo agendi Caroli fuerit manifestata.

Equidem fateor consensum in matrimonium *solubile* tantum, vitiosum esse et insufficiens; non autem in id quod falso quis existimaret solubile esse. Res identica nullimode sunt « error » circa substantiam et « conditio » contra substantiam. Exempli gratia; puellae interdum horrescunt commercium matrimoniale, cuius naturam omnino ignorabant, et veraciter protestantur se nullatenus contraxisse si vel talia suspicassent. Nihilominus matrimonia sunt valida, quae irrita prorsus fuissent, si *conditionem expressum* de « non reddendo » ipsis apposuissent. Admitto pariter certitudinem metaphysicam in ista materia non requiri et moralem sufficere. Sed observandum est argumenta, quae valent pro foro interno, ut v. g. « confessio » in casu nostro, per se non sufficiunt praesumptionem destruere, in favorem matrimonii, quae semper adest, cum constat de eius canonica celebratione, iuxta illud: « Cum nimis indignum sit iuxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmari. - In Cap. Per tuas 10 de Probat. - Sed a conclusione advocati actricis circa praesens matrimonium recedere cogor et a sententia Curiae parisiensis, ob rationes quas nunc sapientissimo EE. iudicio humiliter submittant.

Ut nullum declaretur hoc matrimonium constare debet

*moraliter** Carolum non habuisse intentionem contrahendi verum matrimonium, prout a Christo institutum et ab omnibus intellectum. Atqui hoc non constat, seu moraliter certum non est. Ergo.

Veritas minoris, maior est certa, patebit, si 1. incertum est, Carolum in errore versari circa naturam vinculi matrimonialis ; 2. si admisso errore, incertum adhuc est ipsum consensum, per errorem conditionatum et proinde vitiosum. Iam vero, ad primum quod spectat, impossibile est actus processus legere quin statim deprehendatur magnam esse discrepantiam inter theorias a Carolo in sua confessione non iurata, sed iuridica proclamatas, et opiniones eiusdem ex depositione testium collectas. Carolo in curia ecclesiastica loquente matrimonium est coniunctio mere temporanea viri -et feminae - ad libitum utriusque terminabilis - unio indissolubilis est res absurda, vix concipi potest; sed Carolo, prout eius sermones a testibus referuntur - matrimonium res -ardua est - per id homo catenis compedibusque vincitur - libertati suae valedicit - contrahendo « Rubicon transit. » Et notandum quod haec ultima omnia sive *ante,* sive in puncto celebrationis sui matrimonii prolata fuere, dum priora nonnisi *post* matrimonium, cum interrupto domicilio coniugali, processus pro dissolutione fuerit aut institutus aut mox instituendus. Iudicent EE. quo tendat haec discrepantia.

Vir singularis est certe Carolus, et obscura remanebit notitia nostra huius causae nisi nobis efformemus ideam distinctam naturae psycologicae et religiosae quae vias antiquas praetergreditur, et ut novum aliquod specimen sese oculis obtulit. Praeterea accurate sequi debet ordo chronologicus dictorum et factorum : nam haec *simul* congesta vim magnam testimonii contra matrimonium constituunt quae miro modo decrescit cum *separatim* et in ordine temporis studentur.

- Incipiendo igitur a persona. - Carolus Normand, eximius professor historiae in Lyceo, vir 40 annorum, ut genuinus fetus Galliae irreligiosae et materialistae haberi potest - fetus perpulcher sane - quum per seipsum descriptis

in sua confessione - litteris - verbis et gestis, nihil aliud apparet quam verus « porcus de grege Epicuri. » Descensu facili et ineluctabili Philosophia eccletica et spiritualis, licet achatholica prioris partis huius saeculi in purum materialismum devenit, et generatio hominum misera huius principiis enutrita et formata, quo magis ab omni recta circa Deum notione erraverit eo precipitiorem se omnibus vitiis dederit, ita ut de excultioribus dici potest, quod mirabili nexu in vita eorum uniunt, theoriam de « *incognoscibili* » cum praxi « *innominabili.* » En Caroli genus proximum et differentia - species vera ! » Illi, quod placet virtus est I homines vere virtuosi imbecilles - Amasias fovere solitus et cum « ex abundantia cordis os loquitur » in ipsa cena nuptiali uxoris et hospitium aures offendit, iugiter discurrens de Gola scriptore - inter obscenos Galliae scriptores, obscenissimo. Matrimonium consummavit eodem die et brevi post, Amasiam iterum quaerit, post octo dies uxorem deseruit, et unica ratio ab ipso allegata est quod « nimis macera erat » - En Carolus a seipso depictus ! - Nullum dubium quin « solubile matrimonium illi maxime arrideret, immo amor » forsitan ut dicunt « liber : » et *aegre,* ut ipse fatetur, hoc matrimonium contraxit. Sed nonne haec reluctantia evincit, illum recte intelligere naturam vinculi ? Si uxores mutari possunt, sicut vestimenta, ut declarat, non iis verbis; sed equi valentibus ; ad quid tanta difficultas in contrahendo ? ad quid haesitationes de quibus in depositionibus passim? Potuit optime Carolus *somniare* societatem civilem ubi coniugia fuissent stabilita ad normam systematis G. Sand, vel « Apostolorum affinitatis electivae » Americanae, sed amens non fuit, et illum non potuit latere, talem societatem non existere extra somnia sommatimi, et in Gallia, sicut alibi, certe novit professor historiae contractum matrimonialem esse contractum « sui generis, » perpetuum, et *per se* indissolubilem, etiam sub iniqua lege divortii civilis, quae quidem sub certis conditionibus inficit indissolubilitatem *de facto,* quin tangere velit indissolubilitatem *de iure.*

Incertum ad minus est igitur, Carolum errasse circa naturam vinculi et probabile ipsum, dum contraxit, consensum, dedisse in matrimonium prout *communiter* intelligitur, id est prout est a Christo Domino institutum. Haec conclusio manifesta fit ex analysi eorum quae matrimonium praecesserunt, quae in actibus referuntur, quae proinde sedulo perpendi debent ordine quo acciderunt. Tota enim difficultas, et vis apparens argumenti pro nullitate praetensa, nascuntur ut mihi videtur ex neglectu ordinis temporis.

Imprimis loquens Carolus cum D. Gautereau de prole suscipienda, dixit tempus iam est, de hac re, serio, cogitari. Verum est illum postea loquutum esse in sensu prorsus diverso, sed hoc contigit *post* matrimonium cum voluerit uxorem deserere. Felicitate, qua gaudere vidit coniuges Gautereau, allectus, desiderium concepit ducendi Carolinam, sororem D. Gautereau. Ideo rogavit amicum suum D. Legorin negotiationes instituere, quod fecit primo apud familiam Gautereau, deinceps apud illam Carolinae. Rem sic inchoatam prosequutus est a mense Novembris usque ad Aprilem sequentis anni. Circa totum hoc testes sunt unanimes. Carolina ait « Nihil ab ipso factum, quo credi poterat, eum non ve,![1] e vere contrahere. » Idem testatur D. Gautereau. Quin immo cum mense Februarii Carolina, indole et charactere sponsi parum contenta, vellet omnem tractatum de matrimonio abrumpere, et revera recusaret illum - Carolus quam maxime *contri stabat ar* et *lamentabatur.* - Audiamus D. Gautereau « dum haesitaverit soror mea, maxime affiigebatur Carolus. Saepe repetebat coniugium hoc valde carum illi, esse; et, cum demum iterum consenserat Carolina, exultavit, dum. e contra *ingentem* se sentire dolorem dixerat, ob eius renitentiam ». Verum est quod ipse de matrimonio interdum loqueretur cum quadam levitate : sed ipsemet deinceps protestatus est, ea quae de lege divortii dixerat, ex *ioco* fuisse prolata, et *ironice* prolata, *sensu iocoso accepta f iter e a Carolina et ab aliis omnibus.* FIoc modo, igitur progressi sunt tractatus de hoc connubio, non secus ac in sexcentis

aliis, per quinque et amplius menses, usque ad diem quo conclusus fuerit « Contractus legalis » i. e. die 4 Aprilis 1887. Ab hac die deinceps usque ad 12 Aprilis quando celebratum fuit matrimonium coram Ecclesia, status rerum valde immutatur. Parum amabilem se exhibet Carolus erga sponsam, timores exprimit, et libertatem deplorat, cui renuntiandum esset. Revera praecipua quae in favorem nullitatis motiva proferuntur in casu, limitibus harum 8 dierum circumscribuntur. Die « actus civilis » ita mente praeoccupatus fuit Carolus ut videretur onere humeris imposito gravari, tristis apparet et lugubris aspectu, illacrymans exclamat « Valde hoc matrimonium desiderabam, et ecce nunc infelix sum ! Videor catenis compedibusque ligari ». « Non debuissem matrimonium contrahere ». Post *actum civilem* dixit D. Gautereau « nisi lex divortii esset non contraxissem. » Respondit iocose Gautereau « adhuc est tempus; omnia abrumpi possunt ante actum religiosum : cui Carolus, « imbecillis sum! et quod plus est esurio ! ! >. Similia repetebat ante matrimonium et postea in itinere cum uxore.

Iam vero abstrahendo ab omni iuris subtilitate, quodnam iudicium super tota» hac historia efformabit vir prudens et rebus versatus? Sane, quod Carolus ab initio matrimonium cum Carolina serio intendit, quam deinde progressu temporis aut amare desiit, aut potius omnem ideam matrimonium contrahendi dimisit: quod quidem facile concipitur, cum agatur de *celibe quadragenario,* egoista et vaga Venere se delectante, qui ingenue confitetur, se taedio affici aspectu cuiuscunque feminae post paucos dies. Absque dubio, ni animus illi defuerit, totam negotiationem abrupisset. Sed en difficultas! tractatus iam a tempore notabili existebant, respublica erat, et parentes Carolinae non eius generis viri erant, qui tantam contumeliam aequo animo ferrent. Igitur tacet Carolus et sub influxu metus vel respectus humani matrimonium inivit. Ceterum hoc ab ipso palam admittitur. Testatur D. Jumel : « Saepe dictitabat se nonnisi *coacte* matrimonium hoc contraxisse ». Verum metus, qui nec est ab

extrinseco, nec iniuste incussus, impedimentum dirimens non est, et proinde matrimonium Caroli validum habendum est.

Sed ubinam in tota hac historia fundamentum invenitur contentionis actricis, de errore circa vinculum vel de intentione contrahendi matrimonium solubile? Et tamen haec est historia matrimonii in casu. Cetera quae in actibus referuntur, pro maiori parte sunt impressiones et opiniones subiectivae testium cum circumstantiis, quae non mutant ea quae superius sunt exposita. In hypothesi actricis, omnia quae referuntur de haesitatione et timore Caroli ante matrimo-**r** niuni, sensu prorsus carent, et haec omnia, ut patet tempore non suspecto et dicta et facta sunt. Unicum quod dici potest, est quod Carolus novit et forsitan approbavit legem de «divortio civili; possibile est etiam ipsum paratum esse, data causa, invocare hanc legem, ut se ab uxore separet, cura qua iiic et nunc vere contrahit. » Ego quidem crederem hanc esse depositionem implicitam omnium fere in iis regionibus, ubi infausta illa lex viget, quin propterea pronuntiarem invalida matrimonia protestantium in Anglia v. g. aut in America Septentrionali. Iudicium penes EE. est, et sic rem relinquam, cum hac observatione quod deest probatio sufficiens talis intentionis in casu.

Patronus Carolinae probat, ex declarationibus SS. CC, RR. defectum consensus colligi posse ex « circumstantiis; » quod libenter admitto. Deinde pergit ostendere ex circumstantiis huius matrimonii - ex verbis nempe Caroli - et modo eius agendi et ex opinionibus nonnullorum testium defectum, reapse adesse. Ad Carolum quod spectat, assumit patronus ut principium, confessionem coram iudice ecclesiastico factam, in qua affirmat s-) nullum admittere vinculum insolubile in matrimonio, et *mah'a hac confessione*, interpretatur omnia quae praecesserant. Sed haec ratio agendi minime placet ; nam confessio non est iuramento firmata; *et etiamsi f iterat iterata* parum valeret in indicio. - Illa uti prout utitur patronus Carolinae, esset in vertere ordinem chronologicum, explorare testimonia « temporis non suspecti » allegatis « tem-

pore suspecto » et eliminare a causa pondus gravissimum testimonii quod exsurgit ex progressu et « evolutione » idearum Caroli, super natura matrimonii, quae legentibus actus processus patebit. Si vel etiam a mense Februarii loquutus fuisset Carolus, prout in confessione loquitur, nullum dubium quin matrimonium non fuerit celebratum,, et si celebratum fuerit invalidum esset. - Carolus in confessione audacter asserit se numquam celasse opinionem, quam dicit suam de matrimoniis solubilibus: interrogatus de personis quibus sensus suos expresserat, ante matrimonium, *non potest nomina dare ! !* - Asserit insolubilitatem vinculi quaestionem esse disputatam in Ecclesia. Quis vero credet Professorem Historiae tali ignorantia laborare? - Non igitur audivit unquam colluctationem Innocentii III cum rege Gallico - alterius Pontificis cum Henrico VIII Angliae - Pii VII cum Napoleone? - Cursus historiae etiam profanae numquam duxit in cognitionem doctrinae Ecclesiae super re, natura sua, cum rebus civilibus intime connexa? Sed haec sunt tam mira tam extraordinaria, « credat Iudaeus Apella, non ego. »

Salvo EE. iudicio, puto confessionem Caroli esse omnino reiiciendam, non tantum ob defectus iuridicos, quod sit *non iurata*^ et facta « *tempore suspecto* » et in *commodum* etiam ipsius, sed etiam ob intrinsecam improbabilitatem suam, et sic cadit principale quo fulcitur petitio actricis; dum e contra ex narratione verborum et actionum iuxta ordinem temporis apparet quod incertum omnino sit Carolum in errore circa, vinculum matrimoniale versari, et adhuc magis incertum quod *conditionem* vitiosam et vitiantem opposuisset consensui ab ipso, in celebratione sui matrimonii, praestito.

Verum ex instructione S. O. sequentia habemus quoad causas matrimoniales : < Iudex sciat matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi *evidentes rationes* nullitatem eius demonstraverint... iudicium contra matrimonium nunquam erit pronuntiandum nisi earum rationum complexio *omne prudens dubium* de existentia impedimenti excludat. » - In

casu isto rationes non sunt evidentes immo desunt quoad essentiale, nempe conditio expressa, sive pactum - et complexu) circumstantiarum et factorum quae certe vi non careret si quaestio esset de separatione thori tantum, longissime distat a vi probativa quae omne prudens dubium de existentia impedimenti dirimentis excluderet.

Operae pretium non duxi longius protrahere examen eorum quae dicuntur a testibus in causa. - Legi possunt haec in processu, ex quo ea tantum quae alicuius momenti sunt extraxi. Elucet in omnibus naturalis coinmiseratio erga Carolinam, quae absque propria, quod appareat culpa, sortem tam miserabilem sortita est « infelicitatem cui exitus non datur» ut utar verbis ipsius Caroli! - Si dissolvi possunt matrimonia cum viris improbis contracta - si sufficerent contumeliae et iniuriae miseris feminis post matrimonium illatae, absque dubio non desunt rationes in isto casu. Sed matrimonium est sacramentum significans unionem perpetuam Christi Domini cum Ecclesia, et valide contractum et consummatum morte tantum solvi potest. - Sortem Carolinae compatior et ego, sed libera est vel libera esse potest a consortio viri indigni, cui uniebatur non sine aliqua imprudentia - et si novas nuptias, illo vivente, non licet illam sperare; conditio eius peior non est uxorum, quorum viri sunt perpetuo carceri mancipati aut in manicomiis ob amentiam insanabilem reclusi.

Quapropter cum nullitas in casu non probetur ad exclusionem prudentis dubii, censeo reformandam esse sententiam Curiae parisiensis et declarandum est « Non constare de nullitate in casu. »

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMOMII EX OFFICIO. Carolus Normand, clarus historicus, in aetate annorum quadraginta constitutus, quamvis status matrimonialis onera odio haberet, demiratus tamen coniugum iurisconsulti Augusti et Berthae Gautereau, quibus familiarissinms atque intimus erat, pacem et felicitatem, desiderio exarsit Carolinam Legrand,

puellam octo supra viginti annos natam, praedictae Berthae Gautereau sororem, uxorem ducere. Et postquam per septem ferme menses Carolinae domum frequentaverat, die 12 Aprilis 1888 Parisiis nuptiae factae sunt.

Novi coniuges, haud interiecta mora, genio coniugali induxerunt. Sed statim evanuit coniugum amor. Carolus enim die 20 praefati mensis Aprilis Carolinam ad parentes remisit : quippe qui Carolinam et matrimonium fastidiebat. « *A vrai dire** ita ille in Uteris ad uxorem eadem die datis, *ce n est pas seulement la personne** Carolinam, *que je n aime pas. - C'est le mariage* lui-même. » Eadem die Carolus ad ludimagistrum Augustum Noèl scribebat: « *Les affaires** matrimonii, *vont mal... IM faute en est plutôt à moi qu à elle, car je n ai rien à lui reprocher sur le rapj>ort du caractère au moins! Pour le j'este je réserve mon appréciation*.. Je ne sais si je suis fait pour le mariage, mais à coup sur je n'étais pas fait pour cette mariée ».*

Suasionibus, precibus minisque Carolus a Carolinae parentibus adductus est ad contubernium instaurandum ; sed die 8 insequentis Iunii coniugale consortium iterum dissolvit. Tunc coniuges, potissimum vero Carolina eiusque parentes statuerunt, ipsum matrimonii vinculum abrumpere : eumque in finem exeogifarunt conditionem contra vinculi perpetuitatem contractui matrimonii mente appositam. Si ipsos audias. Carolus eatenus Carolinam duxit, quatenus matrimonii nexum putavit pro lubitu solubilem; et proinde in matrimonium minime consensit ; sed potius matrimonium contrahere simulavit. Remque ita composuerunt ut iudex parisiensis ac romanus consultor theologus eantiuneulam pronis auribus exceperunt, quam iure optimo aspernatur consultor canonista.

Enimvero in confessis est praeprimis verba nedum a Carolina, sed etiam a Carolo in actu celebrationis matrimonii prolata verum in matrimonium consensum significare. Audi modo Gloss.'in' *cup.l'> De sponsa I. ri m a tri uro n. verb. Mulierem,* - ibi - « Sed pone quod aliquis prot est etur coram

pluribus quod omnia quae dicet vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat, *consentio in te:* nunquid est hoc matrimonium, vel non; in casu isto *dico quod ecclesia iud.icare debet pro matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam.* Talia enim verba non possunt servire suae intentioni. Praeterea si probet quod illa verba protestatus fuit prius, potuit postea recedere ab illa voluntate, et consentire in illam; et hoc videtur propter illud quod postea publice facit. Et si dicat quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate *non creditur ei,* quia contra eum debet fieri interpretatio, qui dolum ad bibet. »

« Ad decernendam nullitatem alicuius matrimonii, inquit lectissimus consultor theologus, ex apposita conditione sacramenti bono contraria, necessarium absolute non est quod talis conditio fuerit in pactum deducta et explicite expressa in ipso actu celebrationis matrimonii ; sed sufficit quod possit morali certitudine, ex gravibus adiunctis deduci, *validi oque argumento* demonstrari. » Transeat, ast *validam illud argumentum,* quod ostendit, Carolum vinculum *solubile* contrahere intendisse, unum est, confessio, scilicet, ab ipso Carolo coram parisiensi iudice facta,. Iam vero si ecclesiastici iudices fidem huiusmodi hominibus adiiciant, actum est nedum de hoc, verum etiam de matrimoniis omnibus.

Non solum coram iudice in aestu litis, ait consultor eximius et cum eo iudex parisiensis, sed etiam in epistola ad antiquum suum professorem, *tempore non suspecto* data, Carolus se non recte de matrimonii natura sentire ostendit. Scribebat enim: « *Je tien s^ d vous dire... que je ne partage pas du tout vos idées sur le caractère même du mariage. »* In primis quaeram quo iure theologus consultor ac iudex parisiensis, affirmare possint hanc epistolam scriptam esse *tempore non suspecto,* cum data sit sine die, sine mense et sine consule? Imo certum e contra est, epistolam illam scriptam esse *tempore suspe.c Ussit no.* in ea enim Carolus respondet ad epistolam a professore die *21* Aprilis 1887 da-

tam. At Carolus pridie Carolinam parentibus restituerai. Et hanc examussim culpam magister discipulo illa in epistola exprobrabat.

Deinde, ex recitatis verbis « *je ne partage pas du tout vos idées sur le caractère mime du manage* » contradictores immerito coniectant, Carolum matrimoniale vinculum haud perpetuum existimare. Quae sit hac de re Caroli opinio liquido patet ex epistola, quam ille eamet die, qua Carolinam dimisit, dedit ad uxorem. « *A vrai dire ce n'est pas seulement la personne que je n aime pas, c'est le mariage lui-même. Il m'est décidément impossible de vivre lié par le pied à une femme pour toute mon existence* ». Eadem ipsa die 20 Aprilis 1887 ad praefatum suam professorem scripserat: « *de ne sais si je suis fait pour le mariage, mais à coup sûr je n étais pas fait pour cette femme.* »

Ludicrum et stultum est suspicari Carolum Normand onera per celebrationem matrimonii in se suscepta dicendo amplificasse eodem actu quo totus in eo erat, ut onera illa inficiaretur. Iam vero nemo unquam tam clare, aperte, explicit , abundanter matrimonii perpetuitatem professus est, quam Carolus Normand in memoratis ad dimissam uxorem uteris cum matrimonium definit: « *Vivre lié par le pied à une femme pour tout son existence.* » Ecquis unquam individuam, ad quam per matrimonium sese obstrinxit, vitae consuetudinem verbis agnovit adeo luculentis ac Carolus Normand, dum scribit: « *Vivre lié par le pied à une femme pour toute mon existence ì* »

At Carolus « *verius parcus de grege Epicuri videt meliora probatque, deteriora sequitur.* > Commoda coniugii amplectitur libenter, sed nihil antiquius habet quam ut connexa onera propulset. Hac solummodo de causa homo omnium conscientiae vinculorum ab incunabilis aspernatur non ecclesiasticum sed civilem nexum reformidabat, solabaturque lege divortii, « *verba ligant homines, cornua boves.* »

Et quod deterius est in tempora incidimus quibus Carolus Normand innumeros socios ac asseclas habet. Spiritus

Sanctus monet, *Ierem, cap, 3, 27; « Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* » En qui animo longe alio ac Carolus Normand ad matrimonium accedit « *quia iugum portabit ab adolescentia sua.* » Sed dispeream, nisi omnes qui, ab adolescentia sua excusso iugo, cupiditatibus obsequi, legem ab auctore naturae nobis inditam spernere in more habuerunt, animo intendant, dum matrimonium ineunt, uxori valedicere, si impune possint, statim ac illam fastidiunt. Huius generis homines non aliter ac Normand matrimonium irrident ecclesiae, civile tantummodo prae oculis habent, quia timent ne armato milite iugalia onera perferre cogantur.

Paucis Carolus Normand non *fori interni obligationes,* quas a teneris unguiculis contemnere didicit, dum nuptias explevit, ignoravit, sed speravit se coniugalibus obligationibus prout aliis omnibus, quandocumque sibi volupe fuerit, contraire uxoremque dimittere impunissime posse. Hunc et non alium sensum habent Caroli facta dictaque, si vera sint quae iurisconsultus Gautereau, Adelia Legorju, Hilarius Legorju, Carolae soror, eius pater A. Jumel, causidicus Valentin, aliique commemorant. At vero si ista ad cassandum matrimonium sufficiunt, ii tantum valido connubio iunguntur qui ab aetate tenella timere Deum eiusque mandata facere assuev erunt.

Cum ita res se habeant, non dubito quin Emi Patres ad inscriptam rogationis formulam « *An sententia curiae archiepiscopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu* » dimittant consultissimo responso « *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* »

Quibus praemissis, propositum fuit sequens

Dubium.

An sententia Curiae parisiensis sit confinnanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. S. C. Concilii sub die 31 Januarii 1891, re discussa, censuit respondere: *Sententiam esse infirmandum.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I- Quaestionem hanc matrimonialem esse omnino quaestionem facti ; de iure enim applicando in themate una est in omnes sententia ; ita ut matrimonium' renunciandum sit nullum si moralis certitudo exurgat, sponsum inire voluisse matrimonium solubile ad nutum ; et hanc conditionem, ante celebrationem expressam verbis aut alio modo fuisse.

II. Neminem latet, consensum in matrimoni um solubile tantum, vitiosum et insufficientem esse ; quia conditio haec adversatur bono seu substantiae sacramenti, natura sua indissolubilis.

III. Conditionem contra bona. matrimonii repositam in mentem alterius ex coniugibus invalidare matrimonium tantum in *foro interno;* in *foro* **auPnn** *externo* invalidum fit matrimonium quatenus praedicta conditio in pactum deducta fuerat a duobus contrahentibus.

IV. Conditionem bonis matrimonii adversa, a contrahentibus expressam, sed minime deductam in pactum, matrimonium non inficere; nam etsi errore decipiantur contrahentes; tamen locus est praesumptioni, eos dum contrahunt inire voluisse matrimonium ceu a Christo institutum fuit.

V. Error enim privatus, quodammodo absorbit ur a generali voluntate de matrimonio, iuxta Christi voluntatem ineundo ; quo fit ut matrimonium validum firmumque maneat, etiamsi errore detineantur contrahentes, quod possint matrimonium solubile inire, quatenus in pactum non deduxerunt hanc voluntatem.

VI. In themate etsi sponsus errore deciperet u r quoad indissolubilitatem matrimonii, tamen cum. moraliter ex adductis testimoniis non constet, illum non habuisse intentionem contrahendi verum matrimonium, prouti a Christo institutum, ideo matrimonium, in sua vi permanet ; quia, probationes adductae haud valent destruere praesumptionem in favore matrimonii, de cuius canonica celebratione satis constat.

EX S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE

Privilegia concessa pio operi de Propagatione Fidei.

Très Saint Père,

Les Présidents des Conseils centraux de l'Œuvre de la Propagation de la Foi, humblement prosternés aux pieds de Votre Sainteté, La supplient instamment de daigner accorder à perpétuité les faveurs et facultés énoncées ci-dessous aux prêtres qui serviront la dite Œuvre dans les conditions exprimées ci-après, a savoir :

I. A tout prêtre qui sera chargé dans une paroisse ou dans un établissement de recueillir des aumônes pour l'Œuvre de la Propagation de la Foi, quelle que soit d'ailleurs la somme qu'il recueille, ou qui de ses propres ressources versera dans la caisse de l'Œuvre le produit d'une dizaine entière:

1. La faveur de l'autel privilégié trois fois par semaine;

2. Le pouvoir d'appliquer les indulgences suivantes: aux fidèles qui sont à l'article de la mort, l'indulgence plénière; aux chapelets ou rosaires, croix, crucifix, images, statuettes et médailles, les indulgences apostoliques; aux chapelets, les indulgences dites de sainte Brigitte:

(Versio latina)

Bme Pater,

Praesides Consiliorum centralium Operis a propagatione Fidei, humiliter provoluti ad pedes Sanctitatis Vestrae, instanter implorant, ut concedere in perpetuum dignetur privilegia et facultates sequentes Sacerdotibus addictis eidem Operi modis qui sequuntur, videlicet:

I. Unicuique Sacerdoti, qui onus habeat in qualibet Paroecia aut in quolibet instituto, eleemosynas colligendi favore Operis a Propagatione Fidei, quaelibet aliunde sit vis pecuniae collectae, aut qui proprio aere exhibeat Operi vim pecuniae pro decem sociis:

1. Altare privilegiatum ter in qualibet hebdomada :

2. Facultatem applicandi sequentes indulgentias: pro fidelibus in articulo mortis constitutis indulgentiam plenariam; coronis piscatoriis seu rosariis, crucibus, crucifixis, sacris imaginibus, statuis parvis et numismatibus indulgentias apostolicas, coronis piscatoriis indultias s. Birgittae.

3. La faculté d'attacher aux crucifix les indulgences du Chemin de la Croix.

II. An tout prêtre, membre d'un Conseil ou d'un Comité chargé de veiller aux intérêts de l'Œuvre, etc.

A tout prêtre qui, dans l'année, aura versé à la caisse de l'Œuvre une somme représentante au moins le produit de mille souscriptions, quelle que soit d'ailleurs la provenance de cette somme :

1. Les mêmes faveurs que les prêtres de la catégorie précédente ;

2. La faveur de l'autel privilégié personnel cinq fois par semaine ;

3. La faveur de bénir les croix en y attachant les indulgences appliquées à l'exercice du Chemin de la Croix, et de plus le pouvoir d'imposer le cordon et le scapulaire séraphiques avec toutes les indulgences et les privilèges accordés à cette imposition par les Souverains Pontifes;

4. Le pouvoir de bénir et d'imposer aux fidèles les scapulaires du Mont-Carmel, de l'Immaculée-Conception et de la* Passion de Notre Seigneur.

Dans le cas où les sommes à recueillir seraient momentanément incomplètes, les susdits Présidents implorent de Votre Sainteté la prorogation des pouvoirs du prêtre, qui aura fait le

3. Facultatem adiungendi crucifixis indulgentias Viae-Crucis.

II. Cuilibet Sacerdoti, qui pertineat ad Consilium vel ad comitatum oneratum ad Operis negotia gerenda etc.

Cuilibet Sacerdoti, qui in anni circulum exhibuerit in capsam Operis summam pecuniae, quae saltem aequét vim pecuniae, quam mille offerrent socii, quaelibet, aliunde, esset origo huius pecuniae :

1. Eadem privilegia concessa sacerdotibus praecedentis ordinis ;

2. Altare privilegiatum quinquies in hebdomada ;

3. Privilegium benedicendi cruces cum indulgentia concedi solita exercitio viae-crucis; et insuper facultatem imponendi chordas et scapularia s. Francisci cum indulgentiis et privilegiis concedi solitis per rr. Pontifices, huic impositioni ;

4. Facultatem benedicendi et imponendi fidelibus sacra scapularia Montis Carmeli, Immaculatae Conceptionis et Passionis Iesu Christi Domini Nostri.

Casu autem quo summa pecuniae, colligenda, haud esset, momento temporis, plena, dicti Praesides implorant a Sanctitate Vestra prorogationem facultatum favore Presbvteri il-

versement intégral de l'année précédente, jusqu'à la clôture de l'exercice courant.

Ii us, qui exhibuerit integram summam praecedentis anni, usque ad exitum exercitii currentis.

III. Tout prêtre qui versera en une fois, de ses propres ressources, une somme représentante le produit de mille souscriptions, aura droit toute sa vie aux faveurs accordées aux prêtres membres d'un Conseil.

III. Quilibet Sacerdos, qui una vice exhibuerit, de proprio aere, eam pecuniae vim quae acquêt summam mille sociorum, ius habet, pro suae vitae tempore, ad privilegia concessa sacerdotibus, qui Consilii membra sunt.

Ex audientia SSñii habita die S Ar t f/us ti 1889.

SSmus Dominiis Noster Leo divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto Archiepiscopo Tyren., S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, expetitas extensiones indulgentiarum concedere dignatus est, easque in perpetuum pio Operi tribuit, excepta facultate benedicendi coronas, quam non ultra quinquennium concessit.

Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis die et anno ut supra.

Pro R. P. D. Secretario

PHILIPPUS TORRONI *sr/bs ti tutu S.*

Epistola Emi. Praefecti ad Episcopos, de pia unione precum inter Episcopos.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Iam inde ab anno 1866, adhortante viro Eminentissimo Cardinali Xisto Riario Sforza Archiepiscopo Neapolitano, pia quaedam Unio efformata est inter plures Europae aliarumque regionum Episcopos, qui in Spiritu congregati preces persolvunt, antecessores suos vita functos, seipsos, propriosque greges unanimiter Deo commendantes. Quo autem haec pia Unio precum magis ac magis in dies inter alios quoque Episcopos propagetur, a Sanctissimo D. N. Leone PP. XIII eorum quidam nuperrime expostularunt, ut eam benigne approbare atque Apostolica Benedictione auspicari dignaretur. Porro Sanctitas Sua, ut primum

praedictorum Praesulum vota excepit, propositae ab ipsis Unioni precum Benedictionem Apostolicam peramanter impertíens, eam nedum amplissimis cohonestare laudibus, sed et in omnibus approbare ac peculiaribus indulgentiis ditare dignata est. Voluit praeterea Sanctissimus D. N. ipsam piam Unionem per Decretum huius S. Congregationis de Propaganda Fide erigi, atque in eadem S. Congregatione eius praecipuam sedem, seu centrum, statui pro cunctis totius catholici orbis Episcopis adscribendis.

Quae cum ita sint, Decretum erectionis memoratae Unionis precum ad Amplitudinem Tuam transmitto, Te simul rogans ut mihi signifiées an ad ipsam adscribi velis. Atque interim responsionem tuam praestolans, precor Deum ut Te quam diutissime servet ac sospitet.

Datum Romae ex aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 7 Decembris 1887.

Amplitudinis Tuae,

Addictissimus uti Frater,

IOANNES CARD. SIMEONI, PRAEFECTUS

DOMINICUS ARCHIEP. TYREN., *Secretarias.*

Decretum Erectionis

Anno 1866 Cardinalis Xistus Riarius Sforza Archiepiscopus Neapolitanus, epistola ad Archiepiscopum Baltimorenseni data, haec de unione precum inter Episcopos constituenda habebat: - Inter tot, quibus Episcopus quotidie detinetur labores, interque curas, quas secum affert pastorale ministerium, haud exiguum certe levamen erit, si omnes Episcopi catholici sibi mutuo auxilium praebere studeant, et assiduis orationibus invicem Omnipotentem Deum exorent. Hinc aliqui Episcopi, praesertim Ditionis Ecclesiasticae, operae pretium esse existimarunt, si plurimi Episcopi in Spiritu Domini congregati tria pietatis officia vellent exercere. Primum erga defunctos Episcopos, secundum erga seipsos, tertium erga Episcopos in coclis cum Christo regnantes esset persolvendum. - Ad id autem inter alia haec proponebat :..

I. Ut primo fiat satis, quilibet Episcopus quotidie in Misso specialem memoriam habeat de Episcopis recens vita functis ; quotannis vero infra octavam Omnium Sanctorum vel per se, vel per alium Sacerdotem, Missam unam celebret pro omnibus Episcopis catholicis in Christo quiescentibus.

II. Secundum pietatis officium erga seipsos adimplendum in eo sit, ut omnes sint speciali modo in Spiritu congregati coram Domino dum orationi quotidie vacant aliasque sanctas absolvunt actiones. Quare sive mentali orationi, sive piae lectioni vacent, sive Missam celebrent, sive Horas canonicas persolvant, sive preces supererogatorias recitent, sive sacras functiones peragant, omnia simul agere intendant. In Sacro quoque faciendo specialiter orent pro toto Episcopatu catholico, pro incolumitate Romani Pontificis, et pro sanctificatione gregis unicuique commissi. Ut autem haec pia Unio firmior in dies evadat, Reginae Apostolorum tutelae et patrocinio commendanda est, ac proinde neminem ex Episcopis pigebit, post Horas canonicas, vel alio tempore semel in die orationem recitare *Memorare piissima Virgo,* et ter deinceps illam invocare : *Virgo Immaculata, Regina Apostolorum, ora pro nobis.*

III. Tertium denique pietatis officium postulat, ut speciali cultu, prosequantur omnes Episcopos qui, in terra degentes pastorali munere sanctissime perfuncti, nunc in coelis semper prompti et parati sunt ad interveniendum apud Deum pro iis, qui missi ad excolendam vineam Domini in labores eorum introierunt. Quapropter in fine Horarum canonicarum commemorationem hoc modo facient Episcoporum, quorum illa die festum agitur, et omnium Sanctorum Episcoporum:

I. ANT. *Pastores optimi, qui animam posuistis pro ooibus, intercedite pro nobis .et pro grege nostro ad Dominum.*

f. Benedicite Sacerdotes Domini Domino.

i$. *Benedicite et superexaltate eum in saecula.*

OREMUS. *Deus qui in Sanctis Tuis et exemplum et praesidium collocasti, concede nobis famulis tuis, Sanctorum omnium Antistitum, quorum hodie memoriam recolimus, et exempla, sectari et protectione muniri. Per Christum Dominum nostrum.*

IL ANT. *Omnes Sancti Pontifices, estote memores nostri, deprecamini pro nobis Filium Dei Sacerdotem magnum.*

y. Benedicite Dominum, omnes Electi Eius.

4- *Agite dies laetitiae, et confitemini Illi.*

OREMUS. *Fiat Domine, quaesumus, super nos misericordia tua, et omnium Sanctorum Antistitum intercessione concede, ut in pastorali officio obeundo eorum experiamur suffragia, et vestigia prosequantur. Per Christum Dominum nostrum.*

Cum vero nuper nonnulli ex Episcopis praesertim Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, supplices preces Sanctissimo D. N. Leoni PP. XIII porrexerint, ut huiusmodi piam Unionem firmius constituere, et Sacris Indulgentiis ditare dignaretur, Sanctitas Sua in Audientia diei 19 Septembris 1886, referente infrascripto R. P. D. Archiepiscopo Tyrensi S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, memoratam piam Unionem benigne approbans atque confirmans, omnibus ac singulis catholici orbis Episcopis in eam adscribendis benigne largiri dignata est sequentes indulgentias in perpetuum :

1. Plenariam omnium peccatorum indulgentiam, lucrandam die primo eorum ingressus in ipsam piam Unionem : dummodo vere poenitentes, confessi ac Sacra Eucharistia refecti ecclesiam aliquam visitaverint, atque ibidem pias ad Deum preces effuderint pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione iuxta Summi Pontificis intentionem ;

2. Plenariam item lucrandam in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, vel si id nequiverint, saltem corde contriti, ore si potuerint, sin minus corde, SS. Nomen Iesus devote invocaverint;

3. Plenariam etiam diebus, quibus fit Commemoratio Omnium RR. Pontificum, et Orationis D. N. Iesu Christi in *Monte Oliveti,* adimpletis consuetis conditionibus, ut supra in n. 1.

4. Partialem insuper 60 dierum, lucrandam semel singulis diebus, cum sacris ministeriis sibi concreditis ipsi vacaverint.

Demum Sanctitas Sua Episcoporum adscriptiones in supradictam piam Unionem apud Sacram hanc Congregationem Christiano Nomini propagando fieri atque servari, et ab eadem supernis omnibus praesens Decretum dari mandavit.

Datum Romae ex *JEd.* S. Congregationis de Prop. Fide, die 7 Decembris 1886.

IOANNES CARD. SIMEONI, PRAEFECTUS

DOMINICUS ARCHIEP. TYREN., *Secretarius^*

Exorcismus in satanam et angelos apostaticos iussu Leonis XIII P. M. editus.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen,

PS. LXVII.

Exurgat Deus et dissipentur inimici eius : et fugiant qui oderunt eum a facie eius.

Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Ps. XXXIV.

Iudica, Domine, nocentes me ; expugna impugnantes me.

Confundantur et revereantur quaerentes animam meam.

Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.

Fiat tamquam pulvis ante faciem venti : et angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebrae, et lubricum : et angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui : superficiem exprobraverunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat ; et captio quam abscondit, apprehendat eum : et in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exsultabit in Domino : et delectabitur super salutari suo.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto :

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

AD S. MICHAELEM ARCHANGELUM.

PRECATIO.

Princeps gloriosissime caelestis militiae, sancte Michael Archangeli defende nos in praelio et *colluctatione,* quae *nobis est adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus* (Ephes. vi). Veni in auxilium hominum; quos *Deus creavit inexterminabiles, et ad imaginem similitudinis suae fecit,* et a tyrannide diaboli *emit pretio magno* (Sap. n; I Cor. vi). Praeliare hodie cum beatorum Angelorum exercitu praelia Domini, sicut pugnasti olim contra ducem superbiae luciferum, et an-

gelos eius apostaticos : *et non voluerant, neque locus inventus est eorum amplius incóelo. Sed proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem ; et proiectus est in terram, et angeli eius cum illo missi sunt* (Apoc. XII). En antiquus inimicus et *homicida* vehementer erectus est. Transfiguratus in angelum lucis, cum tota malignorum spirituum caterva late circuit et invadit terram, ut in ea deleat nomen Dei et Christi eius, animasque ad aeternae gloriae coronam destinatas furetur, mactet ac perdat in sempiternum interitum. Virus nequitiae suae, tamquam flumen immundissimum, draco maleficus transtulidit in homines depravatus mente et corruptos corde; spiritum mendacii, impietatis et blasphemiae ; halitumque mortiferum luxuriae, vitiorum omnium et iniquitatum. - Ecclesiam, Agni immaculati sponsam, vaferrimihostes repleverunt amaritudinibus, inebriarunt absinthio ; ad omnia desiderabilia eius impias miserunt manus. Ubi sedes beatissimi Petri et Cathedra veritatis ad lucem gentium constituta est, ibi thronum posuerunt abominationis impietatis suae; ut percusso Pastore, et gregem disperdere valeant. - Adesto itaque, Dux invictissime, populo Dei contra irrumpentes spirituales nequitias, et fac victoriam. Te custodem et patronum sancta veneratur Ecclesia ; te gloriatur defensore adversus terrestrium et infernorum nefarias potestates; tibi tradidit Dominus animas redemptorum in superna felicitate locandas. Deprecare Deum pacis, ut conterat satanam sub pedibus nostris, ne ultra valeat captivos tenere homines, et Ecclesiae nocere. Offer nostras preces in conspectu Altissimi, ut cito anticipent nos misericordiae Domini, et appréhendas draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, ac ligatum mittas in abyssum, *ut non seducat amplius gentes* (Apoc. xx).

Hinc tuo confisi praesidio ac tutela, sacri ministerii nostri auctoritate, ad infestationes diabolicae fraudis impellendas in nomine Iesu Christi Dei et Domini nostri fidentes et securi aggredimur.

y. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae.

i§. Vicit Leo de tribu Iuda, radix David.

f. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

4- Quemadmodum speravimus in te.

y. Domine, exaudi orationem meam.

E). Et clamor meus ad te veniat.

y. Dominus vobiscum.
4. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, invocamus nomen sanctum tuum, et clementiam tuam supplices exposcimus ut, per intercessionem immaculatae semper virginis Dei genitricis Mariae, beati Michaelis Archangeli, beati Ioseph eiusdem beatae Virginis Sponsi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, adversus satanam, omnesque alios immundos spiritus, qui ad nocendum humano generi animasque perdendas pervagantur in mundo, nobis auxilium praestare digneris. Per eumdem Christum Dominum Nostrum. Amen.

EXORCISMUS.

Exorcizamus te, omnis immundus spiritus, omnis satanica potestas, omnis incursio infernalis adversarii, omnis legio, omnis congregatio et secta diabolica, in nomine et virtute Domini Nostri Iesu Christi, eradicare et effugare a Dei Ecclesia, ab animabus ad imaginem Dei conditis ac pretioso divini Agni sanguine redemptis *i&*. Non ultra audeas, serpens callidissime, decipere humanum genus, Dei Ecclesiam persequi, ac Dei electos excutere et cribrare sicut triticum »$¡. Imperat tibi Deus altissimus cui in magna tua superbia te similem haberi adhuc praesumas ; *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I Tim. 11). Imperat tibi Deus Pater *yj<;* imperat tibi Deus Filius *f&;* imperat tibi Deus Spiritus Sanctus >£. Imperat tibi maiestas Christi, aeternum Dei Verbum, caro factum qui pro salute generis nostri tua invidia perditi, *humiliavit semetipsum factus obediens usque cui mortem* (Phi.1. 11); qui Ecclesiam suam aedificavit supra firmam petram, et portas inferi adversus eam nunquam esse praevalituras edixit, cum ea ipse permansurus *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth, XXVIII, 20). Imperat tibi sacramentum Crucis >$¡, omniumque christianae fidei Mysteriorum virtus Imperat tibi excelsa Dei Genitrix Virgo Maria quae superbissimum caput tuum a primo instanti immaculatae suae conceptionis in sua humilitate contrivit. Imperat tibi fides sanctorum Apostolorum Petri ot Pauli, et ceterorum Apostolorum Imperat tibi Mar-

tyrum sanguis, ac pia Sanctorum et Sanctarum omnium intercessi.

Ergo, draco maledicte et omnis legio diabolica, adiuramus te per Deum >$i vivum, per Deum *iB* verum, per Deum *f&* sanctum, per Deum qui *sic... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnes qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Io. **III**): cessa decipere humanas creaturas, eisque aeternae perditionis venenum propinare : desine Ecclesiae nocere, et eius libertati laqueos iniicere. Vade, satana, inventor et magister omnis fallaciae, hostis humanae salutis. Da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis ; da locum Ecclesiae uni, sanctae, catholicae, et Apostolicae, quam Christus ipse acquisivit sanguine suo. Humiliare sub potenti manu Dei ; contremisce et effuge, invocato a nobis sancto et terribili nomine Iesu, quem inferi tremunt, cui Virtutes caelorum et Potestates et Dominationes subiectae sunt; quem Cherubim et Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

y. Domine, exaudi orationem meam.

R). Et clamor meus ad te veniat.

y. Dominus vobiscum.

R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus coeli, Deus terrae, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem ; quia non est Deus praeter te, nec esse potest nisi tu creator omnium visibilium et invisibilium, cuius regni non erit finis: humiliter maiestati gloriae tuae supplicamus, ut ab omni infernalium spirituum potestate, laqueo, deceptione et nequitia nos potenter liberare, et incolumes custodire digneris. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Ab insidiis diaboli, libera, nos, Domine.

Ut Ecclesiam tuam secura tibi facias libertate servire ; Te rogamus, audi nos.

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris; Te rogamus audi nos.

(Et aspergatvir locus aqua benedicta.)

Ex audientia Sanctissimi.

Die 18 Maii 1890.

Sanctissimus D. N. LEO divina providentia PP. XIII omnibus Revercndissimis Episcopis, nec non Sacerdotibus ab Ordinariis suis legitime ad id auctoritatem habentibus, qui exorcisirium supra expressum devote semel in die recitaverint, partialem tercentum dierum indulgentiam singulis diebus lucrandam: iisdem vero per totum mensem id pergentibus, confessis, ac sacra Eucharistia refectis, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam semel in mense, die eorum arbitrio designanda, pariter lucrandam impertitus est: quam etiam animabus Christifidelium in purgatorio detentis applicari posse declaravit. Praesentibus in perpetuum valituris.

f D. ARCHIEPISCOPUS TYRENSIS

6'. C. *de Propaganda Fide Secretarias.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DUBIUM quoad occurrentiam Commemorationis omnium Fidelium in die 3 Novembris.

Infra fines Archidioeceseos Utinen. nonnullae extant ecclesiae sub titulo Sancti Iusti Martyris, cuius festum in universa Archidioecesi sub ritu duplici minoris die tertia Novembris ex apostolica concessione recolitur. Incidente in dominicam, anno vertente, secunda die Novembris, Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum die insequenti peragitur. Hinc sequens Dubium Reverendissimus Archiepiscopus Utinen. Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, videlicet :

An in casu praefatae occurrentiae die tertia Novembris in ecclesiis S. Iusti agendum sit de Festo eodem Titulari, in diem quartam translata Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum: vel potius transferendum sit in hanc quartam diem Festum Titulare, ut tertia die fiat enunciata Commemoratio ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Substituli Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit : *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Et ita rescripsit et servari mandavit die 22 Augusti 1890.

DECRETUM. Canonizationis Beati Petri Aloisii Mariae Chanel sacerdotis e societate Mariae Oceaniae protomartyris.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu, et ad effectam de quo agitur ?

Instante Rev. P. Claudio Nicolet sacerdote e Societate Mariae ac postulatore Causae Canonizationis Beati Petri Aloisii Mariae Chanel praedicti, quum Emus et Rmus Dnus Cardinalis Angelus Bianchi, Episcopus Praenestinus, huiusce Causae Ponens, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, ad Vaticanum subsignata die habitis, sequens proposuerit Dubium : *An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu, et ad effectum, de quo agitur ?* Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : *Affirmative, si Sanctissimo placuerit.* Die 1 Iunii 1891.

Quibus per subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem reassumptionis Causae Beati Petri Aloisii Mariae Chanel, die 10 iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. B. C. Praefectus.*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI *S. B. C. Secretarius.*

EX S. CONGR. 3. R. U. INQUISITIONIS

De vi obligatoria decreti *Tametsi* ex sola Consuetudine.

Monitum. Vol. XXI, 648 quaestionem, retuli *Limburgen. dubia circa matrimonia clandestina ;* ex qua deprehendi facile est principium hoc; nempe Tridentini decretum *Tametsi* obligare, si per longam consuetudinem observatum sit; quamvis de eius publicatione certum non fuerit. Eiusmodi vero iurisprudentiam confirmari per responsum datum a S. C. S. Officii dubio exhibito eidem S. Congregationi ; quodque sic expositum fuit :

Beatissime Pater,

Titius catholicus, postquam plurimis abhinc annis cum Bertha item catholica, cuius hodie domicilium ignorat, matrimonium civile in civitate Mülhausen, huius Dioecesis, contraxerit, coram iudice divortium petit, quo ad novas nuptias cum alia concubina convolare possit.

Iamvero civitas Mülhausen, a principio sic dictae Reformationis ad initium usque huius saeculi, ex integro erat protestantica, decretumque Tridentinum in ea publicari non potuerat.

Initio huius saeculi, advcnieritibus catholicis, erecta fuit in memorata civitate parochia catholica, ac crescente paulatim numero catholicorum, exstant in ea hodie tres parochiae cum catholicis 47,000, dum haeretici numerum 14,000 non excedant. Decretum Tridentinum tanquam Decretum Conciliare sub nullitatis poena obligans a tempore erectionis prioris parochiae semper a catholicis observatum fuit, sed de publicatione dicti Decreti minime constat.

Quare humillime expostulo sequentium solutionem dubiorum :

1. Utrum, non obstante regula a Benedicto XIV tradita *de Sua. dioec., I. 12, c. o, n. G,* clandestina matrimonia inter catholicos in civitate Mülhausen inita, tanquam valida censeri debeant ?

2. Utrum, remanente aliquo dubio de ipsorum validitate, praedicto Titio liceat solutionem vinculi apud iudices laicos impio-

rare, novumque cum sua concubina actuali coram Ecclesia inire matrimonium ?

Et Deus, etc.

Argentinae, die 17 Februarii 1887.

P. PAULUS EP. CAESAROP., *C.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Litteris datis 17 Februarii nuper elapsi, exposito casu cuiusdam Titii catholici, qui, postquam plurimis abhinc annis cum Bertha item catholica matrimonium civile in civitate Mülhausen istius dioecesis, contraxerit, nunc coram iudice divortium petit, ut ad novas nuptias convolare possit, sequentia dubio proponebam scilicet:

1. Utrum, non obstante regula a Benedicto XIV tradita *de Syn, dioec, I. 12, c, 5, n. G,* **clandestina matrimonia inter catholicos in civitate Mülhausen inita, tanquam valida censeri debeant ?**

2. Utrum, remanente aliquo dubio de ipsorum validitate, praedicto Titio liceat solutionem vinculi apud iudices laicos implorare, novumque cum sua concubina actuali coram Ecclesia inire matrimonium ?

Antequam quidquam decernatur, sacer hic Consessus ad Te scribendum censuit, ut exponere velis rationes dubitandi.

Et interim fausta quaeque Tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuae.

Romae, die 10 Martii 1887.

Addictissimus in Domino.

R. CARD. MONACO.

Eminentissime ac Reverendissimo Domine,

Relate ad quaestionem de validitate matrimoniorum, clandestine inter catholicos initorum in civitate Mülhausen, huius dioecesis, Eminentia Vestra per litteras de die 10 currentis mensis rescribere mihi dignata est ut rationes dubitandi expon a m.

Cui mandato ut pro mea erga Sedem apostolicam veneratione satisfaciant, sequentia adnotare debeo :

Titius de quo in precibus, relicto domicilio in Mülhausen aliud domicilium una cum concubina sibi elegit in Civitate Colmar, ubi, conscientiae suae consulere volens, parochum adiit, ({Haerens an sil M liceat super matrimonio civiliter tantum contracto divortium civile petere, ac cum concubina in facie Ecclesiae matrimonium inire? Parochus vero, cum rosei vi sset a parocho ad S. stephanum in Mülhausen, Decretum Tridentinum quidem observantia diuturno in usu esse, minime vero constare

de eiusdem Decreti publicatione, imo probabilius Decretum nunquam fuisse promulgatum, rem totam — concinnatis duobus dubiis de die 17 Februarii adnexis — ad Ordinariatum remisit.

Scio siquidem, ex Benedicto XIV *cle Syn. dioec, 1.12, e. 5, n. 5,* quod « ibi facta praesumatur eiusdem Decreti publicatio, ubicumque constet iam usu receptum esse, ut matrimonia coram parocho et duobus vel tribus testibus, tanquam in executionem Decreti Conc. Trid. celebrentur ; » reapse Decreti observantia, in memorata civitate Mulhausen supralaudatos characteres prae se ferre videtur. Cum autem probabilius Decretum publicatum non fuerit, ac praelaudatus usus ex fidelium aestimatione, - Matrimonia scilicet nonnisi coram parocho et duobus testibus valide contrahi posse - exordium sumpsisse videatur, de vi obligandi memoratae consuetudinis sententiam fere nolui, opportunumque duxi hac de re Apostolicae Sedis iudicium exquirere.

Interea, etc.

Argentinae, die 30 Martii 1887.

P. PAULUS, EP. CAESEROP., C.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Rationibus dubitandi ab Amplitudine Tua expositis, litteris datis die 29 praeteriti martii, circa validitatem matrimoniorum clandestine inter catholicos initorum in civitate Mülhausen, istius dioecesis, mature perpensis, Emi DD. Card. una mecum, Inquisitores generales feria iv die 27 nuper elapsi Aprilis decreverunt : Iuxta exposita, matrimonia inter catholicos in civitate Mülhausen contracta, non servata forma Tridentina, esse nulla; ideoque virum Titium, de quo in tuis litteris diei 17 praeteriti Februarii, declarata prius ab Episcopo nullitate matrimonii, permitti posse prosequi causam ad civile divortium obtinendum. Curae autem Tuae erit invenire mulierem fBertham) eique significare sui status libertatem, ut licite, si velit, ad alias nuptias transire valeat.

Et fausta quaeque Tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuae,

Romae, die 1 Maii 1887.

Addictissimus in Domino

R. CARD. MONAGO.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXIII. CONTINENTUR

-S53=^-;-

LITTERAE ET ACTA ROM. PONTIFICIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONG. CONCILII

EX S. CONGREG. EP. ET REG.

EX S. RITUUM CONGREG.

EX S. C. R. U. INQUISITIONIS

EX S. CONG. INDICIS

EX AEDIBUS VATICANIS

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

APPENDICES

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS, AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Decimae

in definiendis controversiis, quae circa solutionem decimarum vel aliarum praestationum oriri possunt, attendendum est illud quod ab initio inter partes conventum fuit. pag. 255.

Praesertim vero si illud quod ab initio inter partes cautum fuit, longissimi temporis observantia fuit confirmatum, *ibid.*

Consuetudo plusquam centenaria vel immemorabilis, titulum meliorem de mundo praebet ac vim legis praesefert, *ibid.*

Decimae ecclesiasticae solvendae sunt integrae, absque ulla deduzione seminis vel impensarum, *ibid.*

Dismembratio paroeciae

Paroeciae dismembratio sapit speciem alienationis; ideoque ad eam rite perficiendam requiri omnes solemnitates expetitas in alienatione rerum Ecclesiae, ne irrita fiat et nullius valoris ex defectu solemnitatum pag. 275.

Habitualem curam animarum inesse Capitulo Ecclesiae vel ex eo dignosci potest, quando emolumenta funerum, oblationes, eleemosynae non ab uno Archipresbytero percipiuntur, sed ab universo capitulo; vel quando absente Archipresbytero, functiones paroeciales fiunt a decano vel seniore Capituli, minime ab extraneo *ibid.*

In dismembratione Paroeciae distinguitur a Doctoribus divisio beneficii a divisione territorii; primaque habetur ceu odiosa, utpote quae beneficii statum laedit, honestae substentationis media beneficialo antiquo minuit, altera vero odiosa non censetur, *ibid.*

Quinimo dismembratio, quae dotem beneficii non afficit, sed tantum iurisdictionem parochi ad maiorem populi commoditatem, et aptiorem sacramentorum administrationem , benigno favore prosequenda videtur, dum antiqui pa-

rochi temporale interesse non laedit, eius onera et officia minuit. *Und.*

Episcopi ex Tridentino *Sess. 21 cap. 4* possunt novas constituere paroecias, etiam invitis parochis, in iis Ecclesiis, in quibus ob locorum distantiam vel difficultatem, fideles sine magno incommodo accedere nequeant ad percipienda sacramenta et divina officia, *p.* 279.

Attamen si rigidiorum Doctorum doctrina sequenda esset nunquam locum habere posset aliqua Ecclesiarum dismembratio, quia nec populi frequentia, nec locorum distantia iustam exhibent causam dismembrationis; eo quod tum populi frequentiae, tum distantiae prospici possit per sacerdotes coadiutores aut per vicarios.

Nuperrima tamen S. G. C. iurisprudentia et Tridentino magis consona, favet facilius dismembratione Ecclesiarum, iustis de causis, quia per proprios pastores melius consulitur bono animarum, quam per coadiutores aut vicarios. Parochus enim suae Ecclesiae sponsus est et suorum ovium pastor, qui easdem curabit maiori studio et charitate, quam capellanus aut vicarius, simplices mercenarii, *ibid.*

Qua de re cum ius commune et iurisprudentia faveant 'dismembrationi Ecclesiarum in bonum animarum, quod est suprema lex iis in quaestionibus, dicendum est omnem dismembrationem esse quaestionem facti. *ibid.*

Quando cura habitualis est in Capitulo, potest canonicus exercere curam actualem in Ecclesia, a Cathedrali etiam distincta, et suae praebendae fructus et distributiones percipere, veluti si ministerium paroeciale in ipsa Cathedrali exerceret, *ibid.*

Paroeciarum dismembratione ex SS. Canonum doctrina, tum locus fit, cum utilitas vel necessitas id exigat, pag. 345.

Dummodo tamen congrua Paroeciae dismembrandae non imminuatur, et ipsi annuus canon assignetur a nova paroecia in signum matricilalis solvendus. *ibid.*

Distributiones chorales

Coadiutor cum futura successione obtinendi dignitatem , canonicatum aut portionem in Ecclesia Cathedrali vel in Collegiata datus, regulariter non potest suas facere distributiones quotidianas, sed eas pro coadiuto lucratur, pagin. 628.

Nihilominus in huiusmodi rebus determinandis opus est, ut vel conventio inter partes inita , vel Bullae tenor inspiciatur: cum generali regulae superius traditae vel per partium conventionem, vel per Bullae dispositionem derogari valeat, *ibid.*

In themate autem cum in vim Bullae coadiutori Ripamonti summa libellarum 600 a coadiuto persolvenda assignata fuerit ex fru-

elibus, redditibus et proventibus ac etiam distributionibus quotidianis aliisque incertis archidiaconatus, praesumendum est dictam summam ante porrectam supplicationem inter partes conventam fuisse pag. 629.

Hinc coadiutori Ripamonti nullum ius superest quamlibet fructuum portionem a beneficio et nominatim a distributionibus quotidianis provenientium repetendi, *ib.*

Quemadmodum legi generali, ita etiam consuetudini legitime inductae derogari potest per partium conventionem vel Bullae dispositionem, *ibid.*

Consuetudo, vel concludenti probatione destituta, vel si facta, quibus innititur ex mera liberalitate procedunt, attendenda non est. *ibid.*

Vim suam nanciscatur ex voluntate agentium, ac proinde extendi non potest ad ea quae praevideri vel excogitan haud poterant, *ibid.*

Quilibet novus proventus, ratione beneficii derivatus, plenam beneficii possessionem habenti accedere debet. *ibid.*

Episcopus et Capitulum

Quum Episcopus et Capitulum cathedralis unum idemque corpus efficiant, in qualibet suae Dioecesis Ecclesia diversenlur, primas paries agere, locumque principalem tenere valent, pag. 308.

Episcopus uti potest, ad pontificalia, Ecclesia alicuius oppidi, suae Dioecesis, in quo residet per maiorem anni partem idque vertere honorificentiae ipsius Ecclesiae eiusque Rectoris, pag. 309.

Episcopo et Capitulo diversantibus ad tempus in aliqua paroeciali Ecclesia, inter eosdem enascitur unio aeque principalis; in qua unione aeque principali ex iure constitutum est, iura utriusque paratis essentialia, intacta servanda esse quoad fieri possit, et in conflictu, inferiorem superiori, digniori minus dignum cedere debere, *ibid.*

Iura Canonicorum consistere in obeundis divinis officiis, et in choro vacando ad psallentium; parochorum vero iura, ex Tridentino esse sacramenta ministrare, praedicare et populum christianam doctrinam docere, liquidum est. *ibid.*

Parochus, utpote inferior in conflictu cum Capitulo quoad iura, cedere debet Capitulo, quoties non subintret animarum discrimen, *ib.*

In Ecclesia cathedrali, quae simul sit paroecialis, functiones, excepta sacramentorum administratione, ante vel post Missam, ad Canonicos pertinent, *ibid.*

Fontis baptismalis benedictio in vigiliis Paschae et Pentecostes, quum non sit de functionibus mere paroecialibus, Episcopo reservatur, ab eodem peragenda, vel ab aliquo ex dignioribus Capitularibus, quem ipse Episcopus designaverit, *ibid.*

Exemptio

Abbatiam *Nullius* Farfensem in vim Bullae fel. mem. Greg. XVI quae incipit : *Studium* ad simplicem Abbatiae gradum reductam, Episcopo pro tempore suburbicario Sabinensi perpetuo adiudicatam fuisse patet. pag. **06S.**

Ideoque Episcopus Sabinensis Abbatis Farfensis titulum gerit , eidemque facultas competit inquirendi, prosequendi, vindicanda omnia quaelibet iura abbatialia, excepta tamen iurisdictione ordinaria, *ibid.*

Inter iura eidem Episcopo tributa recensetur ius nominandi et praesentandi ad ea omnia et singula beneficia, quorum collatio ad Abbatem Farfensem pertinebat, *ib.*

In vim citatae Bullae Episcopo Sabinen, iurisdictionem quoque competere super Ecclesiam S. Mariae, deduci ex onere ipsi imposito scuta octo et triginta pro huiusmodi Ecclesiae, olim Cathedralis, nunc simplicis Abbatialis manutentione persolvendi, *ibid.*

inter Abbates Claustrales Cassinenses et Farfenses discrimen adest ; ac proinde hisce non omnia iura et privilegia competunt, quibus illi fruuntur, pag. 369.

Irregularitas

Irregularitas quoad ordines Sacros suscipiendos aut in eisdem ministrandum enascitur vel ex defectu lenitatis vel ex infamia iuris p. 224.

Ex defectu lenitatis irregularitas enascitur quoties humanus sanguis iuste , vel in bello , vel in causa capitali, funditur, effectu sequuto. *ibid.*

Ex infamia iuris irregulares fiunt duellanfes, eorumque patrini; qui ideo ordines sacros suscipere prohibentur, absque dispensatione pontificia, *ibid.*

Duellum proprie dictum est pugna inita inter duos vel plures in pari numero, privata auctoritate, vel ex condicto, statuto loco et tempore cum armis ad occidendum , sive graviter vulnerandum aptis, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris, *ibid.*

Ex iure pro duello habetur, et duelli poenis subiicitur, pugna illa in qua tantum sit periculum vulneris; quaeque initur cum pacto de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, *ibid.*

Nihil refert ad verum duellum constituendum, an initum fuit spectacula ut olim, aut virtutis ostendendae causa; sed tantum requiritur, ut sit singulare certamen , susceptum ex condicto, et armis lelhalibus , ut duellantes et patrini censuris subiiciantur, pag. 243.

Ex haeresi quoque enasci infamiam iuris certum est; ita ut haereticorum filii irregulares habendi

sint si eorum patres in haeresis persistant, aut in eadem demortui fuerint, *ibid.*

Iura parochialia

Ad parochum domicilii vel quasi domicilii competit super cadaveribus ius efferendi corpus et deducendi funera: et si paroecianus sepeliendus sit in paroeciali ecclesia , competit ad eundem parochum ius peragendi preces exequiales, ac demum humo corpus mandare, pag. 331.

Quatenus vero defunctus extra paroeciam sepeliri debeat apud electam aut familiarem sepulturam, tunc, de iure ordinario et communi, competit Parocho proprio tantum ius levandi cadavera , et illud ad Ecclesiam itinerantem deducendi, percipiendo de omnibus emolumentis, solum quartam temerariam; competit vero Ecclesiae funeranti seu exponenti ius faciendi missam exequialem , et corpus sepulcro reddere, *ibid.*

Etsi ius funerandi cohaereat tamquam accessorium iuri sepeliendi, tamen, data iusta causa, potest unum ab altero seiungi , ceu ipsa pietas suadet quando corpus deferendum sit ad sepulturam electam, sive familiae, in dissitam regionem; tunc enim parochus domicilii iusta funebria persolvit apud ecclesiam paroecialem, ne suffragia nimium differentur, deinde ad tumulantem associât, *ibid.*

Ex iure canonico et iurisperitis ex una dieta, seu ex distantia itineris unius diei, adimi et cessare iura Ecclesiae tumulantis; hinc mirandum non est si data eadem distantia vel maiori, adimantur ex parte, nempe quoad exequialis missae celebrationem, *ibid.*

Parochus defuncti proprius ingredi potest, sine tamen *pompa solemni et recto tramite,* alienam paroeciam cum stola et cruce, sive ut inde efferat, sive ut per eam ad Ecclesiam tumulantem comitetur, sive demum ut ad coemeterium cadaver deducat, quin parochus loci, quo funebris associatio transit, obsistere possit aut tributa quaerere, pag. 332.

Litterae dimissoriales

Ex Conc. Trid. Cap. IO, sess. 23 *de Reform.* Superioribus Ordinum Religiosorum, in quibus vota solemnia emittuntur , facultas competit tradendi litteras dimissoriales propriis subditis regularibus, ut ad omnes sacros Ordines promoveantur, pag. 633.

Cum hac tamen limitatione, ut scilicet dispositiones decreti Clementis Ylll anni 1596 et constitutionis Benedicti XIV *Impositis nobis,* diei 27 Februarii 1747 observentur, ubi praescribitur, ut litterae dimissoriales Episcopo loci exhibeantur, in quo domus i eligi o s ìì existit, *ibid.*

Absente vero loci Episcopo, vel

Matrimonium

ferrentur, absque apostolico indulto, de perpetuis fierent amovibilia. *ibid.*

Suspensio

Suspensio, qua censura ad frangendam contumaciam, omnino ferri iuridice potest, praeviis monitionibus, pag. 185.

Ordinarios paroecia privare posse rectores turpiter et scandalose viventes ex Tridentino patet session. 21 cap. 6 de ref.; hi enim praemoneri debent, coarctari et castigan; et si in sua nequitia perseverent beneficiis privandi sunt, omni exemptione et appellatione remota, *ibid.*

Ad eiusmodi remotionem satis est servare formam iudicii in substantialibus iustitiae , quando aliter fieri nequeat; quia bonum animarum id enixe exposcere videtur, ne scandala protrahantur, pag. 186.

Ex iure constat puniri posse infamatum contumacem qui malitiose se assentat, aut procurat ue citatio ad eum pervenire possit, *ib.*

Etenim iterata reo indictione pro termino peremptorio : quatenus absque probato legitimo impedimento non compareat, pro contumaci habetur, et ferri potest sententia condemnatoria in eum absque litis contestatione, *ibid.*

Quandu agitur de parocho turpiter et scandalose vivente, summario modo procedi potest ex Clementina *Quia contigit : iudex,* dicitur, *litem quantum poterit faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo, ibid.*

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Iulius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.